

VETERA
HUMILIATORUM MONUMENTA

ANNOTATIONIBUS,
AC DISSERTATIONIBUS PRODROMIS ILLUSTRATA,

Quibus multa Sacræ, Civilis, ac Literariæ Medii Ævi
Hiſtoriæ capita explicantur

AUCTORE

HIERONYMO TIRABOSCHIO SOC. JESU

IN BRAIDENSI UNIVERSITATE RHETORICÆ PROFESSORE.

VOL. II.



MEDIOLANI. MDCCLXVII.
EXCUDEBAT JOSEPH GALEATIUS REGIUS TYPOGRAPHUS.
Superiorum permiſſu, ac Privilegio.

PRÆFATIO.

QUæ me caussæ impulerint, ut alteram septimæ Dissertationis partem primo Volumini addendam in alterum hoc rejicerem, satis jam alias exposui. Nec sane est, cur me suscepti consilii pæniteat. Dum enim Volumen hoc ipsum typis pararetur, plura ad nonnullas Humiliatorum domos pertinentia monumenta mecum eruditi homines communicarunt, quibus hæc Dissertationis pars non parum illustraretur. Quin etiam multa accepimus, quæ ad ea, quæ in primo Volumine narravimus, aut confirmanda, aut illustranda, aut etiam emendanda plurimum conferrent; ex quo factum est, ut additiones non paucas ad hujus Voluminis calcem apponeremus. Atque ita omnino fieri oportebat. Cum enim rem fere hactenus intentatam aggressi essemus, ac pleraque ex nondum editis monumentis eruenda essent, fieri non poterat, quominus multa in dies e tenebris emergerent, quæque antea in lucem emissa fuerant aliis proferendis facem quodammodo præferrent.

Sed egregio in primis adjumento nobis fuerunt MSS. Codices duo, qui in Mediolanensis hujus Pauperum Senum Xenodochii tabulario servantur, quæ olim erat

Humiliatorum domus, S. Mariæ de Ottaciis appellata. Eorum nobis copiam fecit Spectatissimus Metropolitanæ Hujus Basilicæ Ordinarius, ut ajunt, Canonicus, ac per id tempus Xenodochio eidem Præfectus Rocchus Lonatus, cujus egregia humanitate factum est, ut Codices eosdem diligenter inspicere, ac quæcumque in rem nostram facerent, excerpere nobis liceret. Alter a Carolo de Advocatis Generali Humiliatorum Magistro conscriptus est, de quo diximus Vol. I. pag. 148. &c. Hic scilicet cum anno MDXXXIII. gravissimorum criminum apud Clementem VII. P. M. accusatus, ac carceri addictus fuisset, librum hunc conscripsit, æquitatem probitatemque suam vindicaturus. Singulas scilicet Humiliatorum domos ille recenset, earumque interdum vices atque exitum commemorat; quid singulas fodri, *ut ajunt, nomine sibi Generali Magistro pendere oportuisset, quid ille exegisset, quid singulis condonasset, ut omnes intelligerent, optime se de Humiliatis meritum indignissime ab illis habitum fuisse. Enimvero acerrimis interdum verbis in illos invehitur, ingratos, atque urbanitatis humanitatisque omnino expertes appellans.*

Ita pag. 71. Io voglio porre per ordine di pagina in pagina tutte le Case, Prepositure, e Monasteri di questo Ordine Umiliato, così de Frati come

come di Monache, & in ciascheduna di esse pagine io voglio descrivere & notare tutto quello ho avuto o no, & tutto quello ho rimesso e donato o no, & tutto quello mi resta da avere o no da esse Case, & Prepositure, e Monasteri di Monache ...... & vedrassi in questa seconda parte, quanta obbligazione mi anno molte Case, Prepositure, & Monasteri di questo Ordine, & di quanta ingratitudine mi anno pagato. A me basta apparere quel Gentilomo nativo, che io sono, & essi o per tempo o tardi compariranno quelli Villani & Asini, che sono stati meco. *Et paullo post*: A molti ho fatto confessione, che mi abbiano satisfato d'ogni fodro passato da quel giorno indietro, benchè io non avessi ricevuto de fodri passati, salvo che una parte da loro. Tamen io faceva la quitanza libera di tutto, pensandomi con questa mia gentilezza di farmeli amici & favorevoli. Ma io conosco, che la maggior parte di loro sono Asini, li quali non si movono di passo per tutte le melodie de' suoni musicali, salvo che per il suono delle bastonate. *Urbanissimis hisce nominibus Humiliatos passim appellat Carolus. Sed in Hieronymum Torchium præcipue invehitur, in quem*

ærumnæ

ærumnæ suæ culpam omnem confert, cujusque famam gravissimis contumeliis proscindit. Hic scilicet primum a Clemente VII. Generalis Vicarius Carolo datus, tum hoc exauctorato, Generalis Magister jussus fuerat, huncque proinde Carolus præcipuum calamitatis suæ auctorem existimabat. Ad hunc nempe Codex MS. alter pertinet in eodem tabulario servatus, qui sic inscribitur: Liber mei Fratris Hieronymi Torgii J. U. Doctoris, domus Canonice Mediolani prepositi, ac totius ordinis humiliatorum Generalis Magistri, in quo registrabuntur omnia acta, que fiunt pro Offitio generalatus, & nonnulla, que gesta sunt tempore Officii Vicariatus ad laudem &c. *Complectitur porro quæcumque Torchius aut statuit aut fieri jussit a die V. Apr. an. MDXXVII., quo tempore Vicarius jussus fuerat, ad diem I. Sept. MDXXXIII., cum Magister Generalis renunciatus est, tum reliqua, dum hoc munere fungeretur, gesta. Quantam nobis lucem bini hi Codices attulerint, tum ex altera septimæ Dissertationis parte, quam mox subdemus, tum ex Additionibus, quæ ad hujus Voluminis calcem edentur, facile constabit.*

Maximam porro sibi hujus Voluminis partem vindicant Humiliatorum monumenta adnotationibus illustrata. Quo loco quam potissimum nobis in iisdem edendis ratio-

nem

nem ineundam duxerimus, paucis est explicandum. Ac primo non omnia, quæcumque in manus venerunt, Humiliatorum monumenta, edenda censuimus. Quis enim fuisset edendi finis? Ex Pontificiis literis nullas omisimus, tum ut hinc etiam constaret, quanta olim esset hujus cœtus fama, tum præsertim quod ex iis non parum ad Ecclesiasticam historiam lucis accedit. Ex aliis monumentis ea selegimus, quæ aut ob argumenti dignitatem, aut ob historiæ atque antiquitatis, quæ inde elici posset, cognitionem, edenda viderentur. Interdum etiam excerpta tantummodo nonnulla protulimus, reliquis omissis, quæ utilitatis nihil afferrent. Undenam monumenta hujusmodi hauserimus, diximus cum primo Volumini præfaremur. Quin etiam quo loco singula asserventur, indicabimus. Chronologicam seriem, utpote omnium opportunissimam, in eorum editione servandam duximus. Quæ nos ipsi ex autographis descripsimus, ea sic fideliter exhibemus, qualia in iisdem autographis exstant, si compendiarias notas excipias, quas, ne Lectoribus non satis hac in re eruditis molestiam facerent, plerumque sustulimus. At quæ ab aliis descripta accepimus, sic illa proferre necesse fuit, prout fuerant ad nos transmissa. Ex quo factum est, ut non eadem in omnibus scribendi ratio, sed in nonnullis antiquior, recen-

tior

tior in aliis servata sit. Monumentorum etiam inscriptiones nunc Romanis nunc Italicis typis impressas videbis. Primum genus earum est, quas ex monumentis ipsis, quibus additæ erant, exscripsimus; alterum earum, quas nos apponere oportuit, cum aut monumenta iisdem carerent, aut ad nos transmissa non essent.

Superest, ut pauca de annotationibus dicam. Clarissimos viros querentes interdum audivimus, eos qui hactenus monumentorum collectiones edidissent, non satis plerumque iis illustrandis allaborasse, quo fit ut & involuta multa ac vetustatis tenebris obducta occurrant, & multo minor, quam posset, ex iisdem utilitas derivetur. Itaque nihil omisimus, ut monumentis hisce nostris, quanta per nos liceret, lux adderetur. Quapropter & obscuras locutiones evolvere, &, quæ in iis innuuntur, historiæ capita explicare, & aliorum, si quando opus sit, opiniones monumentorum auctoritate refellere, eaque adeo omnia præstare, quibus locuples hæc monumentorum series utilior redderetur, pro viribus curavimus.

Hæc fere altero hoc Volumine continentur. Tertium Volumen, quod proxime insequente anno in lucem edetur, monumenta reliqua, quibus hic locus non fuit, tum Humiliatorum decreta in antiquis Generalibus Comitiis lata, ac Joannis Braidensis Chronicon complectetur, atque uberrimum rerum omnium Indicem, quo universum opus claudetur.

DISSERTATIONIS VII.

Pars altera.

DE HUMILIATORUM DOMIBUS EXTRA MEDIOLANENSEM AGRUM POSITIS.

I. HActenus in Humiliatorum domibus recensendis Catalogi nostri seriem sequuti sumus. Sed in altera hac hujusce Dissertationis parte commodius visum est ab illa recedere, ut recentioris Geographiæ ratio habeatur, novumque ordinem amplecti. Atque ipsam quidem *Fagiarum*, seu Provinciarum divisionem servabimus; sed *fagias* ipsas sic disponemus, ut primo quæ ad Austriacam, deinde quæ ad Sabaudam Ditionem pertinent, proferamus; quo loco Genuenses duas domos, Catalogum ipsum sequuti, Alexandrinæ *fagiæ* addemus; hinc domus in Veneta, Parmensi, ac Mutinensi Ditione positæ; Etruscæ postea sequentur: ultimum locum iis dabimus, quæ in Pontificii juris urbibus erant.

II. Ac primo de Papiensibus domibus agemus, quas tum ex multis monumentis, in quibus illæ commemorantur, tum ex Anonymi Papiensis de Papiæ laudibus opusculo illustrare licebit, a Muratorio edito (a), qui illius auctorem circa an. MCCCXIX. aut MCCCXXI. scripsisse existimat. *In Papia*, ait Joannes Braidensis antiquioris Chronici auctor, *erant domus fratrum cum suis Monachabus tres; Cœnobia Religiosarum per se erant tria*. Singulas ex antiquiore Catalogo recenseamus: *In fagia de papia prima domus*

(a) Script. Rer. Ital. T. XI.

fratrum speratiore, *que nunc dicitur* . . . . . at novum hoc nomen deest a librario omissum, nec facile quænam domus voce illa *speratiore* indicaretur, intelligeremus, nisi ex memorato opusculo lux affulgeret. Ubi enim *de Ecclesiis destructis vel amotis* auctor loquitur, hæc habet (*a*): *Vidi in circuitu civitatis Ecclesiam Sanctorum Omnium de Sparcitoria* (quæ idem profecto est ac Ecclesia *Speratiore* corrupto alicubi nomine) *de qua facta fuit domus de Cadrona ejusdem Ordinis*. Vides itaque domum illam *Speratiore* seu *de Sparcitoria* dictam eamdem esse ac domum *de Cadrona*; seu illi eversæ hanc suffectam fuisse. Porro domus *de Cadrona*, seu *de Carona*, ut alias scribitur, eadem est ac domus *de Vigalono*, quæ in Innocentii III. literis anno MCCI. ad primi Ordinis Humiliatos datis commemoratur. Domum SS. omnium *de Cadrona* eodem loco fuisse, quo olim S. Augustini domus fuerat, statuit P. Romualdus a S. Maria Augustinianus Excalceatus (*b*). At ab opusculi auctore erroris revincitur. Utramque enim domum diverso loco statuit, & alteram tertii Humiliatorum Ordinis fuisse dicit. Itaque ubi Ecclesias enumerat *intra primum murum urbis*, ait (*c*): *Ecclesia S. Augustini de domo communi*, *quæ est capella Humiliatorum & Humiliatarum tertii Ordinis*. Ubi autem Ecclesias recenset *intra ambitum secundi muri*, ait (*d*): *Ecclesia Sanctorum Omnium*, *quæ dicitur de Cadrona*, *domus Humiliatorum & Humiliatarum*. *Caronæ* nomen, sic enim eam vocat, ex proximo rivo cognomine factum testatur P. Romualdus; additque fuisse illam etiam S. Mariæ omnium SS. appellatam ob Deiparæ effigiem prodigiis celebrem; templumque in ejusdem honorem a Viustino de Viustinis fuisse iterum ædificatum: sed annum non indicat; anno denique MDLXVII.

Pio V.

(*a*) Cap. VIII.
(*b*) Papia Sacr. P. III. pag. 57.
(*c*) Cap. II.
(*d*) Cap. III.

Pio V. jubente Humiliatos inde expulsos narrat. Unde postremum hoc factum ille hauserit, ignoro. Certe domus omnium SS. inter adhuc superstites Humiliatorum domos enumeratur in Pii V. literis an. MDLXXI., atque in Catalogo anni MDLXX., quo tempore Jo. Petrus de Caprianis illi præerat, ut mox videbimus. Illius redditus, Humiliatis extinctis, Papiensi S. Thomæ Cœnobio Ord. Prædicatorum addicti sunt; ædes Cartusiæ Papiensis Monachis concessæ, quibus adhuc ibi est hospitalis domus.

III. Subditur 2. *Domus nova ibi in papia*. Quemadmodum domus *de Vigalono* in literis ad primi Ordinis Humiliatos, ita Domus novæ Papiensis in literis ad alterius Ordinis Humiliatos datis jam ab anno MCCI. meminit Innocentius III. Erat porro illa trans Ticinum posita; ac deinde primi Ordinis Humiliatis concessa est. Hinc in literis Rodulphi Cæsaris ad Vicoboldonenses Humiliatos an. MCCLXXXIX. datis, quas Vol. I. pag. 333. commemoravimus, hæc habemus: *presentibus D. Fratre Preposito Domus nove ultra Ticinum*. Enimvero in Chronico quodam MS., quod Papiæ adservatur, ad an. MCCLXXV. parum abfuisse dicitur, quin flumine exundante hæc domus obrueretur. Eamdem propterea arbitror, quæ in Innocentii IV. literis XVIII. Dec. MCCLIII. datis indicatur: *Preposito & conventui domus humiliatorum de prato Ticini papien.* Ante annum MCCCXXI. S. Ulderici domui conjuncta illa fuerat, ut testatur Opusculi auctor, qui memorato capite *de ecclesiis destructis vel amotis*, ait: *Vidi.... Ecclesiam, que de domo nova virorum ac mulierum ejusdem Ordinis* (Humiliatorum) *fuit unita Ecclesia S. Ulderici ejusdem Ordinis*. Nihilominus domus novæ nomen occurrit etiam ad an. MCCCLI. in cujusdam chartæ fragmento, quod in Bibliotheca nostra servatur, quo Humiliati cujusdam demortui supellex tota indicatur. *MCCCI. istud est proprium fratris acorsini domus nove de celanova de papia consignatum Domino fratri Uberto de Regibus dicte domus preposito. In primis habet matarasium unum, pluinar* (sic) *unum, linteamina tria, cervical unum,*

Mantelos duos, caputios duos, tunicas duas, camiſcias duas, & tunicellum unum de tota lana, coopertorium unum de pellibus, pilortium unum, Rubinum unum de pellibus (pilortium & rubinum quid ſint non intelligo) *vaſa apum tria & medium, quartarios tres ſaxolorum, item in denariis ſoldos XX. papienſes; capudtergium unum*. A tergo hæc adduntur: *Hic demonſtratur ſicut frater Ubertus de regibus fuit prepoſitus in domo nova de papia MCCCLI.; qui fuit poſtea prepoſitus ....* (deeſt domus nomen, ſed ſcribendum erat *de Miraſole*) *& elle&tus fuit in Generalem MCCCLIII.*, de quo egimus Vol. I. pag. 122. Verum quæ hic *domus nova de celanova* appellatur, eadem eſſe dicenda eſt ac domus S. Ulderici, cui conjunctæ domus nomen adhæſerit, cum certo conſtet illam jam everſam fuiſſe.

IV. Hæc porro proxime ſequitur. 3. *Domus S. Ulderici*. Hanc pariter Opuſculi auctor commemorat, ubi de Eccleſiis *intra primum murum urbis* loquitur: *Eccleſia S. Olderici Epiſcopi: Domus Humiliatorum & Humiliatarum*. Altera hæc domus fuit, quam Humiliati ad extremum uſque Papiæ habuerunt. Quamvis enim hac etiam Humiliatos an. MDLXVII. expulſos fuiſſe narret P. Romualdus, contrarium tamen ex iiſdem, quæ ſupra innuimus, monumentis evincitur. Quin etiam ad Humiliatos in ſtudiis exercendos fuerat illa an. MDLXVII. deſtinata, cogitatumque fuerat de Omnium SS. Papienſi, S. Marci Dertonenſi, ac S. Syri Alexandrina domo illi conjungendis, ut major ibi ali poſſet Humiliatorum adoleſcentum numerus. Habemus rei teſtes in Ambroſiana Bibliotheca (*a*) Aloyſii a Baſilica Petri Generalis Magiſtri literas eodem anno XI. Aug. *utriuſque juris doctori fratri Joanni Petro de Caprianis præpoſito domus noſtræ omnium SS. de Papia* datas, in quibus hæc narrat: *Cum dilectus noſter fr. Jacobus ab Eccleſia præpoſitus adminiſtrator domus noſtræ S. Ulderici de Papia .... acceſſerit ad capiendam poſſeſſionem dictæ domus ſancti Ulderici, tuæque domus* Omnium

(*a*) Cod. MS. ſign. D. 99. in fol.

Omnium Sanctorum, donec & usque quo aliter in ea & de ea fuerit ordinatum, recomendatæ, & seu sub certa formula dictæ domui S. Ulderici unitæ, nec non possessionem domus nostræ S. Marci de dertona, ac S. Siri de alexandria eidem pariter unitarum..... ac pro erigendo effectualiter Collegio in dicta domo S. Ulderici; ac nuper ad aures nostras pervenerit, dictum Jacobum præpositum inde discessisse, & alibi, quo nescitur, se contulisse sine nostra speciali licentia, &c. Jubet proinde Joannem Petrum Præpositi illius vices gerere. Videtur tamen consilium exitu caruisse; omnes enim illæ domus adhuc in Catal. an. MDLXX., ac singularum Præpositi designantur. Jacobus porro hic ab Ecclesia in eodem Catalogo contumax & fugitivus appellatur, additurque illum ad hæreticos confugisse vulgo credi. Hujus etiam domus redditus S. Thomæ Cœnobio attributi; ædes eversæ, eoque loco Ghislerianum, seu, ut vocant, Pontificium Collegium magnifico opere excitatum est.

V. Tres deinde recensentur sororum domus, quarum nulla an. MCCCXLIV. supererat. 4. *Domus sororum de palatio*. Eadem hæc forte est, quam P. Romualdus commemorat (*a*). Ait enim S. Helenæ ædem haud procul a Marica porta habuisse olim Humiliatas, S. Catharinæ sacram; ac monumenta innuit anni MCCXXIII., quibus hoc comprobatur. Addit an. MCCLXIV. instauratam illam fuisse; ac deinde Humiliatorum legibus rejectis S. Benedicti instituta Virgines illas amplexas fuisse; incertum, inquit, quo anno; sed certe ante an. MCCCC. tunc vero S. Helenæ nomen eidem impositum. Verene omnia dicantur, ignoro. Certe Ecclesia S. Helenæ sacra Anonymi tempore jamdiu exstabat: illam enim sic designat (*b*): *Ecclesia S. Helenæ Reginæ, olim Monasterium Albarum;* ac fieri potest, ut Albarum nomine Humiliatæ indicentur, quæ, dum auctor scriberet, S. Benedicti legibus jam

(*a*) Part. III. pag. 27.
(*b*) Cap. III.

jam se addixissent. 5. *Domus S. Simonis*. Narrat P. Romualdus (a), Ecclesiam S. Mariæ de Paradiso appellatam anno MDXLVII concessam fuisse *Fratri Joanni Antonio Quirino Priori Domus & Hospitalis S. Simonis ac S. Crucis nuncupat. Ordinis Cruciferorum, ubi ab anno* 1335. *incolebant*. Vides itaque jam ab an. MCCCXXXV. si P. Romualdo credimus, Cruciferos ad S. Simonis habitasse. At Anonymus aliter statuere videtur: eamdem enim Ecclesiam sic commemorat (b): *Ecclesia SS. Apostolorum Simonis & Judæ, olim Monasterium Albarum: Domus Cruceferorum*. Itaque aut auctor ille XV. annis serius, quam arbitratur Muratorius, scripsit, aut multo ante an. MCCCXXXV. ædes illas Cruciferi incolebant. Sed hæc nihil ad nos. At cum hic etiam fuisse *Monasterium Albarum* ait, Humiliatas scilicet designare videtur. Quin etiam suspicor olim fuisse domum hanc Fratribus Sororibusque communem. Vidimus enim Vol. I. pag. 183. Papiensibus Humiliatis an. MCCXXIX. concessum fuisse *Hospitale S. Justinæ*. Porro S. Simonis ædem *juxta portam S. Justinæ nuncupatam* fuisse ait P. Romualdus; & hoc ipsum opusculi auctor indicat, qui SS. Simonis & Judæ post S. Justinæ Ecclesiam statim subdit; ut proinde verisimile sit, his ipsis Humiliatis fuisse hospitalem domum illam commissam; postea vero mulieres tantum in S. Simonis ædes recipi cæpisse. Additur denique 6. *domus de cestexio*, qui pagus est Papiensis agri trans Padum, vulgo *Chiasteggio*, cujus domus nullum aliud monumentum occurrit.

VI. Nunc ad Laudenses Humiliatorum domos progredimur; quibus illustrandis Defendentis Laudii Historici Laudensis Commentariolum MS. de Laudensibus Humiliatis in Puricellii schedis nacti sumus; quem deinde fusius etiam diligentiusque digestum vidimus Laude in Bibliotheca PP. Congr. Orat. S. Philippi. Præ-

(a) Part. III. pag. 82.
(b) Cap. IV.

Præterea totum Laudensis Episcopii tabularium patere nobis voluit humanissimus, plurimisque nominibus laudandus illius olim urbis Episcopus Josephus Gallaratus. Denique egregiam veterum chartarum copiam in S. Benedicti ejusdem urbis Cœnobio comperimus, quod olim ad Humiliatos pertinebat. *In Laude*, ita in antiquioris catalogi epitome, *erant domus fratrum cum suis humiliatabus quatuor; cœnobia religiosarum erant per se septem*. Totidem scilicet Braidensis Catalogus enumerat: *In fagia de laude, prima domus fratrum sancti cristofori*. Ac jure hæc omnium prima recensetur; nulla enim antiquior in urbe fuit; quamvis domus Omnium SS. multo ante illam in Laudensi agro exstiterit. Laudius narrat jam ab anno MCCXII. Pauli, qui vicus est Laudensis Diœcesis ad Mediolanensis fines, Humiliatorum domum S. Christophoro sacram exstitisse, ex qua Laudenses domos S. Christophori ac de Paulo ortas arbitratur; quod veteribus monumentis innixum affirmasse illum arbitror. At sane saltem ab anno MCCXVII. domum de Paulo appellatam Humiliati habuerunt. En tibi chartæ fragmentum ejusdem anni XXIII. April., quæ in Laudensi Episcopio servatur: *fecit donationem inter vivos..... fr. guidus calegarius de domo pauli filius quondam johannis calegarii, qui professus est se lege vivere longobardorum, in manum & potestatem castelli sartoris, & martini de sesto, & guilielmi de brembio, tunc ministrorum mansionum humiliatorum episcopatus laude, nomine & vice societatis humiliatorum nominative de omnibus suis rebus &c.* Et paullo post commemoratur *Debitum quod fecit ipse frater guidus pro mansione humiliatorum de Paulo;* ex quibus tamen verbis non satis constat, Pauli ne posita esset hæc domus, an Laude, cum urbanæ ipsæ domus pagorum nomine interdum distinguerentur. Laudensis vero S. Christophori domus prima, quod sciam, mentio ad an. MCCXXIX. occurrit. Laudius enim in MSS. Laudensibus supremas Alberti Vignati tabulas hoc anno XXIII. Apr. signatas commemorat, quibus legat *Canonicæ S. Christo-*

sto-

ſtophori Libras XXX., atque aliud præterea monumentum an. MCCXXXVI. VII. Dec., ex quo præter Guillelmum de Brembio (eumdem forte, cujus ſupra meminimus) XXVIII. Fratres domum illam ſeu Canonicam incoluiſſe conſtat.

VII. Ipſum vero S. Chriſtophori templum anno MCCC. renovatum fuiſſe Laudius alibi narrat (*a*); eam tamen hujus inſtaurationis occaſionem affert, quam neſcio an eruditi viri ſint facile probaturi. Narrat ſcilicet (ac rei teſtes tabulas profert in ipſa S. Chriſtophori æde aſſervatas; quas tamen qui legat, ætatis multo recentioris, modicæque proinde auctoritatis judicabit omnino) anno MCCC. miræ molis Draconem in Gerundo mari (quo nomine lacus vocabatur ex Abduæ aquis prope Laudem ſtagnantibus effectus, nuper a Cl. P. Guidone Ferrario Soc. Jeſu erudita Diſſertatione illuſtratus (*b*)) repente viſum, qui letifero halitu miſeram ederet civium ſtragem, ſimulque prohiberet, ne quis ad illius necem accederet: cives itaque voto ſe obſtrinxiſſe, ut tabularum verbis utar, *templum ſe eſſe ædificaturos in honorem SS. Trinitatis & S. Chriſtophori;* concepto autem voto receſſiſſe ſtatim Draconem, paulloque poſt extinctum jacuiſſe. Hæc Laudius. At miros hoſce letaleſque Dracones plerumque ad fabulas amandare docti homines conſuerunt. Nec ſane, ut Laudius ipſe animadvertit, tunc primum S. Chriſtophori ædes exſtructa eſt. Et inſtauratio ipſa ſerius juſſa videtur. Nam publicum Civium decretum vidiſſe ſe narrat Laudius an. MCCCVII. latum, quo ad eamdem ædem inſtaurandam, ac ſacram ſupellectilem comparandam redditus aliquot attribuebantur. Circa an. MDXXV. commendata illa erat, ut ex Advocati Codice, de quo diximus in præfatione, colligimus. Anno MDLII. cum duo tantummodo Humiliati illas ædes incolerent, Patribus Congregat. Montis Oli-

(*a*) Diſcorſi Iſtorici della Città di Lodi Diſc. VIII.
(*b*) Inſcript. Epiſt. Diſſert. Vol. III. Diſſert. XV.

Oliveti concessæ illæ sunt, qui, ut Laudius refert, anno MDLXIII. templum renovarunt.

VIII. Recensetur deinde 2. *domus omnium Sanctorum*, quæ in urbe quidem post S. Christophori domum exstitit; sed multo antea in Laudensis agri pago constructa fuerat, cui *Fossati alti* vel *Fossadolti* nomen, nunc vulgo *Borghetto*. Itaque omnium antiquissima fuit, quotquot in Laudensi agro Humiliati habuerunt. Atque Ecclesiæ quidem ædificatæ tempus, annum scilicet MCC., definire possumus ex egregio Laudensis Episcopii monumento, an. MCCXXXIII. quod suo loco edemus. Ibi enim *Soror Flora de Castello, que est magistra* (domus prædictæ utrique sexui communis) *remisso sacramento dixit.... quod ista Ecclesia edificata est XXXIII. anni sunt hodie in ista die* (nempe XV. Augusti); *& dixit quod ipsa testis fuit de primis sororibus, que fuerunt ab initio ad edificationem suprascripte ecclesie, & dixit, quod hec Ecclesia stetit multum ad edificandum, videlicet a festivitate beati Johannis bautiste usque hodie*. Profecto aut maximam fuisse iis temporibus ædificandi celeritatem dicendum est, aut angustam sane ædiculam fuisse illam, cui construendæ multum temporis impensum fuisse dicatur, cum a XXIV. Jun. ad XV. Aug. perfectum opus fuerit. Arbitror tamen non paucos ante annos domum illam incoluisse Humiliatos. Si enim B. Bruna, ut constans est Vercellensium traditio, circa an. MCXLIV. floruit, Laudemque profecta, ibi, aut potius in Laudensi agro, Cœnobium condidit, hocce profecto omnium antiquissimum medio circiter XII. sæculo condidisse dicenda est. Nec sola porro Omnium SS. Ecclesia apud Humiliatos Fossadolti fuit, sed alia etiam pago proxima, ac S. Georgio sacra. Qua ratione hanc adierint Humiliati, Flora eadem refert his verbis: *Dixit, quod Ecclesia sancti georgii ante edificationem hujus Ecclesie* (Omnium SS.) *erat domini episcopi arderici* (qui ab an. MCLXXXIX. ad an. MCCXVII. (a) Laudensi Ecclesiæ præfuit),

(a) Ughell. in Episc. Laud.

& dixit, quod quadam vice iverat ad dictam ecclesiam, & tunc dominus prepositus, & fratres & sorores illius ecclesie prociderunt se & supplicaverunt pedibus illius, rogantes eum, ut dei amore daret eis dictam ecclesiam sancti georgii; & tunc ipse dominus episcopus misericordia motus concessit eis dictam Ecclesiam sancti georgii. Quam Arderici donationem Innocentius III. literis suis an. MCCX. XVII. Cal. Jul. ratam habuit. Mittimus hic controversiam hujus Ecclesiæ occasione inter Laudensem Episcopum atque Humiliatos exortam, quæ ex indicato an. MCCXXXIII. monumento satis patebit. Id unum addimus ex Gregorii IX. literis ad hosce Humiliatos an. MCCXXXI. XVIII. Cal. Febr. datis, LXXX. per id tempus fuisse ejus domus incolas colligi.

IX. Postea vero, ut Laudius narrat, ut urbanam domum illi haberent, in qua diversari liceret, domum, quæ *S. Joannis ad vineas* dicta est, construxerunt. Primam ego illius mentionem in charta an. MCCCVI. XIV. Febr. vidi apud Laudenses S. Benedicti Sanctimoniales: *In Laude in domo deodata* (hoc sæpe nomine illa distinguitur) *Sancti Johannis evangeliste sita in contrata vinearum*. Ipsam tamen Ecclesiam tribus post annis excitatam fuisse testatur lapis, quem in ejusdem Cœnobii horto vidisse se Laudius narrat. *Anno MCCCVIIII. Frater Lanfrancus Trivultius Prior hujus Domus fecit fieri hanc Ecclesiam*. Suspicor autem id accidisse, cum Matthæus Vicecomes in Humiliatos iratus, ut Dissert. IV. num. XIII. retulimus, inter cetera *domum etiam omnium Sanctorum Laudensis Diocesis per gentes suas fecit funditus demoliri*. Nihilominus restituta hæc postea fuisse videtur; nam diu adhuc cum S. Joannis ad vineas domo stetit. Hinc in charta an. MCCCXX. VI. Martii in S. Benedicti tabulario hæc habemus: *presentibus fratre lafranco* (forte Trivultio, cujus meminimus) *priore domus deodate sancti Johannis evangeliste &c.*, atque ibidem nominatur *Frater guillelmus de Melzo prepositus canonice omnium sanctorum laudensis diocesis*. Sic tamen utraque constituta erat, ut domus S. Joannis

nis domui omnium SS. obnoxia ac ſubdita eſſet, & a Laudenſis Epiſcopi jure pendens. Hinc omittitur illa in Catalogo an. MCCCXLIV. Ubi vero de domibus poſt eumdem annum additis eſt ſermo, ſic ait Joannes Braidenſis: *Prima fuit domus de la vinea de laude, ſeu prioratus S. Johannis, quæ erat ſub Epiſcopo Laudæ, cui poſtea unita fuit antiqua domus ſeu Præpoſitura Omnium SS. Laudenſis Diocеſis*. Quo anno hæc conjunctio contigerit, non ſatis conſtat. Chartam an. MCCCLXXXIII. XIII. Jul. apud S. Benedicti Moniales vidi, in qua hæc habentur: *Fr. Andriollus de Spanzutis prepoſitus domorum omnium ſanctorum laudenſis dioceſis, & ſancti Johannis evangeliſte, que appellatur domus deodata civitatis laude, que ſunt unum & idem corpus, ordinis humiliatorum*. Quæ tamen verba non ſatis indicant, ambæ ne adhuc domus ſuos incolas haberent, an unica tantum. Sed certe non multo poſt deſerta illa fuit; ac utrumque nomen urbanæ domui datum, quæ ſcilicet *S. Johannis ad vineas & Omnium SS.* appellabatur.

X. Præfuit, ut alias diximus, huic Cœnobio Philippus Cribellus Generalis deinde Humiliatorum Magiſter; ſed peſſima jam erat ejuſdem domus conditio. Ex charta enim an. MCCCCXXXVI. VI. Febr. apud S. Benedicti Sanctimoniales, unicum Præpoſitum cum ſocio ædes illas incoluiſſe colligimus. Anno autem MCCCCLXXII., ut ex ejuſdem Cœnobii monumento cognoſcimus, Balthaſſar de Paganis Præpoſitus, duoque alii Fratres ibidem degebant. Itaque commendari deinde illa cæpit, quod jam ab an. MCCCCXCI. contigiſſe videtur; neque enim illius domus Præpoſitus in ejuſdem anni Comitiis recenſetur. Laudius narrat Fr. Franciſcum Trivultium hujuſce domus Præpoſitum an. MCCCCXCIX. fuiſſe, quo tempore, cum Laudenſes Ludovico XII. Galliarum Regi ſe dederent, hæc inter cæteras deditionis conditiones ab illis adjecta eſt: *Dignetur M. R. providere pro Franciſco Trivultio nunc præpoſito domus de la vinea civitatis Laudæ de Epiſcopatu ipſius civitatis, ſi contingat vacare per ceſſum, vel deceſſum, vel aliter, vel de alio*

 equi-

equivalenti beneficio. Galliarum autem Regis nomine responsum est: *Habebit commendatum Trivultium, & libenter scribet Pontifici pro beneficio*. Quis hujus consilii exitus fuerit, non video. Franciscus certe inter Laudenses Episcopos non numeratur. Suspicor tamen Humiliatum illum minime fuisse; neque enim Fratris aut Humiliati nomine in allatis verbis ille designatur. Probabile porro est domum illam Trivultio commendatam fuisse. Anno tamen MDXV. iterum ex Humiliatis Præpositus huic domui est datus. Etenim in Elencho quodam Monumentorum, quæ in Laudensi Episcopio servantur, hoc ad hunc annum animadverti: *Confessio Mensæ Episcopalis favore fr. Antonii de Vignate præpositi S. Joannis ad Vineas & Omnium SS. de libris undecim candelarum ceræ* &c. At exinde nullum alium inter Humiliatos huic domui præpositum video; & in Advocati Codice pag. 38. commendata dicitur. Anno MDLXX. Riccio nescio cui commendata illa erat, quattuorque ibidem Humiliati morabantur. Anno denique MDCV., cum Andreæ Cardin. Peretto commendata illa esset, Patribus Congr. S. Paulli ab eodem concessa est. Obscuriores sunt duæ, quæ sequuntur, Fratrum domus. 3. *Domus de roncburio*. 4. *Domus de mignìate*, quæ in hoc tantum Catalogo nominantur. Primæ, quæ in Laudensis agri pago fuisse videtur, qui vulgo *Roncoli* dicitur, Vol. I. pag. 51. &c. meminimus, ostendimusque, monumentum illud, cujus auctoritate a nonnullis jam ab an. MLVI. domus hæc exstitisse creditur, ad annum MCCLVI. probabiliter revocandum esse, simulque indicavimus Vicoboldonensi domui fuisse illam postea conjunctam. Altera forte in alio ejusdem agri pago posita erat, qui vulgo *Migneto* appellatur. Sed jam ad Laudenses Humiliatarum domos progredimur.

XI. Prima omnium recensetur *domus de paulo ibi in laude*. Arbitratur Laudius, ut superius innui, Pauli in agro Laudensi illam olim fuisse, ac Fratribus Sororibusque communem. Enimvero chartam an. MCCXXXIX. XIII. Apr. apud S. Benedicti Sanctimo-

niales

niales vidi, qua, cum quæstio verteretur *inter girardum calegarium de paulo ex una parte, & fratrem Johannem nomine & vice sororum humiliatarum domus de paulo, cujus est rector & minister*, controversiæ arbitros eligunt *Dominum presbiterum Jacoppum priorem, & fratrem Guidottum Fabarium canonice sancti cristofori &c.* Cum enim cum Paulensi homine controversia esset, cumque domus de Paulo Minister hic nominetur, utrumque videtur suaderi, & Pauli fuisse domum hanc, & sexui utrique communem. Laudam deinde Virgines deductæ sejunctam a Fratribus domum habuerunt, ac plurima illius monumenta in Laudensis Episcopii, & S. Benedicti tabulariis occurrunt. Placet unum ex altero hoc tabulario proferre, eoque libentius, quod Professionis formam continet, qua tunc Humiliatæ utebantur. *Anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio die lune octavo mensis Septembris, Indictione duodecima, in domo, in qua habitant umiliate de paulo, ac coram domino pace preposito canonice sancti cristofori ordinis umiliatorum de laude, & in presentia fratris alberti de rivolta & fratris Jacobi de boldo, & fratris conradi testium rogatorum, soror Jacoba filia quondam anne de agnate plebis de setara promisit vivere sine propriis, & ibi fecit professionem, & obedientiam secundum regulam fratrum umiliatorum secundi ordinis datam & approbatam a quondam bone memorie Innocentio papa, in manu sororis carabone ministre domus umiliatarum de paulo recipientis nomine & vice & ad utilitatem dicte mansionis, se & sua offerens, & irrevocabiliter donans ipsi mansioni, cum candela accensa, & scripto sue professionis in manu. Rog. per Avostum de Seregnano.* Anno MCCXCIX. Bernardus de Talente Laudensis Episcopus hujusce domus Monialibus Ecclesiæ construendæ facultatem fecit, cujus literas in monumentorum serie edemus. Anno MCCCCXXVIII. tres tantummodo Moniales in iis ædibus degebant, scilicet *Sanuta de lapis ministra*, *Johanna de gradi, & caterina de nazariis*. Ipsis tamen Humiliatis Fratribus domus eadem superstes fuit, donec anno MDLXXXIV., ut Laudius refert,

fert, Franciſcus Boſſius Novarienſis Epiſcopus, atque Apoſtolicus Viſitator, illam S. Benedicti Cœnobio conjungi juſſit. Sed hujus anguſtiæ in cauſſa fuerunt, cur anno tantum MDCXV. res ad exitum deduceretur. Humiliatarum de Paulo ædes a Clericis Regul. Congr. Somaſchæ coemptæ deinde fuerunt.

XII. Sequitur 2. *domus de variſella*, ſeu potius *de vallicella*. Chartam an. MCCLXXXII. XII. Mart. commemorat Laudius, in qua hæc habentur: *In Civitate Laudæ in domo humiliatarum S. Mariæ de Vallicella, præſentibus R. fr. Paxio domus humiliatorum S. Trinitatis ejuſdem civitatis, domina ſoror rica domina & miniſtra domus humiliatarum S. Mariæ de Vallicella* &c. decemque aliæ Sanctimoniales adduntur, quibus domus illa conſtabat. In alio autem monumento an. MCCCCXXXVII. apud eumdem Laudium, quo loco illa eſſet, ſtatuitur: *Domus humiliatarum S. Mariæ de vallicella in vicinia S. Mariæ Magdalenæ*. Addit Laudius anno MCCCCXCIV. PP. Prædicatorum horto ædes illas incluſas fuiſſe: moniales autem, ſi quæ ſupererant, ad S. Mariæ de Paulo, aut ad S. Benedicti, quæ ſolæ tunc erant Humiliatarum domus, traductas, fuiſſe arbitror. Quæ vero deinde profertur 3. *domus de bregonzio*, ſeu *de bregundio*, eadem in poſteriore catalogo *de Indenariis* dicitur, appellatione nunc a fundatoris nomine, nunc a prænomine deducta. Bregundii enim Denarii ſupremas tabulas an. MCCXXIX. X. Jan. confectas, atque an. MCCXXXVI. XXI. Oct. confirmatas vidimus apud S. Benedicti Sanctimoniales, in quibus hæc habentur: *Judicavit domum ſuam de vicinia ſancti tome, in qua ipſe bregundius manet cum omnibus vaſis & utenſilibus, & aliis rebus, que in predicta domo erunt tempore obitus ſui, & totum podere quod habet, vel habuerit in loco & territorio de mulazano* (laudenſis agri pago).... *ordini humiliatorum de laude, ſive compagnie humiliatorum de laude, in qua domo vel in quo podere debeat fieri quedam manſio humiliatorum .... Item judicavit modios duos blave, & modium unum leguminum manſioni ſeu ſororibus de domo ſachi denarii* (de qua mox ſermo

sermo erit). Videtur autem illo ipso anno MCCXXXVI. obiisse Bregundius. Charta enim an. MCCXXXVII. IV. Jan. ibidem exstat, qua *Ricca uxor Sozonis de Vistarino* (de celeberrimo hoc apud Laudenses viro plura habes in illius ætatis historicis) *& filia quondam bregundii denarii, cum consensu .... ipsius sozonis .... dedit in solutum, & nomine solutionis in suum locum posuit dominos prepositum guilielmum canonice sancti cristofori ordinis humiliatorum civitatis laude, & prepositum ubertum canonice omnium Sanctorum* &c. Hac ratione nova Humiliatis Laudensibus domus concessa, quam illi Virginibus patere voluerunt. Hinc illa nunc *domus de denariis* appellatur, nunc corrupto nomine *de Indenariis*, vel *de Lendenariis*, nunc *domus humiliatarum bergondii denarii sita super plateam de sachis*. Addita postea est ædes Deiparæ Virgini, ac SS. Jacobo & Philippo sacra; omnibus enim hisce nominibus distinctam illam videmus. Interdum etiam, quod alias quoque factum vidimus, Præpositus huic mulierum Cœnobio datus est. Chartam enim an. MCCCCLX. XXX. Octob. vidisse se in S. Benedicti tabulario Laudius narrat, in qua appellatur *D. Fr. Hieronymus de Lavezariis Præpositus domus S. Jacobi de denariis Ord. Humil.* At paullo post, anno scilicet MCCCCLXV. Philippus Cribellus Generalis Magister paucas, quæ ibi supererant, Moniales, ejusque domus redditus domui de Paulo conjunxit. Enimvero chartam an. MCCCCLXVIII. in eodem tabulario vidi, in qua hæc habentur: *cui domui* (de Paulo) *unita est & incorporata domus sancti Jacobi vulgariter nuncupata de denariis*. Unica Elisabeth hujus domus ministra ad S. Benedicti Cœnobium traducta est, cui etiam ædes illæ concessæ.

XIII. Pauciora supersunt sequentis domus monumenta: 4. *Domus de sancto romano*. In S. Benedicti tabulario chartam an. MCCCIX. V. Jan. vidimus, in qua commemoratur *Domina antilia ministra domus humiliatarum de sancto Romano in vicinia sancti Romani*. At saltem quis illius exitus fuerit certo scimus ex alio ejusdem tabu-

larii

larii monumento an. MCCCXX. VI. Mart. quo ejusdem bona inter Omnium SS. & Bregundii Denarii domos dividuntur. Porro post bona singula enumerata, hæc habentur: *que* (bona) *fuerunt suprascripte domus de sancto Romano .... in qua domo erant quinque sorores .... que sorores dimisse sunt a dicta domo de sancto Romano, tres quarum intraverunt domum canonice omnium Sanctorum, & ibi se & sua dederunt, ... & alie due .... domum bregundii denarii, & se & sua dederunt dicte domui*. Itaque in Catalogo an. MCCCXLIV. domus hæc omittitur. Obscurior est alterius domus exitus, nempe 5. *Domus, que dicitur nova*. Hujus mentio occurrit in charta an. MCCLXIX. III. Sept. in S. Benedicti tabulario: *Ardizia filia quondam domini martini de pallatino, que professa est se lege vivere longobardorum, fecit donationem inter vivos in dominam sororem dianam ministram & rectricem domus humiliatarum de domo nova in civitate laude in contrata comitum, recipientem nomine & vice ipsius domus seu mansionis de omnibus suis bonis* &c., & in charta an. MCCXCII. XXIV. Sept. *Sorores humiliate domus nove site prope ecclesiam sancti Andree in contrata comitum de cassino*. Quis fuerit hujus exitus, non video. Sed cum illius monumenta in S. Benedicti Cœnobio asserventur, videtur, aut Cœnobio huic ipsi conjuncta fuisse, aut alteri cuiquam, quod huic postea conjunctum fuerit. Id vero ante an. MCCCXLIV. fieri oportuit: in posteriore enim Catalogo illa omittitur. Duæ adhuc illustrandæ supersunt Laudenses Humiliatarum domus. 6. *Domus sancti tome*; ac 7. *domus sancti blasii*. Primæ mentionem habemus, Laudio teste, in charta an. MCCXCIII. XX. Jul. in S. Benedicti tabulario: *Soror contessa ministra humiliatarum domus S. Thomæ, quæ habitant in vicinia S. Romani civitatis Laudæ*. In Episcopali autem tabulario Bernardi de Talente Laudensis Episcopi literæ exstant, quibus an. MCCC. XVII. Febr. hujusce domus Monialibus Ecclesiæ construendæ facultatem facit. Supererat domus hæc an. MCCCXLIV., sed nihil de illius exitu cognoscere licuit. Domus

vero

vero S. Blasii alio nomine *domus sachi denarii* appellari consueverat. Ita in charta an. MCCCXXXVIII. XIX. Mart. in S. Benedicti tabulario: *in capitulo sororum domus sachi denarii site in laude in vicinia sancti blaxii intus*. Exstabat jam ab an. MCCXXIX. Vidimus enim in supremis Bregundii Denarii tabulis eodem anno signatis legatos fuisse *duos modios blave, & unum modium leguminum mansioni seu sororibus de domo sachi denarii*. Anno autem MCCCXLVIII. S. Benedicti Cœnobio conjunctam illam fuisse docet Laudius.

XIV. Ast alia Sororum domus in Catalogo an. MCCCXLIV. apparet, scilicet *Domus S. Benedicti*. Dubius hærebam, num forte eadem hæc esset cum Domo Nova, de qua jam diximus? Sed hæc *in contrata comitum de cassino, & in vicinia S. Andreæ* sita dicitur; illa vero *in contrata vinearum*. Guillelmi de Quaresima supremas tabulas anno MCCCIV. confectas commemorat Laudius, quibus inter cetera *voluit... quod post mortem Bendedæ uxoris suæ, & ante mortem ejus, si sibi placuerit, quod ante fiat, debeat fieri religio una, sive domus una religionis dominarum talis habitus & religionis, ut est domus & religio humiliatarum domus, quæ est in vicinia S. Romani civitatis Laudæ, statuens & ordinans, quod omnia bona sua mobilia & immobilia sint & esse debeant ipsius domus*. Addit Laudius, nescire se, quis fuerit supremæ hujus voluntatis exitus. Sed cum nulla ante hoc tempus domus S. Benedicti mentio occurrat; post aliquot vero annos monumenta ad illam pertinentia appareant (primum enim ad an. MCCCXXIV. in ejusdem Cœnobii tabulario vidi) vix dubito, quin illa fuerit hujus domus construendæ occasio, cui forte etiam a Bendedæ, Guillelmi uxoris nomine, quæ eadem videtur ac Benedicta, S. Benedicti nomen accessit. Hæc vero domus aliarum deinde accessione, quas supra commemoravimus, non parum est aucta. Superest illa adhuc, ac vulgo inter superstites Humiliatarum domos numeratur. Negant tamen Sanctimoniales illæ, ut ab iisdem audivimus,

Humiliatas se esse. Enimvero S. Benedicti leges amplexæ sunt, non quas ab Humiliatis ipsis susceptas diximus; sed quas Benedictinæ Virgines ceteræ sequuntur, quasque illis ab Hieronymo Federicio Laudensi Episcopo anno MDLXXIX. datas fuisse, Laudius narrat. Albas tamen vestes, Humiliatarum more, induunt. De B. Brunæ corpore, quod apud easdem asservatur, diximus Vol. 1. pag. 245.

XV. Has Humiliatarum domos Catalogi nostri complectuntur. Alias Laudius commemorat, quæ, siquidem exstiterint, atque ad Claustrales Humiliatos pertinuerint, ante annum MCCXCVIII. aliis jam conjunctas, aut derelictas fuisse, necesse est. Ac primo, quemadmodum Humiliatas de Vallicella superius commemoravimus, sic illis proximos Humiliatos *S. Ambrosii de Ripalta in Vallicella* exstitisse ille narrat, S. Cristophori domui deinde additos; & chartam innuit XVII. Apr. an. MCCLXI., in qua nominatur *Antonius Humiliatorum de Ripalta Laude Minister*. Sexti etiam, qui Laudensis agri est pagus, fuisse Humiliatos ex Episcopalis tabularii monumento XVIII. Jun. an. MCCXCVI. Laudius probat, quo Bernardus de Talente Laudensis Episcopus ejusdem pagi decimam *Fratribus Jacobo & Alberto nomine Humiliatorum ejusdem loci recipientibus* ad XXIX. annos locat. Fuisse autem illam viris mulieribusque communem ex ejusdem Tabularii *inventario* Laudius probat, ubi ad an. MCCXXV. VI. Jul. hæc habentur: *Donatio, oblatio, & jurium renuntiatio facta per Serenam de Nigro, & Rosam ejus sororem, & Alexandram uxorem qu. Valloris, ac Agnetem filiam qu. Talenti de Sesto omnes sorores mansionis humiliatorum de Sesto in Gulielmum de Brembio, & Martinum de Sesto ministros humiliatorum Laude & Episcopatus de omnibus rebus &c.* Miror tamen, cum domus de Sexto an. MCCXCVII. memoretur, eam deinde in Catalogo an. MCCXCVIII. omitti, præsertim cum conventio illa ad XXIX. annos pacta fuerit. Itaque suspicor illam ad tertium Ordinem pertinuisse. Praeterea

Fr.

Fr. Paxius Ord. Humiliat. frater domus sancte trinitatis nominatur in carta an. MCCLXXXII., quam num. XII. commemoravimus, & in alia an. MCCLXXXVII. IX. Sept. apud S. Benedicti Moniales. Sed cum videam in S. Christophori tabulis, de quibus diximus, Ecclesiam illam S. Trinitatis ac S. Christophori appellari, arbitror non esse illam a S. Christophori domo distinguendam. Addit denique Laudius, Mulazzani, qui Laudensis agri est pagus, Humiliatos olim fuisse, aitque in charta an. MCCXCVI. in S. Benedicti tabulario septem Humiliatos ibidem degentes appellari. Sed forte hæc etiam ad tertium Ordinem est referenda.

XVI. Multo breviores in Cremonensibus domibus illustrandis tum modicus ipse domorum numerus, tum monumentorum inopia nos reddet. Earum summam sic Joannes Braidensis colligit: *In Cremona erant domus fratrum cum suis religiosabus quinque*. His deinde adduntur, quæ Casali majore positæ erant: *In Casali majore domus fratrum cum suis religiosabus tres: cænobia Religiosarum per se erant unum*. Hæ omnes in Catal. an. MCCXCVIII. Cremonensi *fagia* continentur. Itaque *in fagia de cremona* 1. *domus fratrum sancti abundii*, quæ etiam in quibusdam Hieronymi Landriani Generalis Magistri literis, quas Laude in Bibliotheca PP. Congr. Orat. vidimus, appellatur Monasterium *Sancte Marie & Omnium Sanctorum nuncupatum de sancto abundio cremone*. Hujus cæterarumque Cremonensium domorum originem ignoramus. Claustrales Humiliatos an. MCCXLVI. Cremonæ fuisse, ex Innocentii IV. literis eodem anno III. Cal. Nov. datis constat; at quæ potissimum domus indicetur, incertum. Anno MDLXX. XVIII. Presbiteri ac IV. Laici in S. Abundii alebantur. Anno autem MDLXXIX. cum Archangelo Blanco Cardinali Tianensi commendatæ essent, hic Clericis Regularibus, quos Theatinos vocant, ædes illas concessit (*a*). 2. *Domus sancti guillelmi*. Cognominem

(*a*) Silos Histor. Cler. Regul. T. 1. pag. 585.

Ecclesiam fuisse olim in Cremonæ suburbiis, Homobono Medalberto Cremonensi Episcopo, nempe ab an. MCCXVI, ad MCCXLVIII. narrant Cremonenses historici, sequutusque illos Ughellius (*a*). At certissimum est etiam sedem illam PP. Ord. Prædicatorum fuisse. Itaque aut alia S. Guillelmi ædes Cremonæ fuit, aut Humiliatorum domus a Prædicatorum templo, cui proxima esset, nomen duxit. Ante an. MCCCXLIV. fuisse illam domui S. Catharinæ mox memorandæ conjunctam ex hujus anni Catalogo discimus, in quo domus illa sic designatur: *Domus S. Gulielmi, quæ dicitur S. Catharinæ. 3. Domus castri de Sonzino.* Soncini, quod frequens est ac celebre agri Cremonensis oppidum, ad annum usque MDLXXI. fuit Humiliatorum domus S. Jacobo sacra. In Catalogo an. MDLXX. illius Præpositus dicitur Joannes Maria Avogadrus, qui contumax ac fugitivus appellatur. Domus incolis vacua erat, idque, ut arbitror, jam ab an. MDLXV. Videbimus enim, cum de Bergomensibus Humiliatis sermo erit, S. Agathæ Sanctimoniales ad Soncinensem domum traduci jussas fuisse; quamvis deinde consilium exitu caruerit. In eodem Catalogo hujusce domus redditus Alexandro Simonettæ commendati postea fuisse dicuntur. Alia porro Cremonæ erat domus *de Soncino* appellata, ac S. Jacobo sacra, scilicet 4. *domus sancti Jacobi de Sonzino*. Habemus hujus monumentum an. MCCCXLIV. IX. Oct. ex ejusdem domus tabulario, quæ nunc ad PP. Cler. Regulares S. Paulli pertinet, eductum, nobisque a Cl. P. D. Angelo M. Cortenovis communicatum, quo Moroellus de Benedictis Cremonensis Canonicus (idem, ut arbitror, qui deinde Joannis Vicecomitis Mediolanensis Archiepiscopi Generalis Vicarius fuit, ut constat ex charta an. MCCCXLIX. XIX. Sept. a Cl. Saxio edita (*b*), ubi tamen ille non Cremonensis sed Parmensis Canonicus dicitur) arbiter jubetur inter Fratrem *Job de Crottis de* *Cre-*

(*a*) Ughell. Ital. Sacr. T. II. in Cremonen. Episc.
(*b*) Ser. Archiep. Mediol. T. II. pag. 808.

Cremona Prelatum domus S. Jacobi de Soncino de Cremona Ordinis Humiliatorum .... & Simonem de Sospiro .... nomine Domini Francisci de Ottobellis Presbyteri & Rectoris Ecclesia S. Vincentii de Cremona ... occasione cujusdam hedifficii, *quod Dominus frater Job dixit se velle construere & hedificare in Oratorium in Cremona in vicinia S. Vincentii*. Præerat huic domui, quæ plerumque domus S. Jacobi dicebatur, an. MDLXV. Aloysius a Basilica Petri, ultimus deinde Humiliatorum Generalis Magister; qui cum sui cœtus res in deterius labi animadverteret, de sua olim Præpositura Patribus Congr. S. Paulli concedenda egit, quod anno MDLXIX. perfectum est (*a*). Erat denique Cremonæ 5. *Domus sancte caterine*. Hanc etiam ad extrema usque tempora Humiliati tenuerunt. Ædes illæ Camaldulensibus Monachis deinde concessæ an. MDXCI., cum antea Matthæo Rovario commendatæ fuissent (*b*). Casalenses deinde domus succedunt; 6. *Domus de casale majore;* 7. *Domus nova ibi;* 8. *Domus parva ibi;* quibus additur 9. *Domus sororum de rodeno;* quæ quo loco esset ignoro. *Domus parva ac nova* etiam in Catal. an. MCCCXLIV. recensentur. Cetera omnia, quæ ad has domos pertinent, omnino ignota.

XVII. Geographicam rationem sequentibus Mantuanæ domus nunc occurrunt. Sed antequam e Mediolanensi Ditione discedamus, Novocomenses adhuc lustrandæ supersunt; quæ *fagia* Vallem Tellinam etiam complectitur. *In Cumis & diocesi*, ait Joannes Braidensis, *erant domus Fratrum cum suis Humiliatabus viginti duæ; cœnobia religiosarum erant per se sex*. Singulas Catalogus noster enumerat, atque ut par erat, præfertur omnibus 1. *Domus de rondenario*, de cujus origine satis jam Vol. I. Differ. II. dictum. Plurima hujusce domus monumenta adhuc apud PP. Congr.

(*a*) Oltrocchi Not. ad Vit. S. Caroli col. 209. Branda confutaz. de' Ragion. Apolog. pag. 151. 153.

(*b*) Mittarelli & Costadoni Annal. Camaldul. T. VIII. pag. 177.

Congr. Somaschæ servantur, qui Rondenarienses ædes in præsens, obtinent eorumque mihi copiam fecit doctrinæ æque atque humanitatis laude spectatissimus P. D. Joannes Petrus Rovillius Collegii illius Præpositus. Antiquiores tamen chartæ periisse videntur: nullum enim Præpositum Jacobo vetustiorem nactus sum, quem Romam ad Innocentium III. profectum diximus; nec ulla Jacobi ipsius mentio ante annum MCXCVIII. occurrit. In iis vero, quæ supersunt, monumentis, ille nunc *prepositus fraternitatis & ecclesie de rondenario*, nunc *prepositus mansionis de rundenara* appellatur. Erat hæc etiam viris mulieribusque communis ædes. At anno MCCCXLVI., cum duæ tantum Moniales ibi superessent, ad domum *de Pontesello*, de qua mox sermo erit, translatæ sunt, ut ex charta Rondenariensis tabularii colligimus. Rondenarienses Humiliatos dilexit in primis Loterius Rusca senior inter Comenses sæculo XIII. potentissimus, qui magnificum sibi tumulum in eorumdem templo, quod Deiparæ Sanctisque omnibus sacrum erat, exstruendum curavit. Illius atque alterius ex eadem gente corpus vidisse se anno MDCIV. eodem tumulo conditum refert Robertus Rusca, quem deinde simul cum vetere ipsa æde eversum dolet (*a*). Præpositus etiam ex Rusca gente huic domui præfuit, Johannes nempe Rusca de Claro, ad quem Philippi Cribelli Generalis Magistri literas an. MCCCCLVI. XIX. Febr. datas suo loco edemus, quas nobiscum communicavit eruditissimus vir librisque editis clarissimus Antonius Joseph Comes a Turre Rezzonici. Jam ab anno MDXLI. Rondenariensem domum commendatam fuisse colligimus ex ejusdem anni charta, in qua *Dominus Julius ex comitibus de Calepio commendatarius perpetuus prepositure domus de rondenario* appellatur. Humiliatis extinctis, Ptolemæus Gallius Cardin. Novocomensis, cui Rondenariensis & S. Martini Præpositurarum redditus commendati fue-

(*a*) Storia della Famiglia Rusca pag. 52. & 54.

fuerant, redditus eosdem ac Rondenarienses aedes pauperibus adolescentibus alendis atque ad pietatem ac literas informandis attribuit, aedesque ipsas magnifico opere instauravit. Quod munificentissimi hominis consilium Gregorius XIII. literis suis XV. Oct. MDLXXXIII. comprobavit. Collegii tamen, quod fundatoris nomen adhuc obtinet, anno tantum MDLXXXIX. initia posita sunt (*a*). In Novocomensi autem suburbio, cui Vicus nomen, duae erant Humiliatorum domus, anno MCCCXLIV. adhuc superstites 2. *Domus de vico superiori*; 3. *Domus de vico inferiori*. Superior Deiparae, S. Matthaeo inferior sacra erat. Utramque a S. Joanne de Meda aedificatam Tattus narrat (*b*); sed, ut Dissert. VI. pag. 205. vidimus, non satis probat. Certe quod ille ad suae opinionis confirmationem addit, in S. Matthaei aede Joannis vitam pennicillo descriptam adhuc videri, parum illi favet. Etenim si qua esset hujus argumenti vis, Religiosa fere omnia Coenobia ab ipso Religiosi coetus auctore exstructa dicenda essent, cujus res gestae coloribus aut typis expressae passim in illis exhibentur. Ex duabus hisce domibus anno MCCCCXXXV. unica S. Mariae domus supererat, ut ex Senensibus Comitiis eodem anno habitis constat. Huic porro S. Matthaei domum fuisse conjunctam colligimus ex charta an. MCCCCXCV. II. Jan., quam nobiscum communicavit alias laudatus Novocomensis Patricius Fulvius Tridius: *Convocato & congregato Venerabili Capitulo domus & monasterii S. Mariae de Vico Cumarum Ordinis Humiliatorum in Capella Sancti Matthaei dicti Monasterii, ubi dictum Capitulum saepe solet congregari .... mandato & impositione Venerabilis Domini Fratris Ambrosii de Marliano Praepositi praedictae domus* &c. Anno MDLXX., quamvis commendata esset, tres ibi Humiliati alebantur. Nunc vero Patribus Ord. Minimorum Ecclesia illa concessa est, quae adhuc

(*a*) Tatti Append. agli Annali Sacri di Como pag. 10. & 41.
(*b*) Vita di S. Giovanni Cap. IX.

adhuc S. Mariæ nomen retinet. Sequitur 4. *domus de zeno*, qui locus est mille fere ab urbe passus, vulgo *Ageno*. Hanc quoque, quæ a S. Clemente dicebatur, a S. Joanne de Meda ædificatam Tattus affirmat. Ego nullum illius monumentum anno MCCXXV. antiquius in Rondenariensi tabulario vidi. Cum deinde Lemocomii constructionem Novocomenses ibidem molirentur, Humiliati ad suburbanam S. Martini de Zezio ædem traducti sunt, quam illi ad extremum usque tenuerunt. Superest adhuc S. Martini Ecclesia nunc Parochiali jure ornata, ibique S. Martini simul ac S. Joannis de Meda effigies aræ maximæ imposita prostat. Hæ fuerunt in Novocomensibus suburbiis Humiliatorum ædes. Quod enim nonnulli addunt, S. Mariæ Elisabeth, nunc S. Marci Cœnobium in eodem Vici suburbio fuisse a S. Joanne excitatum, refellit optime Tattus, ostendens multo serius illius initia locanda esse, nec quidquam fuisse illi umquam cum Humiliatis commune.

XVIII. Multo plures erant Humiliatorum domus per agrum ac per diæcesim diffusæ. Ac primo binæ occurrunt ad Larium: 5. *Domus de menaxio*, vulgo *Menagio*; 6. *Domus de tremezo*. Alterius nomen etiam in Catalogo an. MCCCXLIV. occurrit. Post has recensetur 7. *Domus de tilio de supra*. Unicum est in Valle Tellina, quæ inde nomen accepit, Tillium, vulgo *Teglio*. Itaque cum dicitur *de tilio de supra*, discrimen inter duas Humiliatorum domos statuitur, quæ ibidem erant, superior altera, altera mulierum, ut videbimus, inferior. At prima hæc Vallis Tellinæ in hisce dissertationibus mentio nos monet, ut, quæ de Humiliatorum initiis differit doctissimus Vir Franciscus Xaverius Quadrius (*a*), breviter expendamus. Narrat scilicet, Insubres proceres Arduini Italiæ Regis asseclas circa an. MXV. in Vallem Tellinam secessisse, ibique Humiliatorum Ordinis initia posuisse. Quærisne, qua Scriptorum monumentorumve auctoritate novam hanc opi-

(*a*) Storia della Valtellina T. II. pag. 596. &c.

opinionem Vir Cl. confirmet? Nulla omnino. Rem ut certissimam profert, quam in dubium revocari sit nefas, quamque ullo rationum pondere comprobari supervacaneum sit. Addit Laicos homines fuisse illos, quique externis Sacerdotibus ad Sacramenta suscipienda uterentur, ut ex monumentis, inquit, Tiranensis Deiparæ templi colligimus, ex quibus etiam constat, jam ab XI. sæculo ea loca Humiliatos incoluisse. Subdit iisdem, arbitror, monumentis innixus, prope Tiranum initio consedisse illos, montesque occupasse, ut tuto iis vivere liceret; ac per æstatem quidem montem Tiranum inter ac Posclavum illos tenuisse, ubi ædicula S. Remigio sacra utebantur; per hiemem vero montem alium mille circiter a Tirano passus, ac S. Perpetuæ ædiculam quamdam illos tenuisse; eorum ædibus mulierum Cœnobium fuisse proximum; utrisque denique Hospitalis cujusdam domus curam demandari consuevisse. Optime. At Tiranensia hæc monumenta satis ne ostendunt monticolas illos Humiliatos fuisse? Mihi illa videre haud licuit; sed profecto quod Quadrius subdit, sufficere videtur, ut quæ ille refert, de Humiliatis intelligenda non esse arbitremur. Ait enim Clementem VII. eorum cœtum dissolvisse, quod certis legibus nullis, nec Pontificia auctoritate comprobatis uterentur. Atqui suas tertii Ordinis Humiliati leges, easque a Romanis Pontificibus sæpius comprobatas habebant; satisque proinde constat, Societatem illam, quam Quadrius commemorat, nihil ad Humiliatos pertinuisse.

XIX. At Vallis Tellinæ gloriæ nondum satis consultum erat; nec tertii Ordinis initia tantum, sed Claustralium etiam Humiliatorum antiquissimas domos provinciæ illi tribui oportebat. Itaque provinciam eamdem inter primas Claustralibus Humiliatis patuisse ait, præsertim post Mediolanensis urbis excidium. Qua id auctoritate statuatur, hoc etiam loco frustra exquiras. Tiliensem vero domum primam omnium in Valle Tellina fuisse, innuere videtur. Subdit enim: *E allora* (post Mediolanensem cladem)

dovette fondarsi il Monastero di S. Orsola in Teglio, che fu lungo tempo parrocchiale di quella terra, al cui governo spirituale presedeva il Preposito del Monastero. Sed aliud est debuisse aliquid, aut potuisse fieri, aliud factum revera fuisse. Nihilominus dicta confirmare aggreditur Cl. Auctor: *Argomento di tale antichità si è, che vicino a Teglio in un luogo detto Lessido v'era una casa di Umiliate, chiamata delle Sorelle; il che fa vedere, che ivi si era fondato, quando non eran ancora affatto divisi dalle lor donne*. Itane vero? Ubicumque *Sororum domos* virorum Cœnobiis proximas invenimus, Cœnobia hæc antiquissima esse judicabimus? Aut argumento hoc erit, viros per id tempus nondum omnino a fœminis sejunctos vixisse? An plurimas non videmus Carmelitarum, Minorum, Prædicatorum Ordinis Sororum domos Fratrum Cœnobiis proximas, quos tamen semper a mulieribus sejunctos fuisse certissime scimus? Humiliatorum vero domos nonne sub ipsum seculi XIV. finem animadvertimus non solum mulierum domibus proximas, sed mulieribus etiam virisque communes, quas tamen sæculo XIII. exeunte constructas fuisse constat? Ceterum optime narrat Cl. Auctor, Lexidi prope Tillium aliam fuisse Humiliatarum domum, quæ scilicet, ut arbitror, in Catalogo nostro verbis illis indicatur: *domus sororum de tilio de subtus*. Ex his in Catalogo an. MCCCXLIV. unica hæc posterior nominatur. Primam tamen etiam superfuisse ex monumentis nonnullis sæculi XV. colligo; sed ita cum nonnullis aliis domibus conjunctam, ut unicum simul omnes corpus conficerent, incolis tamen destitutæ. En tibi chartæ an. MCCCCXXVII. X. Maji fragmentum, quod vir patriarum antiquitatum peritissimus Carolus Hiacynthus Fontana Morbinio ad me submisit: *Instrumentum promissionis & obligationis rogatum a D. Antonio Fontana publico Morbinii notario die Sabati decima mensis Maji anno 1427. Indict. 5., quam fecit Honestus Dom. Frater Simon de Venetiis Benefitialis & Rector Ecclesiæ S. Petri de Lospitalle de Auriga Territorii Tillii habens actionem a Reverendissimo in Christo patre & Domino*

Dom.

Dom. Andrea Vicecomite decretorum Doctore Dei & Apostolicæ Sedis gratia totius Ordinis Humiliatorum Magistro Generali, exigendi & percipiendi fructus, redditus, proventus, & gaudimenta Domus S. Mariæ de Andeveno, Domus S. Margaritæ de Trixivio, Domus S. Ursulæ de Tillio, & domus Sororum de Tillio omnium Ordinis prædicti Humiliatorum .... solvendo annuatim præfato Domino Magistro Generali ad festum S. Martini, donec tenuerit dictas Domus .... libras quinquaginta Imperiales; ... & successivum instrumentum locationis ipso die ut supra rogatum, quam fecit antedictus D. Frater Simon de Venetiis Ordinis Humiliatorum Iconimus & Conservator Domorum &c. Ex his vero omnibus conflatam arbitror Tillii Præposituram, quam in Catal. an. MDLXX. indicari videmus.

XX. Quæ deinde succedit 8. *Domus de Clavenna*, vulgo Chiavenna, in Catal. an. MCCCXLIV. inter mulierum domos profertur, appellaturque *Domus de Landragno de Clavenna*; in Torchii autem codice sæpe dicitur, *domus de Paterno de Clavenna*. Præpositus deinde iterum huic domui est datus: Comitiis enim an. MCDXCI. interfuit *Antonius de Lupis S. Mariæ de Lacragno* (ita) Præpositus. At in Catal. an. MDLXX. inter commendatas recensetur. Quæ vero sequitur 9. *Domus de gravedona*, quod oppidum est ad Larium, an. MCCCXLIV. mulierum Cœnobium evaserat, quod adhuc superest, S. Mariæ Magdalenæ sacrum, in iisque numeratur, quæ Humiliatorum legibus adhuc vivunt. 10. *Domus de sancto gregorio*; 11. *Domus de olziate*, vulgo *olgiate*. Prima in pluribus Rondenariensis tabularii chartis nominatur, *domus sancti gregorii concellii rumi montis dugni*. Rumum porro, & Dugnum, seu Dungum non longe Gravedona absunt, ut hinc quo loco S. Gregorii domus posita esset, intelligamus. Hanc porro cum Rondenariensi domo conjunxit Tiberius Generalis Magister, ut ex illius literis constat an. MCCCLXVII. mense Augusto datis, quæ in eodem tabulario servantur. Idem fuit Olgiatensis domus fatum, ut ex ejusdem tabularii charta

 colli-

colligimus XXIV. Jan. MCCCXLVIII. Succedit 12. *Domus de sancto vitale*, quam miror inter Novocomensis agri domos recenseri, cum in suburbiis posita sit; eadem enim est ac S. Ursulæ, quæ adhuc superest, Humiliatarum domus. Illam a S. Joanne ædificatam fuisse Tattus narrat. Ac si vetusta omnia monumenta, quæ olim apud Moniales illas servabantur, consulere nobis licuisset, aliquid forte nacti essemus, quo tanta hujus Cœnobii antiquitas comprobaretur. Sed omnium vetustissima perierunt. Ex iis autem, quæ adhuc supersunt, quæque humanissimæ illæ Sanctimoniales nobis communicarunt, uti etiam ex Catalogo hoc nostro, colligimus, communem olim viris ac mulieribus domum hanc fuisse. In charta an. MCCCXVIII. IV. Jan. nominatur *frater ardricus de olzate prelatus domus humiliatorum sancti vitalis de cumis*. In charta an. MCCCXLI. XII. Nov. nominatur *frater jacobus de capite de solzago frater domus umiliatus* (ita) *sancti vitalis de cumis nomine dominarum sancti vitalis de cumis*. Ita scilicet ex proxima S. Vitalis æde dicebatur. Quin etiam tum S. Vitalis ædem, tum Nosocomium illi proximum ad Humiliatos pertinuisse suspicor ex monumento an. MCCLVI. XVI. April., ut ex iis constabit, quæ monumentum ipsum edentes disseremus. Post exstructam deinde Ecclesiam S. Ursulæ sacram, utroque nomine appellari cœpit. In charta an. MCCCLXXXVIII. XI. Apr. *congregato capitulo dominarum monialium humiliatorum ordinis sancte ursule de sancto vitali de cumis in domo ipsarum dominarum humiliatarum sita in parochia sancti systi cumis in contrata de sancto vitali foris*. Quo etiam tempore mulieribus tantum concessa fuisse domus eadem videtur. S. Ursulæ deinde nomen obtinuit, quo adhuc designatur. Humiliatorum vestibus ac legibus Sanctimoniales illæ utuntur. Ritus tamen Romanos susceperunt.

XXI. Alia deinde domus profertur, quæ, si Tatto credimus, S. Joannem auctorem habet, nempe 13. *Domus de Sorego*, vulgo *Sorico* ad Larium. Quadrius contra a Loterio Rusca hujus nomi-

nominis primo an. MCCXVIII. constructam dicit, ac testem profert Robertum Ruscam. At hic (a) Loterium quidem Humiliatis, quos valde amaret, domum S. Ursulæ sacram Surici ædificasse ait, sed fundationis annum non indicat; quin etiam nullum opinionis suæ fundamentum profert, nec certi quidquam proinde de hujus domus origine statuere possumus. Illud certum est, ad Humiliatorum usque extinctionem S. Ursulæ Surici domum apud Humiliatos fuisse. Hujus redditus deinde Cæsaris Glorierii filio commendati dicuntur in Catal. an. MDLXX. Ædes an. MDCXXIV. Patribus Ord. Minimorum concessæ (b). 14. *Domus de dervio* ad Larium. Hæc anno MCCCXLIV. supererat in sororum domum conversa; uti etiam 15. *Domus de Bellano*, quod celebre est ad Larium oppidum. Huic deinde Præpositus iterum est datus: Comitiis enim an. MCCCCXXXVI. interfuit *Fr. Johannes Præpositus Domus S. Nicolai de Bellano*. Hæc ad extremum usque superfuit, uti etiam 16. *Domus de domasio*, quod etiam notum est ad Larium oppidum. Hanc a S. Joanne fundatam fuisse Tattus opinatur; ac Deiparæ sacram dicit. At certe in omnibus Humiliatorum monumentis a S. Joanne Baptista dicitur. Multo citius dissoluta est 17. *Domus sancte marie magdalene*, quæ in hoc tantum Catalogo profertur, quæque quo loco esset ignoro. At vero 18. *domum de pontesello* in Novocomensibus suburbiis, quæ etiam S. Margaritæ dicebatur, a S. Joanne constructam fuisse ait Tattus. Ex parvo ponte, cui proxima est, nomen cepit, fuitque illa olim viris mulieribusque communis. At anno MCCCXLIV. mulieribus tantum patebat. Plura exstant apud Novocomenses S. Ursulæ Moniales monumenta, quibus illa nunc *de Pontesello*, nunc *Pontisellorum*, nunc *S. Margarite* appellatur. Inter alia Hieronymi Landriani Generalis Magistri literas vidimus an. MDXVIII. XXV. Maji

(a) Istoria della Famiglia Rusca pag. 55.
(b) Quadrio Storia della Valtell. T. II. pag. 609.

Maji datas, quibus Fr. Evangelistam de Pilatis utriusque Monialium Humiliatarum Cœnobii *S. Ursule Comi & S. Margarite Pontisellorum* confessiones excipere jubet. Circa an. MDLXX. S. Margaritæ Moniales ad S. Ursulæ traductæ sunt. Id ex Joannis Antonii Vulpii Novocomensis Episcopi literis discimus an. MDLXXXI. XV. Nov. datis, quæ in S. Ursulæ tabulario servantur. Iis enim testatur decem & amplius ante annos Cœnobium S. Margaritæ de Pontesello Ordinis Humiliatorum S. Ursulæ Cœnobio conjunctum fuisse.

XXII. Fusius licebit nobis de duabus, quæ proxime sequuntur, domibus disserere, nempe 19. *Domus de lugano*, 20. *Domus de astano*, qui pagus est non multum Lugano dissitus. Monumenta enim aliquot ad has pertinentia nobiscum humanissime communicavit Cl. P. D. Joannes Franciscus Campius Congr. Somaschæ S. Petri ad Montemfortem Mediolani Præpositus, atque aliquot etiam in Puricellianis schedis nacti sumus. Ut vero omnia, quæ Luganenses Humiliatos spectant, simul complectamur, hoc loco de Humiliatarum etiam Luganensi Cœnobio dicemus, quod in Catalogo nostro inter mulierum domos commemorari videbimus. Ac primo Luganensi S. Mariæ Nosocomio ab an. MCCXXVIII. ad an. MD. præfuisse Humiliatos, monumenta nonnulla suadent. Sed probabile est ex tertio Ordine fuisse illos. Luganensis vero domus mentio ad annum MCCL. occurrit: in quibusdam enim hujus anni chartis nominatur: *Dominus Frater Otto Prelatus Domus & Congregationis Humiliatorum & Humiliatarum de verla* (viæ nomen, in qua domus eadem sita erat) *de lugano*; quæ alibi idcirco dicitur *domus fr. ottonis* (forte ejusdem fundatoris) *qui erat filius condam Ser Ade de Gallarate*. Anno MCCCXXXIV., Guillelmo Piccinello de Torno hujus domus Prælato, sacra S. Catharinæ ædes constructa est. Astani autem domus jam ante annum MCCLXXII. exstabat, ut ex charta hujus anni XXII. Maji colligimus suo loco edenda, qua Astanensis domus cum Luga-

Luganensi conjungitur, sic tamen ut utraque suos incolas habeat, sed Astanenses Luganensibus subjecti sint. Astanensis anno MCCCXLIV. supererat; postea vero nulla illius mentio occurrit. Monialium domus S. Antonio sacra quæ initia habuerit, ignoro, nec illius ante an. MCCXCVIII. monumentum hactenus vidi. Hunc in modum duæ fuerunt usque ad sæculi XVI. initium Luganenses Humiliatorum domus, Fratrum altera S. Catharinæ, altera Sororum S. Antonio sacra. At anno MDIV. sedibus invicem mutatis Moniales ad S. Catharinæ, Fratres ad S. Antonii commigrarunt. Codicis MS. auctoritatem præfert Puricellius a Fr. Ambrosio de Invitiatis conscripti, quem Lugani servari arbitror, in quo hæc habentur: *Ego Fr. Ambrosius de Invitiatis S. paginæ professor, & professus Domus S. Mariæ Braydæ Mediol. Ordinis Humiliatorum, & olim Præpositus S. Ursulæ de Tillio Vallis Tellinæ dicti Ordinis permutavi dictam Præposituram... cum quodam Fr. Alberto de Rasis Præposito domus S. Catharinæ ibi de Lugano existente in controversia cum quibusdam hominibus dictæ terræ de Lugano, unde sibi necesse fuit relinquere dictam præposituram & permutare mecum. Unde de voluntate & consensu totius Communitatis Lugani veni huc mutando titulum S. Catharinæ in titulo S. Antonii .... & hoc fuit de anno* 1504. *die* 23. *mensis Novembris*. Porro Lugani pariter servatur monumentum, quo sedis hanc mutationem peractam confirmat an. MDV. Primus de Crispis Braidensis Præpositus, ac Generalis Magistri Vicarius.

XXIII. Anno MDLXX. huic domui præerat Angelus Maria Castaneus, de quo hæc in illius anni Catalogo: *Quello di Lugano venne al Capitolo della S. Riforma* (an. MDLXVII.)*; ma visto che le Prepositure erano triennali, se ne fuggì subito, essendo ancor l'Illustrissimo Borromeo in Cremona*. Hinc Helvetiis præsertim annitentibus etiam post Humiliatorum cœtum deletum in præpositura illa retinenda, redditibusque percipiendis constans fuit Castaneus, parum de censuris in contumaces Humiliatos latis sollicitus; donec

ali-

aliquando facti pœnitens Pontificiis jussis paruit. Rem habemus in monumento an. MDXCI. a Castaneo ipso narratam, quam placet ipsius verbis referre. *Die lunæ 17. mensis Junii 1591. in Burgo Lugani præsentatus* (coram Episcopo Novocomensi) *R. D. Presbiter Angelus Maria Castaneus Luganensis ætatis annorum 53.* (legendum 59., ut mox videbimus) *Interrogatus respondit: = Io mi feci dell' Ordine de Humiliati in Milano nel Monastero fuori di Porta Nuova, hora chiamata la Canonica, in età d' anni 15., et mi diede l' abito il Generale dell' Ordine, che era Monsignor Hieronimo Torchio &c. Presi il suddetto abito de Humiliati, perchè un mio Zio, che era Prevosto pur de S. Antonio d' Humiliati di Lugano me voleva rinonziar, siccome ancora me rinonziò la detta Prepositura, credo che fosse l' an. 1547.* (Enimvero in Torchii Codice pag. 47. ad III. Aug. MDXLVII. hæc habentur: *Receptio in Novitium Fratris Angeli Mariæ Castanei cum professione facta unico contestu cum dispensatione super ætate.* Hinc subditur ejusdem præposituræ collatio in Angelum Mariam a Stephano de Castaneis patruo eadem die facta. Hinc cum anno MDXLVII. Angelus Maria XV. annos, ut vidimus, numeraret, anno MDXCI. non LIII., sed LIX. annum attigerat); *e l' ho goduta fino al tempo di Papa Gregorio, se ben Pio quinto aveva suppresso l' ordine nostro, se ben a me per un pezzo parve strano d' esser punito senza aver fallato; e però fui renitente a lassarla. Finalmente da Dio inspirato cedetti, e rinunziai liberamente in mano di Papa Gregorio a favore di M. Prete Lancellotto Robbiano &c. Io vado in abito di Prete secolare per Indulto Apostolico eseguito dall' Illustrissimo Cardinal Borromeo S. M., come esecutore Apostolico di Papa Gregorio XIII., come costa dalla data del Breve delli X. di Marzo 1581. &c. e perchè in essa esecuzione è ordinato, che porti sotto l' abito della Religion mia, così ho sempre fatto, e lo faccio; e l' ha mostrato; e appresso ancora dice di osservare i tre voti, come canta l' indulto et l' obbligo suo &c. Io dico l' ufficio alla Patriarchina &c.* (Aquilejensis Ecclesiæ ritus indicatur, quo Novocomensis Ecclesia etiam post Tridenti-

dentinam Synodum diu usa est). Ædes illæ PP. Congr. Somaschæ deinde concessæ. Humiliatæ Sanctimoniales Lugani adhuc florent, de quibus sollicitus in primis S. Carolus fuit. Exstant enim in Puricellianis schedis illius literæ ad Specianum datæ 1. Oct. MDLXX., quibus illum monet, ut Domasiensis Præposituræ redditus illis concedendos curet, *le quali*, ait, *sono povere, et hanno portato sempre buon nome*. Quin etiam literas Febroniæ Carliæ; quæ illi Cœnobio an. MDCXXXIV. præerat, ad Puricellium XXVII. Oct. datas vidi, quibus narrat, S. Carolum, cum Cœnobium illud adiisset, quod paupertatis caussa clausuræ legibus nondum tenebatur, XXX. aut XL. aureos dono illi dedisse, ut clausuræ servandæ initium quoquomodo fieret.

XXIV. Duæ adhuc recensendæ supersunt fratrum ac sororum communes hujus provinciæ domus: 21. *Domus de cordula*, qui pagus est in Locarnensi agro; ac 22. *Domus de locarni*, quod celebre est Helvetiorum oppidum. Utramque a S. Joanne fundatam Tattus existimat, siquidem, ut arbitror, Locarnensem domum intelligat, cum S. Pancratii domum in Locarni insula nominat. Utraque an. MCCCXLIV. in sororum domum conversa fuerat: prima nusquam alias memoratur: alteri deinde Præpositus iterum datus est. Comitiis enim an. MCCCCXXXVI. adfuit *Fr. Galdinus Præpositus domus de Locarno*. Anno MDLXX. adhuc supererat. Tum Locarnensis, tum Luganensis Præposituræ redditus Patrum Soc. Jesu Collegio in iis oppidis construendo attribui vehementer optabat S. Carolus. Sed cum justo sociorum numero alendo impares essent, res exitu caruit (*a*). Paucæ deinde subduntur in eadem *fagia* sororum domus, scilicet 1. *Domus sororum de tilio de subtus*, de qua jam sermo fuit; 2. *Domus de sancto syxto*; 3. *Domus de ugurio*, quæ, quo loco essent, ignoro, nec deinde usquam memorantur. 4. *Domus de mendrixio*; 5. *Domus sancti johannis de mendrixio*, quod notum est ad Larium oppidum: utraque an.

 MCCCXLIV.

(*a*) Oltrocch. in Not. ad lib. II. Cap. XXVIII. Vit. S. Car. col. 209.

MCCCXLIV. supererat. Quæ primo loco nominatur eadem forte est ac S. Ursulæ domus, quæ Novocomensi deinde S. Ursulæ Cœnobio conjuncta fuit; ubi plura exstant ejusdem domus monumenta. In charta an. MCCLXVIII. *vigesimo secundo intrante Novembri* fit mentio *Domine benvenute filie quondam madii de canedo de novezano, que stat mendrixii, consororum domus, seu congregationis dominarum humiliatarum de mendrixio, que stant & habitant in domo, que quondam fuit ser finilis de calderario, ministre ipsius domus*. Eadem in charta an. MCCCXXI. XXIX. Nov. dicitur *domus & conventus de faldriana de mendrixio*. In eodem porro tabulario Jacobi Landriani Generalis Magistri literas vidimus XVII. Apr. MCCCCLXXVIII. datas, quibus *Monasterium S. Ursulle de Mendrixio Monasterio S. Ursulle Cumarum* conjungi jubet. Denique 6. *Domus de Lugano*, de qua superius dictum est. Aliæ nonnullæ occurrunt in Catal. an. MCCCXLIV. tum Fratrum tum Sororum Domus, quæ in antiquiore desiderantur, seu quod serius constructæ fuerint, seu quod aliis nominibus designentur. Ac primo nominatur *Domus de Adevena*, seu potius *Andevena* in Valle Tellina, Tilliensi deinde domui conjuncta, ut vidimus num. XIX. Inter Sororum domos recensentur *Domus fratris Gandulfi*, & *Domus de campo*, mihi omnino ignotæ; & *Domus de Tresinio*, seu potius *Trexivio* in Valle Tellina, Tilliensi pariter deinde conjuncta. Aliam fuisse Castilioni, quod superius dicitur; aliam apud Dubinum in Valle Tellina Humiliatorum domum asserit Quadrius, illam ex monumento an. MCCX. IV. Oct., hanc ex pluribus Andreæ Vicecomitis ætate monumentis. Præterea in Humiliatorum Comitiis an. MCCCCXXXVI. Domum *de Rive* nominari videmus, quæ domui *de Zeno* conjungi jubetur. Ad Humiliatos etiam S. Cæciliæ, seu S. Crucis Novocomense Monialium Cœnobium olim pertinuisse, ait Tattus (a), quod circa an. MCCCCXC. Augustinianas leges amplexum est. Sed cum nulla mihi hujus mentio

umquam

(a) Annal. Sacr. Dec. II. pag. 715.

umquam occurrerit, suspicor Humiliatas hic etiam latiore sensu appellari. Denique S. Mariæ de Torello Cœnobium a nonnullis S. Joanni tribui, ait Tattus; falso id tamen dici addit, cum ad Canonicos Regulares pertinuerit illud, ac B. Guillelmum Turrianum Novocomensem Episcopum fundatorem habuerit.

XXV. Paucis *fagiam de Mantua* expediemus, quæ ultima Austriacæ in Italia ditionis pars illustranda superest. *In Mantua*, ait Joannes Braidensis, *erant domus Fratrum cum suis Religiosabus tres*. Noster autem Catalogus: *in fagia de Mantua prima domus fratrum de sancta maria*. Nemo, quod sciam, ex Mantuanis historicis hanc Humiliatorum domum Mantuæ fuisse innuit. Fuisse tamen certissimum est & ex Catalogo hoc nostro, & ex Novocomensibus Humiliatorum Comitiis an. MCCCXLIII., ex quibus colligimus, domum hanc ante eumdem annum S. Thomæ domui conjunctam fuisse: hoc enim decretum latum est: *Definimus, quod fratres & sorores S. Mariæ Novæ de Mantua recedant a domo S. Thomæ, & redeant ad dictum Conventum suum, cum omnibus possessionibus, & bonis domus olim dictæ S. Mariæ Novæ non obstante aliqua unione hactenus facta*. Decretum tamen exitu caruisse videtur; neque enim aut in Catal. an. MCCCXLIV., aut in ullo alio posteriore monumento domus illa commemoratur. 2. *Domus sancti thome*. P. Hyppolithus Donesmondius primam hujusce domus mentionem ad an. MCCLXVII. facit (a), affirmatque in ejusdem anni monumento Fr. Apollonium Priorem Humiliatorum S. Thomæ nominari, quam ædem aliquot ante annos fuisse illis concessam narrat. Diu illas Humiliati incoluerunt, angustas tamen, nec satis opportunas. Quapropter cum an. MCCCCXXXVI. Mantuæ Comitia agerentur, Monasterium S. Mariæ de Credario (vulgo *di Gradaro*), quod ad S. Marci Canonicos Regulares pertinebat, celebrandis conventibus impetra-

(a) Stor. Eccles. di Mantova P. I. Lib. IV. pag. 292. 293.

trarunt, ut ex eorumdem actis patebit. Hinc oblatam mutandæ sedis occasionem ultro arripuerunt. Cum enim Canonicorum S. Marci cœtus, cujus maxima olim erat fama, fere omnino dilaberetur, anno MCCCCXCIX. S. Marci domum deserere coacti sunt, atque ad suas singuli domos redire (*a*). Hinc S. Mariæ Magdalenæ Moniales, quibus extra urbem Cœnobium erat, in illas ædes inductæ sunt; quas cum minus opportunas experirentur, anno MDXII. ad domum in S. Spiritus vico coemptam commigrarunt. Tum vero ex Canonicis nonnulli ædes illas iterum ingressi pristinum cœtum restituere conati sunt, sed irrito eventu. Itaque illis decedentibus easdem Humiliati adierunt (*b*). Antequam Humiliatorum cœtus extingueretur, commendata domus illa erat, quin etiam jam a Caroli de Advocatis tempore, ut ex ejus Codice pag. 61. cognoscimus. In Catal. an. MDLXX. domus S. Thomæ appellatur, an quod ad illam Humiliati redierint, an quod novas ædes antiquo nomine designarint, ignoro. S. Marci Cœnobium deinde an. MDLXXXIV. Camaldulensibus Monachis concessum; in S. Thomæ ædes an. MDCI. Clerici Regulares Infirmis Ministrantes inducti (*c*). Hisce denique additur. 3. *Domus de talieto* mihi omnino ignota.

XXVI. Sabaudæ nunc ditionis domos illustrare aggredimur, quæ tribus *fagiis* continentur, Novariensi, Vercellensi, Alexandrina. Atque ut a Novariensi initium ducamus, *in Novaria & ejus Diœcesi*, ait Braidensis Chronici auctor, *erant domus fratrum cum suis religiosabus undecim; Cœnobia religiosarum per se erant tredecim*. De quibus ut fuse diligenterque differere nobis liceret, effecit eruditissimus Gaudentianæ Basilicæ Canonicus Joannes Baptista Bartolus, qui cum patriæ suæ monumenta accuratissime ve-

(*a*) Ib. P. II. Lib. VI. pag. 89. 92.
(*b*) Ibid. P. II. Lib. VII. pag. 114. 115.
(*c*) Ibid. P. II. Lib. VIII. pag. 262. Lib. IX. pag. 368. 369.

vestigarit, plurima, quæ ad institutum nostrum pertinerent, humanissime ad nos submisit; ex quibus ne in immensum hæc Dissertatio excurrat, præcipua quædam tantummodo rerum capita seligere inviti cogimur. Itaque *in fagia de Novaria*, ita in Catalogo nostro, 1. *Domus fratrum sancti simonis*, quæ etiam SS. Simonis & Judæ frequentius dicitur. Prima in monumentis a me inspectis hujus domus mentio in charta an. MCCLVIII. occurrit; qua *Fr. Olricus de sancto symone Canevarius Communis Novariæ* nominatur. Olim in suburbiis posita erat: hinc in charta an. MCCCXLI. apud Novarienses S. Augustini Sanctimoniales commemorari videmus *Fr. Ardicinum de Blandrate Præpositum Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ in suburbiis Novariæ*. Nunc vero mœnibus inclusa est. In Catalogo an. MDLXX. Fratribus vacua, & Cardinali Morono commendata dicitur. In Novariensibus pariter suburbiis posita erat 2. *Domus sancte crucis*, mœnibus nunc & ipsa inclusa. Lazarus Augustinus Cotta in MSS. quibusdam ad Novariense Musæum suum supplementis, quæ Novariæ asservantur, ait an. MCCXII. Gregorium Besutium domus hujusce Præpositum fuisse. Humiliatis extinctis illius redditus Helvetico Mediolanensi Collegio, ædes Novariensi Seminario concessæ (*a*).

XXVII. Obscurior est, quæ sequitur, 3. *Domus de porris*, quæ in Catal. an. MCCCXLIV. *Domus S. Joannis de Porris* dicitur. Eamdem ego fuisse suspicor ac *Domum S. Joannis*, seu *S. Joannis Baptistæ*, quæ etiam *de Hortello* appellabatur, cuique *Hospitale Rastellorum* conjunctum erat; quam Novariæ fuisse ex pluribus monumentis Novariensibus colligo; quæque tamen in Catalogis nostris omittitur. Sed illud obstat, quod Moniales hujusce domus incolæ Augustinianas leges sequebantur. In charta enim an. MCCCCVII. apud Novarienses S. Agathæ Sanctimoniales hæc habemus: *Religiosæ Dominæ Andreola de Brusatis, & Gulielmina* de

(*a*) Oltrocch. Not. ad Vit. S. Caroli col. 487. not. a.

de Salvengo Monasterii S. Joannis de Rastello secundum regulam S. Augustini viventes, quod propter bellum non habebant Rectricem, postularunt incorporari in Monasterio S. Agathæ, quod deinde perfectum est. Fieri tamen potuit, ut olim ad Humiliatorum Ordinem pertineret illa. Enimvero monumentum an. MCCCXLI. in eodem Cœnobio servatur, ex quo hæc excerpimus: *Die 5. Decembris existente Potestate D. Grazio Vicecomite in Burgo S. Lucæ cohærenti civitati Novariæ, videlicet in domo infrascriptorum Humiliatorum & Monialium SS. Joannis Baptistæ, S. Mariæ Fabricæ Mundi, & Hospitalis Rastellorum sita in burgo prædicto S. Lucæ; ibique soror Golzana ministra domus prædictæ* &c. Vides hic duas domos, præter Hospitale, olim distinctas (prima enim ad S. Gaudentii, altera ad S. Mariæ majoris parœciam pertinebat) tamquam unicam nominari. Arbitror itaque tres hasce domos, nempe S. Joannis Baptistæ, S. Mariæ Fabricæ Mundi, quæ etiam S. Mariæ Novæ, & S. Mariæ de Muriculis dicebatur, & Hospitalis Rastellorum fuisse ante an. MCCCXLI. simul conjunctas. Ac domum quidem S. Mariæ Fabricæ Mundi Humiliatorum non fuisse suspicari quis posset, cum in Catalogo nostro non recenseatur, ac nihilominus anno MCCCXII. superfuisse adhuc illam constet ex ejusdem anni charta, quæ in S. Agathæ Cœnobio servatur: *Decreto fratrum, Jacobus Rector Minister Domus Ecclesiæ fratrum & sororum S. Mariæ fabricæ mundi civitatis Novariæ fecit cambium &c.* Sed alio forte nomine hæc in Catalogo nostro designatur, quod sæpissime contingere videmus; quod etiam de Hospitali domo de Rastellis dici posset, nisi potius arbitremur ad tertii Ordinis Humiliatos hanc pertinuisse. Domum vero S. Joannis eamdem, ut dixi, fuisse arbitror ac domum S. Joannis de Forris. Cum vero Joannes Vicecomes Novariensis Episcopus (qui ab an. MCCCXXIV. ad an. MCCCXXXIX. illi Ecclesiæ præfuit, a qua eodem anno ad Mediolanensem translatus est, quamvis hanc solum an. MCCCXLII. adie-

adierit (a). Novariensem arcem in S. Lucæ suburbio construendam mandasset (b)), ædes illius regionis quamplurimæ eversæ fuerunt. Porro hac occasione probabile est ex tribus memoratis domibus, quæ in eodem suburbio sitæ erant, unam, aliis excisis, superfuisse, cui aliarum redditus simul ac nomina adderentur; ac proinde an. MCCCXLI. appellaretur *Domus S. Joannis Baptistæ, S. Mariæ Fabricæ mundi, & Hospitalis Rastellorum.* Fieri denique procedente tempore potuit, ut cum solæ mulieres in iis ædibus superessent, illæ rejectis Humiliatorum legibus Augustinianas amplecterentur. Hæc tamen omnia per conjecturam unice dicta sunto ad rem obscuram, si quo modo fieri potest, illustrandam. Novariæ denique erat 4. *Domus sancti thome.* Hæc anno MCCCXLIV. a mulieribus solum incolebatur, quæ diu ibi steterunt: nam in Torchii Codice pag. 12. ad diem XVIII. Aug. MDXXXVI. hæc habentur: *Soror Maria de Suardis professa in Monasterio de circulo deputata fuit Ministra Monasterii S. Thome Novarie.* At deinde Monialibus amotis Præpositus illi domui est datus. Ita enim in eodem Codice pag. 23. ad diem XXVII. Dec. MDXLI. *Extinctio & suppressio Monasterii seu Ministratus S. Thome Novarie, cum erectione in preposituram, & ejus collatione & provisione facta in personam Domini Fr. Laurentii de Blanchardis.* Enimvero Moniales illas Sanctimonialium Cœnobio Deiparæ ab Angelo salutatæ sacro conjunctas fuisse affirmat Cl. Canon. Bartolus.

XXVIII. Novariensis deinde agri domus succedunt, nempe 5. *Domus de galliate.* Galliati, quod frequens est quinto circiter ab urbe lapide oppidum, duplex erat an. MCCXCVIII. Humiliatorum domus, fratrum ac sororum altera, altera sororum tantummodo. Anno vero MCCCXLIV. utraque in sororum do-

(a) Ughell. Ital. Sacr. T. IV. in Archiep. Mediol., & in Episc. Novar. Saxius Ser. Archiep. Mediol. T. II. pag. 799.
(b) A Basilica Petri, Novaria pag. 466.

domum transierat. 6. *Domus de burgo ticini; 7. domus que stat, ibi.* Duplicem in hoc etiam oppido ad Ticinum fluvium Humiliatorum domum fuisse videmus, quarum altera lepida illa appellatione distingueretur, *domus que stat*. Unica, eaque mulierum tantum an. MCCCXLIV. supererat, cujus frequentem occurreret in Novariensibus monumentis mentionem animadvertit Can. Bartolus. Postea tamen Præpositus huic domui iterum datus est; Comitiis enim an. MCCCCXCI. interfuit *Baptista de Fantino S. Mariæ de Burgo Ticini* Præpositus. Humiliatis extinctis hujus domus redditus Helvetico Mediolanensi Collegio attributi. 8. *Domus major de trecbate; 9. Domus minor, ibi.* Unica Trecati, quod celebre est Novariensis agri oppidum, an. MCCCXLIV. supererat, eaque Humiliatarum, domus. At vero 10. *Domus vetus de Cerrano*, & 11. *Domus nova ibi*, simul cum tertia Humiliatarum domo, quæ *de Castello* dicebatur, quam mox proferemus, eodem anno supererant, sed in mulierum domos conversæ. Omnes præterea in quadam Sacerdotiorum descriptione a Guillelmo Novariensi Episcopo an. MCCCXLIV. confecta nominantur. Ex his una S. Bartholomæo sacra an. MDXXV. supererat, ut ex Advocati codice pag. 31. constat; easque deinde Moniales Novariensi S. Barbaræ Humiliatarum Cœnobio conjunctas fuisse, Puricellianæ schedæ docent. Has Humiliatorum Novariensium domos Catalogus noster enumerat. At in Catalogo an. MCCCXLIV. post domum S. Joannis de Porris *domus de Gullari* succedit. Quid sibi velit vox illa *Gullari*, aut quæ hic domus designetur, ignoro. Arbitror librarii vitio vocem illam corruptam; sed quænam illi sufficienda sit, divinare non ausim.

XXIX. Jam vero ad Novariensium Humiliatarum domos accedamus. 1. *Domus sororum de Strexa*, seu *stresa* ad Verbanum, quæ an. MCCCXLIV. supererat. 2. *Domus de paranza*, corrupte pro *de Pallantia*, quod celebre est in eadem ora oppidum. Huic deinde Præpositus datus, nam & an. MCCCCXCI. Joannes de

So-

Solario, & an. MDLII. Cornelius Torchius hujusce domus Præpositi, quæ S. Catharinæ sacra erat, Comitiis interfuerunt. Humiliatis extinctis illius redditus, tenuissimos tamen, Leuci Præposito S. Carolus concessit (a). 3. *Domus de pombia*: adhuc exstabat an. MCCCXLIV. 4. *Domus de momo*. Momi in Novariensi agro Sanctimonialium Cœnobium floret S. Mariæ olim, nunc S. Bartholomæi appellatum. Sed nihil illi cum hac Humiliatorum domo commune fuit. Hæc enim in Advocati & Torchii Codicibus S. Mariæ Magdalenæ semper appellatur. Quin etiam quis illius exitus fuerit ex Torchii codice docemur. Ibi enim postquam pag. 20. ad d. XIV. Maji MDXL. hæc habentur: *Collatio seu provisio facta de Ministratu S. Marie Magdalene Momi dioc. Novar. Domine sorori Cecilie de Gallarate dicti monasterii professe*; hæc subduntur pag. 29. ad d. XXX. Jul. MDXLIX. *Unio facta de Monasterio S. Marie Magdalene Momi cum Monasterio S. Marie de la anuntiata de le caselle Novarie, ita quod sit unum Monasterium, videlicet S. Marie de la anuntiata*: hinc subditur ad eamdem diem: *Electio cum confirmatione ministre facta de sorore Cecilia de Gallarate monasterii predicti de la annuntiata*. De iis, quæ proxime sequuntur, nempe 6. *Domus de cerrano*, 7. *Domus de trecbate*, jam diximus. 8. *Domus de brenate*. Brinatum, vulgo *Bernate* ad Ticinum non ad Novariensem, sed ad Mediolanensem agrum pertinet. Itaque *de Pernate* legendum arbitror, qui pagus est non multum Novaria dissitus. Anno MCCCXLIV. supererat, uti etiam 9. *Domus sancti agapiti*. Legendum videtur *S. Agabii*, cujus Novariensis Episcopi frequens ibi est cultus. Sed quo loco esset, incertum. Etiam 10. *Domus de Romentino* in utroque Catalogo profertur, sed in posteriore additur *ibi supra*, nempe Novariæ, quibus verbis indicatur, in urbe illam, aut non longe ab urbe fuisse. At Romentinum pagus longius distare videtur, quam ut possit inter urbis fines concludi.

(a) Oltrocch. Not. ad Vit. S. Car. col. 209. not. a.

XXX. Sequitur 11. *Domus de galliate*, de qua jam diximus. Succedit 12. *Domus de sancti Nicolai* (ita); cui pariter in posteriore Catalogo additur, *ibi*, nempe Novariæ. Domus hæc S. Nicolao sacra, S. Barbaræ deinceps dicta est. Ita in Advocati Codice pag. 29. *Casa delle Monache di S. Barbara*, *la quale per altri tempi si domandava di S. Nicolao*. Porro animadvertendum est duplex olim fuisse S. Barbaræ Sanctimonialium Novariæ Cœnobium; suburbanum alterum apud S. Laurentii ad Puteum, quæ ædes olim a Benedictinis Monacis incolebatur, quibus earumdem Monialium cura commissa fuerat. Sed his nihil cum Humiliatis commune; easque an. MDCXLI. Joannes Antonius Tornielius Novariensis Episcopus ad S. Augustini Cœnobium transtulit. Urbanum alterum erat, de quo scilicet agimus. Hujus vices Advocatus idem enumerat pag. 98. *La Casa e Monastero delle Monache di S. Barbara*, *le quali per altro tempo si domandavano di S. Nicolao di Novara*, *perchè esso Monastero loro era appresso a la giesia parochiale di S. Nicolao: poi si transmutarono*, *et sono venute a stare presso a S. Quirico de Novara*. Hæc vero S. Quirici ædes eadem est, quam nunc PP. Ordinis Prædicatorum incolunt. De hac domo sermo est in Puricellianis schedis, in quibus narratur, S. Simonis Sanctimoniales (illas arbitror, quæ S. Simonis ædes fratribus sororibusque communes anteá incolebant) huic Cœnobio conjunctas olim fuisse; atque etiam LV. ante annos Moniales S. Bartholomæi de Ceredano, vulgo *Cerrano*, de quibus diximus. Quin etiam Cinthiæ nescio cujus, quæ huic Cœnobio præerat, literas in iisdem schedis vidi III. Febr. an. MDCXXXII. ad ipsum forte Puricellium datas, quibus illum enixe obsecrat, ut Novariensem Episcopum a suscepto illius Cœnobii dissolvendi consilio amovendum curet. Consilium tamen ad exitum perductum fuisse videtur; neque enim ulla amplius hujusce Cœnobii mentio occurrit. 13. *Domus de urgiunto*, seu *de urgunto*. Antiquum hoc est in Oscelæ Comitatu oppidum, quod etiam *Petra Sancta* est appellatum,

ex

ex lapide Martyris alicujus sanguine, ut fertur, asperso. Hujus oppidi antiquitatem egregie nuper illustravit Cl. P. Guido Ferrarius Soc. Jesu (*a*). Cum vero circa XIII. sæculum exundantium aquarum vi obrutum illud fuisset, incolæ ab antiqua sede paullum recedentes Voconiam, vulgo *Vogogna*, condidere. Ac forte in ipsis Urgunti ruinis Humiliatorum domus, quæ an. MCCXCVIII. exstabat, eversa est; nulla enim posterior ejus mentio. Denique 14. *Domus de archamaria*. Arcamaria, olim Arcus Marianus, pagus est, vulgo *Camariano*, Novariam inter ac Vercellas, nuper ab eodem auctore illustratus (*b*). Anno MCCCXLIV. superstes ibi adhuc erat Humiliatarum domus.

XXXI. Tres alias Sanctimonialium ædes posterior Catalogus enumerat, in priore omissas, aut aliis nominibus designatas. *Domus de longirolo*, quæ quo loco fuerit, ignoro. *Domus de Varoli*, scilicet *de Varallo Pombia*; ita enim in memorata Sacerdotiorum descriptione: *Humiliatæ de Varallo Pombiæ*. Denique *Domus de Sorisia*. Sorisia olim unus erat cum Gargallo pagus. Hinc in veteribus monumentis sæpe dicitur *de Sorisio sive de Gargallo*, ac vicissim. Nunc vero duplex est. Gargalli porro locus adhuc superest, qui *Conventus* dicitur, fortasse vetustæ hujus Humiliatarum domus vestigium. At in neutro Catalogo domus alia recensetur, (nisi forte alio nomine indicetur), quæ certissime ad Humiliatas pertinuit, Deiparæ ab Angelo salutatæ sacra, quæ etiam *de Casellis* dicebatur. Illius mentionem fecimus num. XXIX. Commemoratur illa etiam in Advocati Codice pag. 30., ubi ille narrat tributa omnia se hisce Monialibus paupertatis caussa remisisse, *& maxime quod in eodem Monasterio feci Monialem unam neptem meam filiam sororis mee Domine Cassandre*. Erat illa olim in suburbiis posita. Anno autem MDLII. suburbiis excisis prope S. Claræ

(*a*) Lettere Lombarde Lett. VIII.
(*b*) Ibid.

Moniales illæ consederunt ; donec anno MDCXXXIX. eidem S. Claræ Cœnobio conjunctæ sunt ; in cujus conjunctionis monumento non Humiliatæ, sed Benedictinæ illæ appellantur ; forte quod S. Benedicti leges post Humiliatorum extinctionem amplexæ fuerant.

XXXII. At vero in Novariensibus monumentis aliæ occurrunt Humiliatarum domus : in memorata enim Sacerdotiorum descriptione hæ præterea Novariensi urbi ac suburbiis tribuuntur : *Humiliatæ S. Agathæ : Humiliatæ S. Catharinæ : Humiliatæ S. Mariæ Magdalenæ : Humiliatæ S. Christophori : Humiliatæ S. Gottardi : Humiliatæ S. Margaritæ : Humiliatæ S. Helenæ : Humiliatæ S. Agnetis : Humiliatæ S. Salvatoris*. Et forte ex his nonnullæ ad Humiliatos pertinuerant olim, aut in nostris etiam Catalogis, sed aliis nominibus, designantur ; aut, quod probabilius est, latiore quodam sensu Humiliatæ appellabantur, ut alias factum vidimus, aut denique ad tertium Humiliatorum Ordinem pertinebant. At sane S. Agathæ Sanctimoniales jam ab an. MCCCCVII. S. Benedicti leges amplexæ fuerant, quas nondum Humiliati susceperant : in charta enim ejusdem anni habemus : *Domina Lanfranchina de Blandrate Abbatissa . . . Monasterii S. Agathæ Ordinis S. Benedicti*. Vix enim per ea tempora videmus aut Humiliatarum domos Monasteria appellari, aut, quæ illis præesset, dici Abbatissam, aut Sanctimoniales Humiliatas Ordinis S. Benedicti dici. Anno autem MDXI. S. Agathæ Sanctimoniales Canonicorum Regularium leges amplexæ sunt, quas adhuc servant. Huic Cœnobio Humiliatæ S. Catharinæ additæ sunt, quas Augustinianis quoquomodo legibus vixisse ex charta an. MCCCCXXXIX. colligimus : *Cum in Monasterio S. Catharinæ extra muros Novariæ non esset aliqua certa Regula, nec pro certo sciretur, cujus Ordinis Moniales illæ existerent, licet ab aliquibus asseratur illas esse Ordinis S. Augustini sub cura Fratrum Prædicatorum* &c. Humiliatarum S. Mariæ Magdalenæ, quæ etiam *de Grittis* vocantur, mentio occurrit in Joannis Vi-

ceco-

cecomitis Novarienſis Epiſcopi literis an. MCCCXXXIX. datis, quæ in eodem Cœnobio ſervantur: *Prioriſſa, Humiliatæ, & Sorores S. Mariæ Magdalenæ, quæ appellantur conſorores & Humiliatæ de Grittis in ſuburgo S. Gaudentii Civitatis Novariæ*. Sed & iſtæ *Ordinis S. Auguſtini* appellantur in charta an. MDIII. His vero Cœnobium Humiliatarum *S. Chriſtophori de Barragiolo* an. MDXLVIII. conjunctum eſt; ſed ex ipſo conjunctionis decreto a Joanne Antonio Card. Serbellonio Novarienſi Epiſcopo lato, nihil illis fuiſſe cum Humiliatis commune, intelligimus: *Reperuimus in eo tantum quatuor moniales profeſſas degere, quæ licet alias honeſtam vitam ducerent, tamen nullam certam regulam habebant*.

XXXIII. Ad Humiliatas S. Gottardi quod attinet, videntur illæ cognominis Noſocomii curam geſſiſſe, quod olim Novariæ erat, ac forte tertii Ordinis leges illæ profitebantur. S. Agnetis Cœnobia, an. MCCCLXXII., ut mox videbimus, conjunctæ fuerunt. Noſocomium vero ipſum Novarienſi Noſocomio majori a Sixto IV. additum. S. Margaritæ Humiliatas Sanctimoniales Auguſtinianis legibus vixiſſe, hinc ſuadetur, quod an. MCCCLIII. S. Auguſtini Cœnobio conjunctæ ſunt. Humiliatarum S. Agnetis mentio occurrit in Novarienſibus ſtatutis an. MCCCXLVI., in quibus nomen occurrit *Maffioli Caſſoni ſindici & procuratoris Miniſtræ & humiliatarum S. Agnetis*; & in charta an. MCCCLXXII. *Domina Johanna de Bellinzago Miniſtra Humiliatarum S. Agnetis obtinuit a Domino Oldrado Epiſcopo Novarienſi Domum Humiliatarum S. Gottardi in parochia S. Dionyxii veteris*. Utrum iſtæ ad Humiliatos vere pertinuerint, definire non auſim. At certe ad illos quoquomodo pertinebant Humiliatæ S. Salvatoris. Anno enim MCCLXXVIII. cum Magdalena de Cottis Viglevanenſis Novariæ in S. Salvatoris vico Sanctimonialium domum conſtrui ſupremis tabulis juſſiſſet, ac voluntatis ſuæ curatorem Julium de Pratoridolio SS. Simonis & Judæ Præpoſitum nominaſſet, ille Sanctimoniales haſce SS. Simonis & Judæ Præpoſito ſubeſſe juſſit.

At

At ſimul edixit, ut *S. Auguſtini regulam* amplecterentur. Ex quo intelligimus, fuiſſe quidem domum illam Humiliatorum juri obnoxiam; ſed Auguſtinianis legibus vixiſſe. Verum eodem anno diſſoluta illa eſt. Virgines enim ſedibus iiſdem excedere Calendis Septemb. juſſæ ſunt, quas ſibi Julius Cicada vindicavit, ac per legitimam ſententiam obtinuit; neque Humiliatarum hujuſmodi ulla amplius mentio occurrit. In Novarienſi autem agro, præter illas, quæ in Catalogis noſtris recenſentur, in allata Guillelmi Epiſcopi deſcriptione numerantur *Humiliatæ de Burgo Lavezzario; Humiliatæ de Marano*, (quæ in charta apud S. Agathæ Sanctimoniales dicuntur *Humiliatæ de Marano Ordinis Invalidarum*); *Humiliatæ de Agrate; Humiliatæ Agnelenghi*. Gaudiani etiam, vulgo *Gozzano*, Humiliatas fuiſſe chartæ ibidem ſuperſtites teſtantur: De quibus omnibus quid ſtatuam, neſcio; ſed probabiliſſimum eſt, aut latiore ſenſu Humiliatas fuiſſe illas dictas, aut ad tertium Ordinem pertinuiſſe. Siziani denique Fratrum ac Sororum communis domus circa an. MCCXCVIII. fuiſſe videtur. In charta enim ejuſdem anni apud S. Agathæ Sanctimoniales hæc habemus: *Ubrica Trovabovi filia qu. D. Rigordi de Siziano confitetur ſe habuiſſe & recepiſſe a fratre Joanne S. Clementis de Siziano nomine Humiliatorum ſupraſcriptæ Eccleſiæ pro venditione terræ ſediminis, in quo dictæ Humiliatæ, & prædictus frater habitant &c.*

XXXIV. Novarienſem *plagiam* excipit Vercellenſis, quæ tamen Subalpinæ etiam regionis, & Montisferrati urbes complectitur. Ideo autem Vercellæ tamquam provinciæ caput conſtitutæ videntur, quod antiquiſſima ibi eſſet Humiliatorum domus, ut de BB. Horico & Bruna diſſerentes oſtendimus. *In Vercellis*, ait Joannes Braidenſis, *erant domus fratrum cum ſuis Humiliatabus duæ; cœnobia religioſarum per ſe erant unum*. S. Chriſtophori ſcilicet ac S. Martini domus fratribus ac ſororibus communes erant, quarum unam, ac fortaſſe etiam alteram circa an. MCXLIV. conſtructam diximus. At tres lapides, qui in S. Chriſtophori adhuc

ſer-

servantur, multo recentiorem hujus templi ædificationem indicant; quorum alter sic habet: *Nicolino ex Conradis Lignanæ hujus templi Antistiti & Conditori, optimeque de Religione Humiliatorum merito, Joannes Angelus Lignana tumulum hunc, & sibi posterisque suis ponendum curavit MDLXXVI.* Porro, qui hic nominatur, Joannes Angelus Lignana idem esse videtur, ac qui in Catal. an. MDLXX. Aquensis Præpositus dicitur. Ac proinde ab illo distinguendus est Joannes Angelus alius, qui in altera inscriptione commemoratur, quique Nicolini superius nominati pronepos dicitur: *Joannes Angelus ex Conradis Lignanæ pater Andreæ Præpositi, & Nicolini hujus templi conditoris pronepos, Sacellum D. Mariæ Magdalenæ dicavit an. MDXXXII.* Andreæ ipsius denique monumentum exstat in alio lapide: *R. D. Fr. Andreas ex Cōradis Lignanæ hujus Ecclesiæ Humiliatorum Religionis PPositus sacellum hoc vivens fieri curavit, an. MDXXXIIII.* Videtur autem Andreas initio hujusce domus Commendatarius Præpositus solum fuisse; hoc enim nomine appellatur in Advocati Codice pag. 51., ac deinde Humiliatis sese addixisse: hæc enim in Torchii Codice pag. 17. habemus ad diem XXIV. Jan. MDXXXIX. *Constitui R. D. Fr. Andream de Legnana Prepositum S. Christophori Vercellarum, Vicarium provincie Pedemontium, ac in dominio Illustrissimi Ducis Sabaudie.* Itaque Nicolinus, qui hujus templi conditor dicitur, circa sæculum XV. vixisse videtur, ac proinde hac tantum ætate templum idem exstructum. Sed certe S. Christophori simul ac S. Martini ædes jam a XIII. sæculo exstitisse & monumentis aliis, & nostri in primis Catalogi auctoritate ostenditur, in quo utraque recensetur: *In fagia de vercellis* 1. *Domus sancti cristofori:* 2. *Domus sancti Martini ibi.* Quapropter Inscriptiones illæ de Templi instauratione aut nova ædificatione intelligendæ sunt, quæ cum Nicolini Lignanæ munificentia perfecta esset, factum hinc arbitror, ut plures ex Lignana gente hujus domus Præpositi exstiterint. Nam præter Andream jam memoratum, an. MCCCCXXXVIII.

Joan-

Joannes de Lignana illi præerat, ut ex Glaxiatensis Cœnobii charta ejusdem anni colligimus; eidemque deinde præfuit infaustæ ille memoriæ vir Hieronymus Lignana conjurationis in S. Carolum reus, de quo Vol. I. Diss. VIII. diximus. Eodem tempore S. Martini Præpositus erat Fr. Bertolinus de Lignana. Utriusque domus redditus, Humiliatis extinctis, Equitibus SS. Mauritii & Lazari attributi sunt. Anno autem MDLXXX. S. Christophori ædes a Joanne Francisco Bonhomio Vercellensi Episcopo Clericis Regularibus Congr. S. Paulli concessæ.

XXXV. Mulierum pariter domus Vercellis erat: 3. *Domus sororum sancte agathe*. Certam hujusce domus originem statuere possumus ex charta, quam Cl. Fileppius alias laudatus nobiscum communicavit. *Anno Dominicæ Incarnat. MCCLVII. Indict.* 1. *die Mercurii XXI. Novemb. in præsentia Domini Ambrosii Coccorellæ Judicis & Consulis justitiæ Vercellarum, sedentis pro tribunali in Consulatu, Joannes de Panclerio Civis Vercellensis, donavit inter vivos, & titulo donationis dedit Domino Martino Præposito Mansionis S. Martini de la Catesso, vice & nomine totius Ordinis Umiliatorum, sive fratrum Umiliatorum, quamdam domum cum solo & ædificiis, & curte, & orto, & brolio, & aliis pertinentiis eidem domui pertinentibus, quam ipse Johannes habere & tenere visus est in Vercellis in vicinia S. Donati &c. quam donationem fecit ad utilitatem & habitaculum sororum humiliatarum, quæ dicuntur de S. Agatha, ita ut prædictæ sorores, quæ ibidem modò sunt, & deinde fuerint, perpetuo in ipsa domo debeant habitare, & ibidem permanere, & Collegium ipsarum sororum perpetuo ibi debeat observari. Rog. per Albertum Castaldum*. Ex quibus verbis colligi videtur, fuisse antea domunculam aliquam S. Agathæ appellatam, aut S. Martini Humiliatas sacellum habuisse S. Agathæ sacrum, ex quo nomen ducerent, donec nova hæc iisdem sedes a Joanne Panclerio concessa est. Floret porro adhuc Vercellense hoc Sanctimonialium Cœnobium, incolarum nobilitate æque ac virtutibus spectatissimum, religiosæque

ſæque diſciplinæ, a qua Humiliati turpiter adeo deſciverant, obſervantiſſimum. Quarum Virginum eximiæ virtutes ſibi in primis acceptas eſſe tunc præſertim Deus O. M. teſtatus eſt, cum anno MDCCIV. Vercellenſis urbs obſidione premeretur. Cum enim in odæo collectæ jamjam Sacris Epulis reficiendæ eſſent, ferreus globus e tormento bellico exploſus diſrupto fornice maxima vi irruens Sanctimoniales omnes incolumes reliquit. B. Amedei Sabaudi effigies ſolemni cultu apud eaſdem colitur, cujus etiam præſentem opem in graviſſimis morbis ſæpe ſenſerunt. Humiliatorum legibus adhuc vivunt; Romano tamen ritu in Sacris utuntur.

XXXVI. Ad *fagiam* Vercellenſem *Caſale S. Evaſii*, vulgo *Caſale di Monferrato*, pertinet. Duplex anno MCCXCVIII. ibi erat Humiliatorum domus; 4. *Domus fratrum de caſale ſancti evaſii*; 5. *Domus ſororum ibi ſupra*. Atque ad Fratrum domum quod attinet, narrat Cl. Moranus in libro ſuo, quem *Eppeton* inſcripſit, Humiliatos jam a ſæculi XII. exitu eam oppidi regionem tenuiſſe, quæ Suburbium novum dicebatur, ibique ædem habuiſſe Deiparæ Sacram; cum vero Julia Montisferrati Marchioniſſa ædiculam S. Cruci Inventæ dicatam haud longe ædificandam curaſſet, in eaque ingens S. Crucis fragmentum ſecum Hieroſolymis allatum locaſſet, ædiculam hanc ipſam an. MCC. a Caſalenſibus impetraſſe Humiliatos; ſed cum anguſtior illa eſſet, iiſdem an. MCCXLII. XII. Sept. conceſſum fuiſſe, ut alia in urbis regione non longe a mœnibus novas ſibi ædes conſtruerent; quas illi S. Mariæ Novæ appellaſſe videntur: hoc enim nomine in Humiliatorum Conſtitutionibus XIV. ſæculo ineunte conſcriptis illæ deſignantur. Quod tamen ad S. Crucis fragmentum pertinet, aliter rem narrat Benvenutus a S. Georgio (*a*), fuiſſe illud ſcilicet Lucedienſi Cœnobio dono datum, atque hinc deinde an.

(*a*) Stor. del Monferrato Script. Rer. Ital. T. XXII. col. 345.

MCCCCLXXIX. ad Casalensis arcis sacellum translatum. Qua de re penes illos judicium esto, quibus Casalensia antiquorum temporum monumenta consulere licet. At anno MCCCXXXVII. Humiliatis Casali abeuntibus Augustiniani Conventuales in S. Crucis Cœnobium, quo etiam nomine domus illa appellabatur, inducti sunt, quibus deinde an. MCCCCLXXV. Augustiniani Eremitæ Insubricæ, ut ajunt, Congregationis successerunt. Quæ omnia a Cl. Tridinensi Præposito Joanne Andrea Irico confirmantur (a). Duplicem vero sororum Domum Casali olim fuisse, alteram S. Marco, S. Bartholomæo alteram sacram, antea laudatus auctor narrat, quibus, quod ruinam fere ducerent, eversis, unica S. Bartholomæo dicata an. MCCXLII. iterum exstructa est. Ac sane unicam fuisse anno MCCXCVIII. sororum domum, ex Catalogo nostro discimus. Sed an. MCCCXLIV. Casalensium Humiliatorum res aliter se habuisse, ac Casalenses historici narrent, ex posteriore Catalogo discimus. Illi enim an. MCCCXXXVII. Humiliatos Casali excessisse ajunt. At Catalogus noster an. MCCCXLIV. duplicem Humiliatorum domum, fratribus ac sororibus communem, Casali statuit, S. Bartholomæi scilicet, quam illi sororibus tantum patuisse dicunt, & S. Mariæ: *S. Mariæ Casali S. Evasii, fratres tres, sorores undecim; S. Bartholomæi ibi supra, fratres duodecim, sorores duodecim*. Domus autem S. Mariæ an eadem illa fuerit, quam olim Humiliati deseruisse dicuntur, an alia, ignoro. Sed certe nonnisi post an. MCCCXLIV. Humiliati Casalenses domos deseruerunt. Anno autem MCCCCXLIII. duplex quidem domus, sed Humiliatarum tantum, Casali erat; scilicet S. Bartholomæi, & S. Marci, quæ eadem ne esset, quæ a Cl. Morano circa an. MCCXLII. eversa dicitur, an quæ in posteriore Catalogo S. Mariæ appellatur, statuere nequeo. Utramque eodem an. MCCCCXLIII. XXVII. Jul. Stephanus de Arsago Generalis Humi-

(a) Histor. Tridin. Lib. II.

Humiliatorum Magister simul conjunxit, quam conjunctionem an. MCCCCLXXV. pridie Non. Oct. Sixtus IV. P. M. confirmavit. Utriusque literas hac de re datas ab eruditissimo Casalensi Equite Francisco Comite Morellio ad nos transmissas, suo loco edemus. Qui vero Casalensium Humiliatarum exitus fuerit, non invenio. Paciliani etiam, quod vetus erat ac celebre in Monteferrato oppidum, nunc parvus vicus, cui S. Germani nomen, Humiliatos fuisse, ex documento colligimus, quod Benedictus Collius Casalensis Ecclesiæ Historiæ suæ MS. inseruit: *Eodem anno* (MCCCXVI.) 17. *Februarii Fr. Johannes Minister domus Humiliatorum de Paciliano nomine sui Conventus cessit eidem* (Jacobo de Grassis Casalensis Ecclesiæ Præposito) *tria sextaria terræ cultæ, cum onere celebrandi anniversarium in Ecclesia Sancti Evasii pro anima qu. Magistri Johannis de Papia, qui in ejus ultima voluntate prædictis Fratribus de Paciliano in re reliquerat duo trentenaria ovium, super quibus dari deberent eidem Ecclesiæ decem solidi Papienses pro celebratione præfati ejus anniversarii. Actum ubi supra* (nempe in ejusdem Ecclesiæ claustro) *præsentibus Emanuele Magnocaballo, Asclerio Grasso, Faciono Grasso, & Antonio Corno.* Sed voces illæ *Minister* ac *Conventus* tertii Ordinis domum indicare videntur, quod eo probabilius arbitror, quod in neutro nostro Catalogo domus hæc recensetur.

XXXVII. Vercellensi pariter *fagiæ* adscribuntur Humiliatorum domus nonnullæ in Subalpinis positæ. De quibus antequam sigillatim dicamus, nonnulla de primis Humiliatorum Subalpinorum initiis dicenda sunt, quæ omnia eruditissimi Taurinenses Viri Meiranesius & Carena, ille S. Theologiæ Doctor, hic Jurisconsultus ad nos humanissime submiserunt. Itaque Humiliatos concionandi caussa circa an. MCCXXX. in Subalpinos penetrasse colligimus, ex quibusdam Anonymi Chronici MS. fragmentis apud memoratum Cl. Angelum Paullum Carenam, in quo ubi de iis temporibus est sermo, hæc habentur: *Tunc venit quidam Pater Franceschinus dictus de Mediolano de Umiliatis, & applicuit Deimontem*

 (oppi-

(oppidum in Sturiæ valle, vulgo *Demonte*) *cum tribus suis sociis. Iste fuit ibi multis diebus, & prædicabat de pœnitentia cum suis sociis, & multa bona fecit, & plures ad bonam vitam reduxit. Circuivit postea totam vallem de Stura prædicando, & plures hæreticos, qui venerant de provincia, confutando & expellendo; & tantum fecit, quod etiam Dompnus Jesus visus sit variis signis doctrinam suam confirmare. Postea rediens Deimontem, illi de Deimonte Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ prope mœnia eidem concesserunt cum facultate, si vellet, ibidem permanendi, dummodo alios socios secum duceret, qui ibidem Monasterium facerent expensis Comunitatis, concedendó eisdem plures campos, & aliqua prata in regione Laudeolorum, & prope portam Chanti, & nonnulla prope Rivum Alpium, quod paucis annis post vidi factum; & nunc manent ibi decem fratres .... & ædificavit Com. Deimontis un... Monast.* Eadem fere narrat Berardencus sæculi XVI. auctor in Rationario Temporum MS., qui deinde Humiliatos paullo post Demonte excedere coactos fuisse addit his verbis: *In aliis memorialibus habetur, quod propter quoddam incendium totum Cœnobium* (Humiliatorum) *fuit guastatum & incensum, & eo quod tota Comunitas Deimontis esset gravata plurimis dispendiis, causa guerrarum & discordiarum tunc .... causa March. de Saluciis & aliorum, Umiliati anno 1239. abierunt, & remansit solus unus, & tunc Comunitas Deimontis vendidit plura prædia, quæ erant de Nobilibus & de Comuni, pluribus, & etiam quædam data Umiliatis.* Enimvero chartæ nonnullæ adhuc exstant an. MCCXLI. & MCCXLII., quibus Demontensium Humiliatorum bona nonnulla venduntur, quod scilicet numquam illi Demontem redituri crederentur. Redierunt tamen circa an. MCCLXXX., ut Berardencus idem refert: *Conventus de Deimonte factus fuit de novo circiter annum MCCLXXX., & nunc fuerunt multi nunc pauci, prout erant tempora calamitosa in Valle* (Sturiæ), *& tota terra Pedem. Erat Conventus seu Monasterium prope Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ .... unde factus fuit postea novus Conventus, ubi erat alius, & cum illo de Monqualerio unum*

Con-

Conventum faciebat. Similia refert Anonymus Chronici auctor: *Qui* (Humiliati) *pluribus annis post redierunt, & de novo plura habuerunt, sed non omnia, unde factus fuit postea novus Conventus, ubi erat alius, & cum illo de Monqualerio unum Conventum faciebant*.

XXXVIII. Quin etiam quo tempore Humiliati Demonte abesse cogebantur, & bona adhuc aliquot obtinuisse, & alia fuisse iisdem legata, tum aliis monumentis, tum præsertim charta an. MCCLXI. IV. Mart. docemur, qua Andreas Flore Petraporciensis Demontensibus Humiliatis legat *petiam unam aratoriam prope ecclesiam Parochialem B. Johannis, cui cohæret alia terra ad eosdem pertinens*. Maximum vero tum Demontensium, tum reliquorum Vallis Sturiæ incolarum in Humiliatos amorem ac beneficentiam testantur vetera Demontis, Bercecii, & Petraporcii Statuta. In Demontis statutis Lib. II. Rubr. III. habemus: *Item ordinaverunt, quod domui Umiliatorum de Deimonte omni hebdomada detur portio una adcusarum* (nempe accusationum, seu multæ accusato impositæ), *quæ provenit Curiæ de illis, qui pascunt in locis & in alpibus per Communitatem bannitis, item de illis qui boscant in rivo alpium sine licentia Curiæ, & de presuris, quæ fiunt in Perdiono* (oppidum est parum Demonte distans, eique obnoxium) *ab illis, qui prata Communis depascunt sine licentia*. In fragmentis Statutorum Bercecii hæc leguntur: *de Bannitis* (eodem hic sensu hæc vox accipienda, quo *adcusas* superius explicuimus), *quæ veniant Comuni pro gagiis illorum, qui boscant in finibus Bercecii in Serre* (locus est non multum Bercecio distans) *una pars sit Comunis, alia sit accusatoris, & tertia Umiliatorum Deimontis, si predicaverint in valle & terra Bercecii*. Similia habemus in Petraporciensibus statutis: *Item statuerunt, quod una pars bannitarum, quæ venit de montanis una pars sit Comunis, quam dabit S. Stephano Protomartyri* (cui sacra est Parochialis ædes), *& alia pars accusatoris, & alia pars Umiliatorum Demontis, si prædicabunt in Petraporco, & Valle Sturæ, ut solent*. Porro Demontensis domus in Catalogis nostris omittitur, quod

unicum

MCCCCLXXIX. ad Casalensis arcis sacellum translatum. Qua de re penes illos judicium esto, quibus Casalensia antiquorum temporum monumenta consulere licet. At anno MCCCXXXVII. Humiliatis Casali abeuntibus Augustiniani Conventuales in S. Crucis Cœnobium, quo etiam nomine domus illa appellabatur, inducti sunt, quibus deinde an. MCCCCLXXV. Augustiniani Eremitæ Insubricæ, ut ajunt, Congregationis successerunt. Quæ omnia a Cl. Tridinensi Præposito Joanne Andrea Irico confirmantur (a). Duplicem vero sororum Domum Casali olim fuisse, alteram S. Marco, S. Bartholomæo alteram sacram, antea laudatus auctor narrat, quibus, quod ruinam fere ducerent, eversis, unica S. Bartholomæo dicata an. MCCXLII. iterum exstructa est. Ac sane unicam fuisse anno MCCXCVIII. sororum domum, ex Catalogo nostro discimus. Sed an. MCCCXLIV. Casalensium Humiliatorum res aliter se habuisse, ac Casalenses historici narrent, ex posteriore Catalogo discimus. Illi enim an. MCCCXXXVII. Humiliatos Casali excessisse ajunt. At Catalogus noster an. MCCCXLIV. duplicem Humiliatorum domum, fratribus ac sororibus communem, Casali statuit, S. Bartholomæi scilicet, quam illi sororibus tantum patuisse dicunt, & S. Mariæ: *S. Mariæ Casali S. Evasii, fratres tres, sorores undecim; S. Bartholomæi ibi supra, fratres duodecim, sorores duodecim*. Domus autem S. Mariæ an eadem illa fuerit, quam olim Humiliati deseruisse dicuntur, an alia, ignoro. Sed certe nonnisi post an. MCCCXLIV. Humiliati Casalenses domos deseruerunt. Anno autem MCCCCXLIII. duplex quidem domus, sed Humiliatarum tantum, Casali erat; scilicet S. Bartholomæi, & S. Marci, quæ eadem ne esset, quæ a Cl. Morano circa an. MCCXLII. eversa dicitur, an quæ in posteriore Catalogo S. Mariæ appellatur, statuere nequeo. Utramque eodem an. MCCCCXLIII. XXVII. Jul. Stephanus de Arsago Generalis Humi-

(a) Histor. Tridin. Lib. II.

Humiliatorum Magister simul conjunxit, quam conjunctionem an. MCCCCLXXV. pridie Non. Oct. Sixtus IV. P. M. confirmavit. Utriusque literas hac de re datas ab eruditissimo Casalensi Equite Francisco Comite Morellio ad nos transmissas, suo loco edemus. Qui vero Casalensium Humiliatarum exitus fuerit, non invenio. Paciliani etiam, quod vetus erat ac celebre in Monteferrato oppidum, nunc parvus vicus, cui S. Germani nomen, Humiliatos fuisse, ex documento colligimus, quod Benedictus Collius Casalensis Ecclesiæ Historiæ suæ MS. inseruit: *Eodem anno* (MCCCXVI.) 17. *Februarii Fr. Johannes Minister domus Humiliatorum de Paciliano nomine sui Conventus cessit eidem* (Jacobo de Grassis Casalensis Ecclesiæ Præposito) *tria sextaria terræ cultæ, cum onere celebrandi anniversarium in Ecclesia Sancti Evasii pro anima qu. Magistri Johannis de Papia, qui in ejus ultima voluntate prædictis Fratribus de Paciliano in re reliquerat duo trentenaria ovium, super quibus dari deberent eidem Ecclesiæ decem solidi Papienses pro celebratione præfati ejus anniversarii. Actum ubi supra* (nempe in ejusdem Ecclesiæ claustro) *præsentibus Emanuele Magnocaballo, Asclerio Grasso, Faciono Grasso, & Antonio Corno.* Sed voces illæ *Minister* ac *Conventus* tertii Ordinis domum indicare videntur, quod eo probabilius arbitror, quod in neutro nostro Catalogo domus hæc recensetur.

XXXVII. Vercellensi pariter *fagiæ* adscribuntur Humiliatorum domus nonnullæ in Subalpinis positæ. De quibus antequam sigillatim dicamus, nonnulla de primis Humiliatorum Subalpinorum initiis dicenda sunt, quæ omnia eruditissimi Taurinenses Viri Meiranesius & Carena, ille S. Theologiæ Doctor, hic Jurisconsultus ad nos humanissime submiserunt. Itaque Humiliatos concionandi caussa circa an. MCCXXX. in Subalpinos penetrasse colligimus, ex quibusdam Anonymi Chronici MS. fragmentis apud memoratum Cl. Angelum Paullum Carenam, in quo ubi de iis temporibus est sermo, hæc habentur: *Tunc venit quidam Pater Franceschinus dictus de Mediolano de Umiliatis, & applicuit Deimontem*

(oppidum in Sturiæ valle, vulgo *Demonte*) *cum tribus suis sociis. Iste fuit ibi multis diebus, & prædicabat de pænitentia cum suis sociis, & multa bona fecit, & plures ad bonam vitam reduxit. Circuivit postea totam vallem de Stura prædicando, & plures hæreticos, qui venerant de provincia, confutando & expellendo; & tantum fecit, quod etiam Dompnus Jesus visus sit variis signis doctrinam suam confirmare. Postea rediens Deimontem, illi de Deimonte Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ prope mœnia eidem concesserunt cum facultate, si vellet, ibidem permanendi, dummodo alios socios secum duceret, qui ibidem Monasterium facerent expensis Comunitatis, concedendo eisdem plures campos, & aliqua prata in regione Laudeolorum, & prope portam Chanti, & nonnulla prope Rivum Alpium, quod paucis annis post vidi factum; & nunc manent ibi decem fratres .... & ædificavit Com. Deimontis un... Monast.* Eadem fere narrat Berardencus sæculi XVI. auctor in Rationario Temporum MS., qui deinde Humiliatos paullo post Demonte excedere coactos fuisse addit his verbis: *In aliis memorialibus habetur, quod propter quoddam incendium totum Cœnobium* (Humiliatorum) *fuit guastatum & incensum, & eo quod tota Comunitas Deimontis esset gravata plurimis dispendiis, causa guerrarum & discordiarum tunc .... causa March. de Saluciis & aliorum, Umiliati anno 1239. abierunt, & remansit solus unus, & tunc Comunitas Deimontis vendidit plura prædia, quæ erant de Nobilibus & de Comuni, pluribus, & etiam quædam data Umiliatis.* Enimvero chartæ nonnullæ adhuc exstant an. MCCXLI. & MCCXLII., quibus Demontensium Humiliatorum bona nonnulla venduntur, quod scilicet numquam illi Demontem redituri crederentur. Redierunt tamen circa an. MCCLXXX., ut Berardencus idem refert: *Conventus de Deimonte factus fuit de novo circiter annum MCCLXXX., & nunc fuerunt multi nunc pauci, prout erant tempora calamitosa in Valle* (Sturiæ), *& tota terra Pedem. Erat Conventus seu Monasterium prope Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ .... unde factus fuit postea novus Conventus, ubi erat alius, & cum illo de Monqualerio unum*

Con-

Conventum faciebat. Similia refert Anonymus Chronici auctor: *Qui* (Humiliati) *pluribus annis post redierunt, & de novo plura habuerunt, sed non omnia, unde factus fuit postea novus Conventus, ubi erat alius, & cum illo de Monqualerio unum Conventum faciebant*.

XXXVIII. Quin etiam quo tempore Humiliati Demonte abesse cogebantur, & bona adhuc aliquot obtinuisse, & alia fuisse iisdem legata, tum aliis monumentis, tum præsertim charta an. MCCLXI. IV. Mart. docemur, qua Andreas Flore Petraporciensis Demontensibus Humiliatis legat *petiam unam aratoriam prope ecclesiam Parochialem B. Johannis, cui cohæret alia terra ad eosdem pertinens*. Maximum vero tum Demontensium, tum reliquorum Vallis Sturiæ incolarum in Humiliatos amorem ac beneficentiam testantur vetera Demontis, Bercecii, & Petraporcii Statuta. In Demontis statutis Lib. II. Rubr. III. habemus: *Item ordinaverunt, quod domui Umiliatorum de Deimonte omni hebdomada detur portio una adcusarum* (nempe accusationum, seu multæ accusato impositæ), *quæ provenit Curiæ de illis, qui pascunt in locis & in alpibus per Comunitatem bannitis, item de illis qui boscant in rivo alpium sine licentia Curiæ, & de presuris, quæ fiunt in Perdiono* (oppidum est parum Demonte distans, eique obnoxium) *ab illis, qui prata Comunis depascunt sine licentia*. In fragmentis Statutorum Bercecii hæc leguntur: *de Bannitis* (eodem hic sensu hæc vox accipienda, quo *adcusas* superius explicuimus), *quæ veniant Comuni pro gagiis illorum, qui boscant in finibus Bercecii in Serre* (locus est non multum Bercecio distans) *una pars sit Comunis, alia sit accusatoris, & tertia Umiliatorum Deimontis, si predicaverint in valle & terra Bercecii*. Similia habemus in Petraporciensibus statutis: *Item statuerunt, quod una pars bannitarum, quæ venit de montanis una pars sit Comunis, quam dabit S. Stephano Protomartyri* (cui sacra est Parochialis ædes), *& alia pars accusatoris, & alia pars Umiliatorum Demontis, si prædicabunt in Petraporco, & Valle Sturæ, ut solent*. Porro Demontensis domus in Catalogis nostris omittitur, quod

unicum

unicum fere corpus, ut vidimus, cum domo Montiscalerii efficeret, de qua mox sermo erit. Attamen saltem ad an. MCCCCXX. substiterunt Demonte Humiliati. Ita enim in illius anni charta: *In Domo Canonicali S. Mariæ Magdalenæ prope Ecclesiam Parochialem prædictæ B. Mariæ Magdalenæ, Ord. Umiliatorum.* Hujus autem Ecclesiæ Parochus dicitur *D. Hugo Mairanesius Prior dictæ Ecclesiæ. Paroch.*

XXXIX. Hæc fuisse videntur Subalpinorum Humiliatorum initia. Sed jam ad domos, quæ in Catalogo nostro recensentur, progrediamur. Ac primo 6. *Domus de clavasio*, quod oppidum est Vercellas inter ac Taurinum, vulgo *Civasso*. Amplam ibi fuisse Humiliatorum domum Catalogus an. MCCCXLIV. indicat; sexdecim enim fratres, ac septemdecim sorores ibi ali dicuntur. In Catalogo an. MDLXX. Joanni Antonio Scaleæ commendata dicitur, duoque ibi degentes Humiliati nominantur. Sequitur deinde 7. *Domus de turino*, quam leviter attingere monumentorum inopia invitos cogit. Jam ab anno MCCLII. Humiliatorum domum Taurini fuisse, indicat ejusdem anni charta, qua Taurinensis Episcopus Thomæ Sabaudiæ Comiti Montesoli Castrum oppignerat. Etenim inter conventionis arbitros nominatur *Præpositus Humiliatorum*, quamvis domus nomen non indicetur. Sed de Taurinensi hac domo hoc unice novimus ab an. MCCXCVIII. ad an. MDXXXVI. exstitisse illam; quo anno, ut Taurinenses Historici Philibertus Pingonius (*a*), & Franciscus Maria Ferrerius de Lauriano (*b*) narrant, cum suburbia quattuor a Gallis excinderentur, atque illud inter cetera, quod ad Portam Marmoream vocabatur, Humiliatorum etiam domus S. Christophoro sacra eversa fuit. Humiliati vero quo se receperint, non constat. 8. *Domus fratrum de monte calerio*, quod oppidum est non mul-

(*a*) August. Taurin. pag. 77. Edit. Taurin. 1577.
(*b*) Istoria di Torino P. II. Lib. V. pag. 328.

multum Taurino dissitum, vulgo *Moncaglieri*. Hanc anno MCCXCI. constructam fuisse scribit Franciscus Augustinus ab Ecclesia Salutiensis Episcopus (*a*), unamque, ut vidimus, cum Demontensi domo corpus conflabat. Erat hæc domus, a S. Jacobo appellata, ex Humiliatorum more Fratribus Sororibusque communis: hæ autem, etiam postquam Sorores a Fratribus sejungi jussæ sunt, adhuc in eodem oppido substiterunt, quamvis forte in ædibus a Fratrum domo secretis. Etenim in Torchii Codice pag. 2. ad diem 17. Jun. 1532. legimus: *Feci dispensationem Dominæ Præposito Montiscalerii & Monialibus, ut valerent recipere unam monialem ultra numerum duodenarum statutum*. Hujusce domus Præpositus an. MDLVII. a Summo Pontifice jussus est controversias dirimere, quæ inter Taurinensis Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicos, & Vallis Sturiæ pagos decimarum caussa jamdiu vertebantur; quod ille felici exitu perfecit. Superfuit illa usque ad extrema Humiliatorum tempora.

XL. Diutius Astenses domus nos detinebunt; plurima enim, quæ ad illos pertinent, nobiscum communicavit humanissimus idem atque eruditissimus Astensis Canonic. Regular. Lateran. Monasterii Abbas P. D. Joseph Maria Carlevarius ex Comitibus S. Damiani, qui ad vetera Subalpinarum regionum ac præsertim Astensia monumenta colligenda, evolvenda, atque illustranda diligentissimam diu operam contulit; quemque an. MDCCLXV. e vivis ereptum doluimus. Itaque 9. *Domus fratrum de Ast;* 10. *Domus de sancto quirico ibi;* quæ in posteriore Catalogo sic designantur: *Domus Dei Ast, fratres octo, sorores viginti sex; S. Quirici Ast; fratres duodecim, sorores viginti octo*. Ac domus quidem S. Quirici, seu ut sæpe scribunt, S. Quilici, mentio in Statutis Astensibus occurrit, an. MCCCLXXIX. collectis, atque an. MDXXXIV. Astæ editis (*b*): *Item juro ego Potestas Astensis attendere*

(*a*) Relazione del Piemonte MS. T. V. Cap. III.

(*b*) Pag. 64.

dere & observare instrumentum factum Dominis Religiosis Sancti Quirici Astensis per Mediolanum Grillum Notarium, ut attendatur, & observetur eisdem prout in ipso instrumento continetur facto per dictum Notarium an. MCCLII. Indictione X. die Mercurii XX. mensis Novembris. Utraque autem in Astensi Chronico ad an. MCCLXXX. memoratur (*a*). *Civitas Ast ornata est Religionibus novis per circuitum, idest fratribus Prædicatoribus..... fratribus & sororibus Ecclesiæ S. Quilici ..... fratribus & sororibus Humiliatorum de Domo Dei*. Ast Ughellius (*b*) serius aliquanto Humiliatos Astam ingressos refert; ait enim, Oberto Astensi Episcopo, qui an. MCCLXXXIII. illi Ecclesiæ præfectus est, cum Astenses inter ac Montisferrati Marchionem jamdiu bellum arderet, illos Morosengum oppidum Astensis Ecclesiæ feudum, a Marchione occupatum, armis recepisse; eaque occasione S. Quirici corpus ibi servatum solemni pompa Astam detulisse, amplamque illi construxisse ædem, quam Fratribus Sororibusque Humiliatis concesserunt, *ut in eadem Ecclesia*, ait, *ab utrisque, diversis tamen in odeis, alternisque horis, divinarum horarum pensum diu noctuque persolveretur, qua etiam forma iidem Monachi & Moniales Ecclesiam Domus Dei dictam excolendam susceperunt, & singulis Cœnobiis congrui redditus attributi*. Eadem narrantur a Marco Antonio Tomato Astensi Episcopo (*c*), & in Actis SS., qui in Sabaudæ ditionis provinciis floruerunt (*d*). Porro ad diversas auctorum opiniones conciliandas egregium habemus monumentum suo loco edendum, quo an. MCCXLVII. IX. Sept. *Fratri Anselmo de Bergolio de Ordine secundo Humiliatorum* domus & Ecclesiæ extra Astensem urbem ædificandæ potestas conceditur. Hic sane nec S. Quirici, nec Dei domus nominatur; sed cum posterior hæc multo ante exstaret, ut mox videbimus,

(*a*) Script. Rer. Ital. T. XI. col. 150.
(*b*) Ital. Sacr. T. IV. in Episc. Astens.
(*c*) Directorium Diœces. &c. pag. 161.
(*d*) T. I. pag. 118.

bimus, nondum tamen Humiliatis concessa, si hæc eadem iis verbis indicaretur, nec novæ Ecclesiæ construendæ mentio fieret, aut si de illius instauratione sermo esset, illius certe nomen designaretur. Arbitror itaque illam hic domum indicari, quæ postea novo murorum ambitu urbi inclusa ab illato S. Quirici corpore circa an. MCCLXXXIII. nomen acceperit, ac forte etiam ad ampliorem formam redacta fuerit. Enimvero in eodem documento *census unius libræ incensi* Cathedrali Ecclesiæ solvendus indicitur; & habemus scilicet in ejusdem Ecclesiæ Codice MS., qui *Sacristia* inscribitur, pag. 77. hæc verba: *Quitatio pro Ecclesia S. Quilici de libra una Incensi annuatim nomine recognitionis debita a Monasterio S. Quilici Ecclesiæ majori Astensi in die Assumptionis B. Mariæ Virginis facta ad favorem Domini Fratris Dominici de Papia Præpositi Monasterii S. Quilici.*

XLI. Antiquior est Domus Dei mentio. Egregium enim monumentum edemus an. MCCX. IV. Jul., quo Jacobus Careocius fundum suum quemdam attribuit, *ut fiat Ecclesia, que Dei domus vocetur, & Hospitale sit justa eam, quo Pelegrini & Pauperes suscipiantur.* Nulla hic tamen Humiliatorum mentio, nec quando illam iidem adierint, satis constat. In memoratis Astensibus statutis hæc habemus (a): *Item ego Potestas juro firma tenere omnia instrumenta pro Comuni facta illi Mansioni, quæ dicitur Domus Dei, sive aliis pro ipsa domo.* Utramque hanc domum ad extremum usque Humiliati tenuerunt. In Catalogo autem an. MDLXX. utraque inter Commendatas adnumeratur. S. Quirici Ecclesia adhuc superest, sed, si odeum ac presbiterium excipias, XVI. sæculo exeunte restituta. Exstat ibi adhuc tumulus, lapidique insculpta Humiliati nescio cujus effigies, gentilitio, ut videtur, stemmate, & epigraphe addita, quæ tamen legi nullo modo aut distingui potest. Domus in Villicorum ædes conversa.

(a) Pag. 64.

Domus Dei Ecclesiæ, olim satis vastæ, parva pars superest. Ex monumentis PP. Carmelitarum Astensium jam ab an. MDLXIV. commendatam fuisse illam constat: illis enim Sacrorum cura a Præposito Commendatario commissa fuerat. Ex iisdem colligimus an. MDLXVI. & MDLXVII. Dominico Carlevario commendatam illam fuisse; huncque an. MDLXVIII. vita functum in Cathedrali Ecclesia tumulum habuisse. Humiliatorum ædes in hortum conversæ.

XLII. Binæ aliæ Humiliatorum domus ad Vercellensem fagiam revocantur, 11. *Domus de pinarolio*; 12. *Domus de alba*. Pinarolii ad portam, quam Gallicam vocant, erat Humiliatorum domus S. Laurentio sacra. Comitiis an. MCCCCXCI. interfuit *Joannes de Oè S. Laurentii Pinarolii Diœc. Taurinensis* Præpositus. De hac in Catal. an. MDLXX. hæc habemus: *La Prepositura di S. Lorenzo di Pinarolo è commendata a Monsignor Moretto: tiene un Frate, quale si dimanda F. Francesco di detto luogo Sacerdote*. Illius deinde redditus Equestri SS. Mauritii & Lazari Ordini commendati sunt. Certiorem habemus Albensis domus originem atque exitum. Nam *anno 1251.*, ait Ughellius (a), *Bonifacius Albensis Archidiaconus Episcopi* (Guillelmi Braidæ) *vice primum lapidem jecit in fundamentis Ecclesiæ in honorem S. Mariæ Magdalenæ ad Fratrum Humiliatorum usum*. Exitus vero quis fuerit, habemus ex *Bullario Prædicatorum* in literis Eugenii IV. an. MCCCCXLI. XIV. Cal. Sept. datis, quibus Albensibus Sororibus Ord. Præd. domum S. Mariæ Magdalenæ Ord. Humiliatorum, in qua tunc Præpositus tantum degebat, concedit. Hæ scilicet erant in Vercellensi *fagia* Humiliatorum domus. Alia deinde addita est, nempe Avilianensis. Est porro Aviliana non longe Taurino dissitum oppidum. In hanc ædem SS. Trinitati Sacram ab Amedeo Sabaudiæ Comite an. MCCCLVII. Humiliatos inductos fuisse narrat Franciscus

(a) Ital. Sacr. T. IV. in Episc. Albens.

ciſcus Auguſtinus ab Eccleſia Salutienſis Epiſcopus (*a*). In Catal. an. MDLXX. Montis Regalis Archipresbitero ſimul cum Montis Calerii Præpoſitura commendata dicitur. Cartuſiani deinde in illas ædes invecti, Clemente VIII. anno MDC. comprobante (*b*). At anno MDCXXX. ædibus illis belli furore excisis, Cartuſiani Bandam conceſſerunt, Cœnobii ipſius prædium. Quæ domus deinde novæ Taurinenſi Cartuſiæ, Collengii tertio ab urbe lapide exſtructæ, conjuncta eſt.

XLII. Ultima ſupereſt Sabaudæ ditionis pars, nempe *fagia de Alexandria*, quæ tamen & Aquas Statiellorum, vulgo *Acqui*, & Dertonam, ac Genuam etiam complectitur. Itaque *in Alexandria*, ait Joannes Braidenſis, *erant domus fratrum cum ſuis dominabus quinque*. Singularum nomina ex antiquiore Catalogo proferemus. *In fagia de Alexandria* 1. *Domus fratrum de caputio*, quæ in altero Catalogo *S. Joannis de Capuccio* appellatur, ac fratres XLI., ſorores XVIII. alere dicitur. Hujus originem ad an. MCLXXXIX. Ghilinus revocat (*c*). Enimvero Humiliati hujuſce domus incolæ ejuſdem tum antiquitate, tum dignitate freti, Generalis ipſius Magiſtri imperium detrectare audebant; quorum audaciam literis ſuis X. Febr. an. MCCCIV. datis Benedictus XI. compeſcuit. Nec tamen illa ſatis repreſſa eſt. Nam in Torchii Codice hæc habemus pag. 11. *Die 13. Sept. 1535. rogatum fuit inſtrumentum de inobedientia & reſiſtentia fratrum S. Johannis Caputii Alexandriæ in non admittendo viſitationem*. In Catal. an. MDLXX. commendata dicitur *a Monſignor Reverendiſſimo Salviati*. Quinque tamen Humiliati ædes illas incolebant adhuc. Eccleſiam deinde PP. Ord. Minimorum habuerunt; nec modica ſuperſunt Humiliatorum domus veſtigia. Ad eumdem annum MCLXXXIX. al-

(*a*) Corona Reale P. II. pag. 378. Edit. Cuneenſ. 1657.

(*b*) Morotius Theatr. Chronol. Cartuſ. pag. 300. Edit. Taurin. 1681.

(*c*) Annali d' Aleſſand. ad hunc an. num. 2.

terius domus originem Ghilinus revocat, ſcilicet 2. *Domus ſancti bavilini*, ita corrupte pro *Baudolini*, quo nomine ob S. Baudolini corpus ibi aſſervatum, appellabatur illa, ut Vol. I. pag. 212. vidimus. Suſpicor autem, quemadmodum Baudolini corpus Fori in Deiparæ æde olim fuit, ibidem & Humiliatorum domum fuiſſe, quæ deinde Sancti viri corpore in urbem illato, in urbem & ipſa deducta ſit. Etenim in Humiliatorum Conſtitutionibus non *S. Baudolini*, ſed *S. Mariæ de Foro Alexandriæ* appellatur. In Advocati Codice pag. 36. ad an. MDXXV. commendata dicitur. Poſtea tamen Præpoſitus ex Humiliatis iterum illi eſt datus. Nam in Torchii Codice pag. 53. ad diem XXXI. Mart. MDL. hæc habemus: *Collatio ſeu proviſio prepoſiture S. Baudolini Alexandrie in R. D. Fr. Maximum Vicecomitem*. At in Catal. an. MDLXX· ne inter commendatas quidem profertur, ut videatur PP. Ord. Prædicatorum, qui adhuc illam obtinent, jam tum fuiſſe conceſſa. Sequitur 3. *domus ſancti pauli*. Hæc nullo alio in Catalogo occurrit; ſed in poſteriore in ejuſdem locum addita videtur Domus S. Syri, ut arbitrer, aut duplex fuiſſe unius domus nomen, aut ex una in aliam commigraſſe Humiliatos. Narrat autem Ghilinus (*a*) an. MCCLIII. Petrum Brugnonum, qui S. Syri Paræciæ præerat, templum illud proximaſque ædes, ac jura omnia Humiliatis ceſſiſſe. Tunc itaque fieri potuit, ut Humiliati antiquas S. Paulli ædes deſererent, atque ad S. Syri commigrarent, quæ tamen domus antiquo etiam S. Paulli nomine appellaretur interdum. Anno MDLXVII. actum eſt, ut ſupra num. IV. diximus, de domo hac cum S. Ulderici Papienſi conjungenda, ſed irrito ſucceſſu. Humiliatis extinctis illius redditus Alexandrino Noſocomio, ædes deinde PP. Congr. Somaſchæ conceſſæ ſunt (*b*).

XLIII. Quæ deinde ſuccedit 4. *Domus de quarginti*, ſeu melius

(*a*) Annal. d' Aleſſandr. an. 1253. num. 3.

(*b*) Ghilin. Ibid. ad an. 1573.

lius *de quargnento*, a cognomine pago nomen duxit, qui *Cornientum dicitur*, vulgo *Quargnento*. Fuiſſe ibi olim ſacram S. Matthæo ædem Ghilinus tradit (*a*), Alexandrino Epiſcopatui deinde hac conditione conceſſam, ut aliud Alexandriæ S. Matthæi templum conſtrueretur. Humiliatos hoc loco Ghilinus non memorat. Veriſimile eſt tamen veterem Quargnenti Eccleſiam eos tenuiſſe, ac nova deinde Alexandriæ exſtructa, ad eamdem commigraſſe. Certe Alexandrina hæc Humiliatorum domus S. Matthæi de Quargnento dicitur. Ita in Aſtenſi charta an. MCCCXLVI. VIII. Dec. nominatur *Fr. Petrus.... prepoſitus domus ſancti matthei dicte de quargnento de alexandria*. Hujus vero domus poſt an. MCCCCXXXVI. nulla mentio occurrit. Alexandriæ denique erat 5. *Domus de brogolio*, eadem, ut arbitror, quæ ſæpius S. Michaelis appellatur. Et frequens ſane in vetuſtioribus monumentis Alexandrinæ S. Michaelis domus mentio; cujus dignitatem hinc præſertim cognoſcimus, quod Amicus illius Præpoſitus circa an. MCCXXX. ad Genuenſes ac Florentinam Humiliatorum domos fundandas, ut mox videbimus, evocatus fuit, quodque domus eædem, atque Aſtenſes etiam ac Dertonenſes illi obnoxiæ eſſent. Porro cum in vetuſtiore noſtro Catalogo domus *S. Michaelis* non recenſeatur, nec veriſimile ſit domum hanc, cujus tanta eſſet dignitas, tam cito diſſolutam fuiſſe, hinc arbitror, ut dixi, eamdem eſſe ac quæ de Brogolio dicebatur. Enimvero in charta an. MCCLVII. VI. Aug. ſuo loco edenda *S. Michaelis de Burniola* appellatur, ubi corrupte *de Burniola* pro *de Brogolio* ſcriptum forte puto. Eſt vero Brogolium pagus, Tanaro tantum interfluente, ab urbe ſejunctus, unumque proinde cum ipſa urbe corpus conſtituit. Domum hanc Joannes Braidenſis in Chronico ſuo commemorans Cap. XI., ait: *Fratres* (domus) *S. Michaelis de Alexandria*, *quæ pridie* (legendum *pridem*, ſcilicet multo ante, neque enim in

(*a*) Trattato delle ſette Terre ec. pag. 335.

in posteriore Catalogo recensetur) *unita est cum domo S. Joannis de Capuccio*. Hæ erant an. MCCXCVIII. Alexandriæ Humiliatorum domus. Alia, Joanne Braidensi teste, post an. MCCCXLIV. Carentini, in Alexandrino agro, constructa est. Comitiis an. MDLII. interfuit *Fr. Secundus Capella S. Sebastiani Carentini Præpositus*. At ante an. MDLXX. Humiliatos illa excessisse arbitror, neque enim in illius anni Catalogo recensetur. Alexandrinas domos Aquensis subsequitur: *6. Domus de aquis*, vulgo *Acqui*. De hujus origine nihil compertum. Ædem S. Bartholomæo sacram habebat, atque anno MDLXX. adhuc supererat, præeratque illi Joannes Angelus Lignana.

XLIV. Alexandrinæ *fagiæ*, ut diximus, Genuenses domus adduntur. 7. *Domus fratrum de sancta martha in janua*. Hujusce domus origo in pergameno Genuensis Archiepiscopii Codice sign. AC. pag. 92. hisce verbis indicatur: *Daniel Abbas cum Monacis Monasterii S. Syri* (Ord. S. Benedicti) *concedunt an.* 1228. *oratorium cum cemeterio in parochia S. Syri & S. Agnetis, pertinens immediate ad S. Syrum, Fratri Amico Præposito Ecclesiæ S. Michaelis de Misericordia Humiliatorum de Alexandria, & fratribus ejusdem domus, in loco ubi dicitur Pratum*. Enimvero domum illam *de Prato* vocatam fuisse constat ex monumento ejusdem anni X. Maji in actis Bonjoannis de Felinis. Frequentius tamen S. Marthæ dicitur. Ex aliis Genuensibus monumentis colligimus, an. MCCCCLXV. hujusce domus Præpositum Conradum de Insula fuisse, qui criminum cum Despina quadam Sanctimoniali patratorum reus, Mediolanensi nescio qua Humiliatorum domo carceris loco inclusus est; an. MCCCCLXVII. Bartholomæum Spinulam, an. MID. Ambrosium Panigarolam. Anno autem MDVII., seu, ut aliis placet, MDIX. Humiliati ad Deiparæ ædes, vulgo *de Petraminuta* traducti sunt. S. Marthæ domus Minoribus Conventualibus concessa, a quibus deinde an. MDXXXVII. ad Observantes pervenit. Vetus S. Marthæ nomen obsolevit: novum Deiparæ ab Angelo salu-

salutatæ templum magnifico opere ibidem extructum. Quo vero anno Deiparæ *de Petraminuta* ædes deseruerint Humiliati, non constat; at deseruerunt certe non multos post annos, atque ad S. Germani commigrarunt, quæ deinde domus S. Marthæ nomen accepit, quod adhuc retinet. Erat hæc scilicet altera Genuensium Humiliatorum domus: 8. *Domus sancti Germani*. Ante an. MCCXXXV. illius initia consignanda esse, Henrici de Porta Genuensis Notarii acta ostendunt, in quibus ad diem XXV. Apr. ejusdem anni hæc habemus: *Fr. Anselmus Prior Mansionis novæ Humiliatorum de Janua posita in Multedo sive Acquasola*. Et alibi in iisdem actis, ejusdemque, ut videtur, temporis: *Item eodem die Fr. Jacobus Ronza Minister sive Præpositus domus novæ Humiliatorum medii Ordinis de Alexandria*, (nempe S. Michaelis, ut arbitror), *& domus novæ de Janua, sive Ecclesiæ S. Germani sitæ, ubi dicitur Luculus, sive Acquasola* &c. Ex quibus vides eumdem Alexandrinæ ac Genuensis hujus domus fuisse Præpositum. Ita scilicet fieri interdum apud Humiliatos consueverat, ut minores domus nonnullæ Priori regendæ committerentur; suprema tamen ejusdem administratio penes majoris alicujus domus Præpositum esset. Recensetur illa etiam in Catal. an. MCCCXLIV. At deinde mulieres tantummodo eamdem incoluerunt. Sane in Advocati Codice pag. 122. inter mulierum domos illa recensetur, quas tamen ille narrat Humiliatorum legibus vestibusque rejectis, Cassinensibus se addixisse; idque addit Panigarolæ S. Marthæ Præpositi culpa an. MDXVI. accidisse. Humiliati, ut diximus, post brevem ad S. Mariæ *de Petraminuta* moram huc commigrarunt, eam, arbitror, ædium partem occupantes, quam olim etiam tenuerant, dum fratribus ac sororibus communis domus illa erat. Hinc factum, ut S. Germani nomen in S. Marthæ mutaretur. Circa an. MDXXXVI. commendari cœpit. Nam in Torchii Codice pag. 14. hæc habemus: *Constitui Rev. viros Dominos Evangelistam de Cittadinis, Domicilium de Glussiano, Bonifatium de Angelis procu-*

ratores

ratores ad resignandum beneficium S. Marthe Janue in manibus SS. Domini nostri in favorem Reverendissimi Domini Cardinalis Grimaldi. In Catalogo an. MDLXX. Nerio cuidam Prælato commendata dicitur. Casinenses Sanctimoniales ædes illas S. Marthæ sacras adhuc incolunt.

XLV. Brevius reliquas duas hujusce *fagiæ* domos, Dertonenses scilicet, expediemus: 9. *Domus fratrum sancti marci in tertona*. Alexandrinæ S. Michaelis domui ejusque Præposito Dertonensis hæc S. Marci domus obnoxia olim erat, ac Prior tantummodo illi præerat, ut ex edendo monumento XI. Febr. MCCLIV. colligimus, quo controversiæ inter utramque domum hac de caussa exortæ componuntur. Humiliatis extinctis S. Marci domum S. Pius V. Minoribus attribuit (*a*). At Pontificia donatio exitu caruit. Pius enim ipse paullo post domum illam Dertonensi Episcopo ad Cathedrale templum erigendum concessit. Dertonensis tamen Episcopus (erat is Cæsar Gambara Brixiensis) ædes illas S. Euphemiæ Monialibus Ord. S. Benedicti concessit, quæ a colle arci proximo, quem antea incolebant, illuc concesserunt, atque a S. Euphemiæ nomine, quod adhuc servat, domum illam appellarunt. Hæc omnia ex charta an. MDLXXI. V. Nov. rog. per Bernardum Bussetum, atque in Dertonensis Cathedralis tabulario servata constant. Domus ejusdem redditus partim Dertonensi Capitulo, partim PP. Ord. Prædicatorum attributi. Alia erat 10. *Domus sancti barnabe ibi*. Comitiis an. MCCCCXCI. interfuit *Fr. Bartholomæus de Musida Prior S. Barnabe Therdonæ*: Deinde in mulierum domum conversa est. Enimvero Humiliatas S. Barnabæ commemorat in suo Codice Advocatus pag. 34. circa an. MDXXV. Postquam S. Euphemiæ Sanctimoniales ad S. Marci commigrarunt, atque huic domui S. Euphemiæ nomen indiderunt, S. Barnabæ Humiliatæ illis additæ sunt.

(*a*) Bullar. Rom. Edit. Luxemburg. seu Genev. T. II. pag. 352.

sunt. Etenim in prima Dertonensi Synodo, Mapheo Gambara Episcopo, sub XVI. sæculi exitum habita commemoratur *Monasterium S. Euphemiæ Ord. S. Benedicti, cui fuit unitum Monasterium S. Barnabæ Ordinis Humiliatarum.*

XLVI. Universæ ditionis Venetæ, ad quam progredimur, domus quinque *fagiis* continentur, Bergomensi, Brixiensi, Cremensi, Veronensi, ac Vicentina. A Bergomensi initium esto. Humiliatos alterius Ordinis ante an. MCCI. hanc urbem ingressos, Innocentii literæ eodem anno ad illos datæ testantur. Quin etiam multo ante id contigisse ex monumento IX. Jan. MCCCLXX. suo loco edendo colligimus, quod cum pluribus aliis ad Bergomenses Humiliatos pertinentibus ad me transmisit eruditissimus vir, atque in antiquitatis studio egregie versatus Bergomensis Cathedralis Ecclesiæ Canonicus ac Primicerius Marius Lupus. Lafranchi scilicet Bergomensis Episcopi sententiam continet in controversia latam, quæ inter Humiliatos ac Cruciferos agebatur, utri digniore in supplicationibus loco donandi essent. Statuit autem Humiliatis illum deberi, quod antiquiores essent. Antiquitas vero in hujusmodi controversiis non ex Ordinis initiis, sed ex ejusdem in urbem ingressu ducitur. Hinc cum Cruciferos an. MCLXXI. Bergomi receptos narret Calvius (*a*), Humiliatorum in eamdem urbem ingressus hoc anno antiquior censendus est. Anno autem MCCII. unica adhuc fuisse videtur Bergomi Humiliatorum domus. Chartam enim habemus XXIII. Aug. ejusdem anni, in qua *domus Umiliatorum* indicatur, nullo alio nomine addito, quod addendum fuisset, ut ab aliis, siquidem extitissent, distingueretur. Sed jam quot essent Bergomenses Humiliatorum domus an. MCCXCVIII. videamus.

XLVII. *In Pergamo & Diæcesi*, ait Joannes Braidensis, *erant domus fratrum cum suis Religiosabus viginti; Cœnobium Religiosarum*

(*a*) Effemeride T. II. pag. 495.

ratores ad resignandum beneficium S. Marthe Janue in manibus SS. Domini nostri in favorem Reverendissimi Domini Cardinalis Grimaldi. In Catalogo an. MDLXX. Nerio cuidam Prælato commendata dicitur. Casinenses Sanctimoniales ædes illas S. Marthæ sacras adhuc incolunt.

XLV. Brevius reliquas duas hujusce *fagiæ* domos, Dertonenses scilicet, expediemus: 9. *Domus fratrum sancti marci in tertona*. Alexandrinæ S. Michaelis domui ejusque Præposito Dertonensis hæc S. Marci domus obnoxia olim erat, ac Prior tantummodo illi præerat, ut ex edendo monumento XI. Febr. MCCLIV. colligimus, quo controversiæ inter utramque domum hac de caussa exortæ componuntur. Humiliatis extinctis S. Marci domum S. Pius V. Minoribus attribuit (a). At Pontificia donatio exitu caruit. Pius enim ipse paullo post domum illam Dertonensi Episcopo ad Cathedrale templum erigendum concessit. Dertonensis tamen Episcopus (erat is Cæsar Gambara Brixiensis) ædes illas S. Euphemiæ Monialibus Ord. S. Benedicti concessit, quæ a colle arci proximo, quem antea incolebant, illuc concesserunt, atque a S. Euphemiæ nomine, quod adhuc servat, domum illam appellarunt. Hæc omnia ex charta an. MDLXXI. V. Nov. rog. per Bernardum Bussetum, atque in Dertonensis Cathedralis tabulario servata constant. Domus ejusdem redditus partim Dertonensi Capitulo, partim PP. Ord. Prædicatorum attributi. Alia erat 10. *Domus sancti barnabe ibi*. Comitiis an. MCCCCXCI. interfuit *Fr. Bartholomeus de Masida Prior S. Barnabe Therdone*. Deinde in mulierum domum conversa est. Enimvero Humiliatas S. Barnabæ commemorat in suo Codice Advocatus pag. 34. circa an. MDXXV. Postquam S. Euphemiæ Sanctimoniales ad S. Marci commigrarunt, atque huic domui S. Euphemiæ nomen indiderunt, S. Barnabæ Humiliatæ illis additæ sunt.

(a) Bullar. Rom. Edit. Luxemburg. seu Genev. T. II. pag. 352.

sunt. Etenim in prima Dertonensi Synodo, Mapheo Gambara Episcopo, sub XVI. sæculi exitum habita commemoratur *Monasterium S. Euphemiæ Ord. S. Benedicti, cui fuit unitum Monasterium S. Barnabæ Ordinis Humiliatarum*.

XLVI. Universæ ditionis Venetæ, ad quam progredimur, domus quinque *fagiis* continentur, Bergomensi, Brixiensi, Cremensi, Veronensi, ac Vicentina. A Bergomensi initium esto. Humiliatos alterius Ordinis ante an. MCCI. hanc urbem ingressos, Innocentii literæ eodem anno ad illos datæ testantur. Quin etiam multo ante id contigisse ex monumento IX. Jan. MCCCLXX. suo loco edendo colligimus, quod cum pluribus aliis ad Bergomenses Humiliatos pertinentibus ad me transmisit eruditissimus vir, atque in antiquitatis studio egregie versatus Bergomensis Cathedralis Ecclesiæ Canonicus ac Primicerius Marius Lupus. Lafranchi scilicet Bergomensis Episcopi sententiam continet in controversia latam, quæ inter Humiliatos ac Cruciferos agebatur, utri digniore in supplicationibus loco donandi essent. Statuit autem Humiliatis illum deberi, quod antiquiores essent. Antiquitas vero in hujusmodi controversiis non ex Ordinis initiis, sed ex ejusdem in urbem ingressu ducitur. Hinc cum Cruciferos an. MCLXXI. Bergomi receptos narret Calvius (a), Humiliatorum in eamdem urbem ingressus hoc anno antiquior censendus est. Anno autem MCCII. unica adhuc fuisse videtur Bergomi Humiliatorum domus. Chartam enim habemus XXIII. Aug. ejusdem anni, in qua *domus Umiliatorum* indicatur, nullo alio nomine addito, quod addendum fuisset, ut ab aliis, siquidem exstitissent, distingueretur. Sed jam quot essent Bergomenses Humiliatorum domus an. MCCXCVIII. videamus.

XLVII. *In Pergamo & Diœcesi*, ait Joannes Braidensis, *erant domus fratrum cum suis Religiosabus viginti; Cœnobium Religiosarum*

(a) Effemeride T. II. pag. 495.

per se erat unum. Singulas ex antiquiore Catalogo proferamus. *In fagia de pergamo* 1. *domus fratrum de galgari*. Hanc Bartholomæus de Peregrinis a Joanne Bergomensi Episcopo an. MCCXI. fundatam dicit (a). Enimvero in *Libris Censuum Episcopatus Bergomensis* ab an. MCCCCLII. ad an. MCCCCLXII. conscriptis, qui in secretiore ejusdem Episcopii tabulario servantur, hæc habemus: *Prepositus, fratres, & Monasterium de Galgari ordinis humiliatorum statuto & ordinatione Rev. D. Joannis olim Episcopi Pergamen., qui predictum Monasterium edificavit in onore Salvatoris sub vocabulo Beate Marie Virginis, & Omnium Sanctorum, & voluit, ut perpetuo esset Episcopatui Pergamen. subjectum, dare tenetur quolibet anno perpetuo in signum subjectionis pro censu, ut patet in carta tradita per Lanfrancum Sosenum Notarium, rogata die secunda intrant. Mense Augusti MCCXI., & in carta confessionis* &c. *cere laborate libras tres*. Jam a sæculo XV. commendari illa cœpit, ut ex Sixti IV. literis ad Jacobum de Landriano Generalem Humiliatorum Magistrum XXVII. Dec. MCCCCLXXVII. datis colligimus, quæ apud doctissimum P. Ludovicum Luchium Casinensem Abbatem servantur, qui & has & plurima alia monumenta, ubi de Humiliatis Brixiensibus agemus, commemoranda, nobiscum communicari humanissime voluit. En tibi earundem fragmentum: *Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilectus filius Magister Baptista de Colionibus Clericus Pergamen. Notarius noster, qui alias Preposituram domus omnium Sanctorum de Galgari extra muros Pergamen. dicti ordinis* (Humiliatorum) *apostolica auctoritate sub certis modo & forma sibi commendari obtinuit, & commende hujusmodi pretextu dilectum filium Lazarinum de Larota fratrem dicti ordinis possessioni dicte Prepositure incumbentem manu armata, presente & assistente sibi populariter quondam Bartholomeo Coliono tunc Dominii Venetiar. Armor. Capitaneo Generali, possessione hujusmodi*

(a) Vinea Bergomen. P. I. Cap. XXXIII.

hujusmodi spoliavit, ac ex tunc Prepposituram ipsam per plures annos possedit in grave prejudicium dicti Ordinis, se ipsius Baptiste potentie, vivente dicto Bartholomeo, resistere non valente; post dicti Bartholomei vero obitum (an. MCCCCLXXV.) *sepenumero verbo, & litteris tuis, & etiam Venerabilis fratris nostri Angeli Episcopi Prenestin. dicti Ordinis Protectoris, & etiam per te super dicta Prepositura alias extra judicialiter molestatus, tandem post longum tractatum.... tecum convenit, quod ipse Baptista Preposituram predictam dimittere, tuque & dicti Ordinis fratres eidem Baptiste pro expensis per eum occasione Prepositure hujusmodi supportatis, & aliis causis mille & ducentos florenos auri de Camera solvere deberetis &c.* Quam conventionem Pontifex ratam jubet. Narrat Calvius (*a*), an. MCCCCXCVII. actum fuisse de hoc Cœnobio Augustinianis quibusdam Virginibus concedendo, sed rem exitu caruisse. Anno MDLXX. Pighetto cuidam commendatum erat, duoque tantum Humiliati ibi supererant. Anno denique MDCLXV. Franciscus Tassius ejusdem domus Commendatarius illam, certis conditionibus adpositis, PP. Ord. Minimorum concessit, quibus eamdem jam a XX. annis circiter commodaverat.

XLVIII. Sequitur deinde 2. *Domus communis*, quæ etiam *SS. Simonis & Judæ*, & *de Mansione* appellatur. Hanc a Joanne Bergomensi Episcopo an. MCCXXIII. constructam fuisse, scribit Peregrinius (*b*). Contrarium tamen ex memoratis *Censuum* libris colligi videtur, in quibus hæc habemus: *Prepositus, fratres, & Monasterium Domus Comunis secundi Ordinis humiliatorum dare tenetur quolibet anno perpetuo pro censu in signum subjectionis, ut patet in privilegio eis concesso per Rev. Patrem D. Fratrem Herbordum S. Pergamen. Ecclesie tunc Episcopum, traditum* (ita) *per Jacobum Admirati Not. & curie Episcopalis scribam die septimo exeunte Junio*

 MCCLXIII.

(*a*) Effemeride T. II. pag. 198.
(*b*) Vinea Bergom. P. I. Cap. XXXIII., & P. II. Cap. XXXI.

MCCLXIII. & in carta confessionis &c., *cere laborate libram unam*. Nisi forte dicamus privilegium hujusmodi non fundationis, sed beneficii cujusdam alterius occasione concessum fuisse. Anno MCCCCLXIV. unicus ædes illas Præpositus incolebat: ita enim in charta ejusdem anni VII. Jun. in Civitatis Bergomensis tabulario: *Venerabilis vir Dominus Frater Galeaz de Coleonibus Prepositus Domus Comunis Pergami Ordinis Humiliatorum, in quo consistit totum Capitulum & Conventus ipsius Monasterii, cum nullus alius adsit professus in eodem Monasterio*. Melior erat ejusdem conditio an. MDLXX.: tunc enim præter Marium Averoldum Præpositum, septem ibi Humiliati alebantur. Illius deinde redditus commendati sunt, primusque illos una cum S. Bartholomæi, & S. Petri Præpositurarum redditibus, de quibus mox sermo erit, Cardinalis Albanus obtinuit.. 3. *Domus de rasori*, seu, ut alibi melius, *de rasulo*, quæ alio nomine *S. Bartholomæi*, aut *SS. Mariæ & Bartholomæi in prato* dicitur. Consentiunt in hujus origine statuenda Peregrinius (*a*) & memorati *Censuum* libri. In his enim, ut vidimus Vol. I. pag. 182. domus simul adjunctique nosocomii initia an. MCCXXI. consignantur. De Nosocomio satis ibidem disseruimus. Sed etiam Nosocomio sublato domum illam usque ad Ordinis extinctionem Humiliati tenuerunt. Ea deinde PP. Ord. Prædicatorum concessa est.

XLIX. Aliæ nunc sequuntur Bergomensium Humiliatorum domus minus notæ, quæ plerumque ab aliquo Bergomensis agri pago nomen ducunt. Sed cum id frequentissime apud Humiliatos factum viderimus, ut urbanæ etiam domus a pagorum nominibus appellarentur, non satis possumus earum locum definire. At ad suburbia certe pertinebat 4. *Domus de cugnolo*. In charta enim an. MCCXCVIII. XI. Dec. hæc habemus: *ad instantiam Girardi Vallotti Sindici & Procuratoris domus humiliatorum* de-

(*a*) Vinea Bergom. P. I. Cap. XXXIII.

de Ciniolo sita in burgo S. Andree. Sed nulla posterior ejusdem mentio occurrit. At 5. *Domus de osio* (Bergomensis agri pagus est in Mediolanensi Diœcesi) non solum anno MCCCXLIV., sed anno etiam MCCCLX. supererat. In Codice enim hujus anni MS. Bergomensis Cathedralis tabularii, in quo recensentur *Ecclesie, domus, plebatus, & Monasteria, & Hospitalia site & sita in Civitate, suburbiis, & Diocesi Bergomensi*, inter domos Humiliatorum nominatur: *Domus de Oxio: extimat. in Lib. XXIX.* Ex quo videtur non Osii, sed in urbe ipsa aut suburbiis domus hæc posita fuisse. Si enim Osii fuisset, qui Mediolanensis diœcesis, ut diximus, est pagus, in Bergomensis Episcopatus jure non fuisset. At in alio ejusdem tabularii Codice MS. an. MCCCXCV., qui inscribitur: *Liber duorum Secondorum Terminorum Decime triennalis Bonifacii PP. noni* hæc habemus: *Domus de Oxio unita cum domo de Rasullo: solvit D. Prepositus sol.* 8. Eodem modo 6. *Domus de ciserano*, seu, ut alibi scribitur, *de cisano*, vel *de cixano*, & in Catal. an. MCCCXLIV., & in Bergomensi Codice an. MCCCLX. recensetur. In Codice vero an. MCCCXCV. legimus: *Domus de Cisano unita cum dicta domo de Rasulo; solvit D. Prepositus sol.* 8. Quæ postea profertur 7. *Domus de mapelo* hoc unice loco commemoratur. Contra 8. *Domus de orsaniga* seu *de orsanisga* in Catal. an. MCCCXLIV. inter Sororum domos numeratur. At paullo post fere omnino collapsa illa erat: sic enim habemus in Bergomensi Codice an. MCCCLX. *Domus de orsanisga nihil habet: ibi stant due mulieres, que vadunt mendicatum*. Hinc in Codice an. MCCCXCV. Galgariensi domui conjuncta dicitur. Tres deinde succedunt Humiliatorum domus, quarum nomen tantum ex hoc Catalogo noscimus, 9. *Domus de la fontana;* 10. *Domus de thovo*, vel *de thono;* 11. *Domus de bolterio*. Notior est 12. *Domus de botenugo;* nam & supererat an. MCCCXLIV., & habemus Uberti de Regibus Generalis Humiliatorum Magistri literas an. MCCCLIV. XI. Jun. datas, quibus domum hanc Communi Bergomensi domui con-

conjungit. In Codice an. MCCCLX. habemus: *Domus de botanucho extimat. in libris XXII. Nibil habet, quoniam devastata est: jam sunt plurimi anni, quod fratres quondam dicte domus stant in domo Fratrum Domus communis.*

L. 13. *Domus de platea de lomeno;* 14. *Domus burgi de lomeno. Lomenum, Lemennum, Lemine*, Bergomensis agri est oppidum, celeberrimum olim, nunc vulgo *Almenno*. Ibi utraque hæc erat Humiliatorum domus. Sic enim in Catal. an. MCCCXLIV.: *Domus de burgo lomeno, fratres quatuor, sororem unam. Domus de Buslecha ibi supra, fratres sex, sorores septem. De Buslecha* vero corrupte scribitur pro *de Burghetto*, quo etiam nomine domus illa appellatur; hujusque corruptionis exemplum habemus etiam in Bergomensis Cathedralis tabularii charta an. MCCLXXXI. II. *exeunte Decemb.: Fr. Aspino Minister domus Humiliatorum de Burlecho de Lemine*. In Codice an. MCCCLX. utriusque domus exitum habemus: *Domus Burgi de Lemine extimat. in Libris VII. Habet realiter nibil, quoniam devastata est jam sunt plures anni; & fratres dicte domus stant in domo humiliatorum de galgari. Domus de Burgeto extimat. in Libris VII. Nibil habet, quoniam devastata est, & fratres dicte domus stant in domo fratrum humiliatorum de galgari, & redditus eorum sunt in extimo dictorum fratrum.* 15. *Domus de cugnolo de foris* (forte extra S. Andreæ suburbium, in quo erat domus alia *de cugnolo*, & 16. *Domus de gorla* in hoc tantum Catalogo memorantur. At vero 17. *Domus de bianzano* ad extrema usque Humiliatorum tempora superfuit. In S. Thomæ suburbio posita erat, ædemque habebat S. Petro sacram. Nunc ædes illas Virgines, quas *Demissas* vocant, incolunt. 18. *Domus de paloscho*. Hujus monumentum habemus in charta an. MCCCVIII. XV. Maji, qua leges nonnullæ pro Telgatensis S. Joannis Ecclesiæ administratione a Joanne Bergomensi Episcopo latæ continentur: *item aliam petiam terre aratoriam .... positam in ipso territorio* (Telgatensi), *ubi dicitur in Paratello, cui coheret .... a sero domus humiliatorum de palusco.*

At

At nusquam alias deinde illa memoratur, uti etiam binæ reliquæ domus, scilicet 19. *Domus de mornigo*, & 20. *Domus de sara*.

LI. Postremo in Catalogo nostro profertur 21. *Domus sororum de razuri*. Vidimus Humiliatorum domum *de Rasulo* nuncupatam Bergomi fuisse. Haud longe vero turris assurgit fossæ imminens, qua suburbium cingitur, quæ *Torre del Raso* appellatur. Eo loco fuisse olim Sanctimonialium Cœnobium fert incolarum traditio, idem forte quod hic indicari videmus. Brevi tamen substitisse illud arbitror; neque enim in Catal. an. MCCCXLIV. commemoratur. Nihilominus aliam Humiliatarum domum diverso quidem, sed non admodum dissito loco, ubi nunc scilicet S. Luciæ ædes exstant, fuisse deinde constructam videmus, quæ S. Agathæ appellaretur. Arbitror itaque domum illam *de razuri* sive ob inopiam, sive quamcumque aliam ob caussam a Sanctimonialibus desertam fuisse: novam vero hanc tunc fortasse fundatam, cum sorores a Fratribus sejungi oportuit. Nullum mihi tamen illius monumentum ante an. MDLXIV. occurrit, quo tempore gravissima inter Sanctimoniales illas, atque Humiliatos domus SS. Simonis & Judæ, quibus obnoxiæ erant, controversia exorta est. Placet breviter quidem sed diligenter rem persequi, eoque libentius, quod monumenta omnia ad hanc caussam pertinentia præ manibus habemus a Bergomensis civitatis tabulario excerpta, scilicet ex *Libro Actionum Magnifici Majoris & Minoris Consilii Magnificæ Civitatis Bergomi*, & *ex Registro Ducalium Litterarum*.

LII. Itaque X. Dec. MDLXIV. Civico Bergomensi Magistratui supplex Humiliatarum S. Agathæ libellus oblatus est, quo se diu sub Humiliatorum regimine vixisse narrabant; sed jam eo rem devenisse, ut Fratres non modo nihil de illarum salute solliciti essent, sed ipsis Cœnobii bonis inhiarent; rogabantque idcirco, ut ab Humiliatorum jure imposterum liberarentur; eodemque tempore libellus alius Magistratui oblatus est, quo Moniales omnes

eadem

omnes eadem clarius testabantur, ideoque Cornelium Federicum Bergomensem Episcopum enixe orabant, ut opportuno auxilio illis adesset. Quibus auditis, decretum a Magistratu est, preces Episcopo admovendas esse, ut Monialium votis satisfaceret. At ecce XXIII. Febr. MDLXV. supplex alius libellus Magistratui offertur nomine Alexandri Colleoni Mansionis Præpositi, ac Generalis Humiliatorum in Veneta ditione Vicarii, & Joannis Petri de Caprianis Pisanæ domus Præpositi, atque huic rei gerendæ ab Humiliatorum Magistro delecti. Narrabant illi nempe S. Agathæ Sanctimoniales re maturius expensa, suique officii commonitas, mentem mutasse: fixum tamen Capriano esse, caussam universam cognoscere, ut si qua esset querelarum occasio, penitus tolleretur: duo itaque cives, qui sibi in hoc negotio adessent, ut seligerentur, rogabant. Libello documenta addebantur, quibus, quæ in Libello ipso relata fuerant, confirmarentur; ac primo eorum narratio, quæ XXIX. Jan. contigerant. Colleonus enim, cum e Sanctimonialibus nonnullas facti pœnitere audisset, Cœnobium adiit, ibique peracto Sacro Cœnobium ingressurus accessit. Sed Cœnobii Vicaria Alexandrum aditu prohibuit, qui propterea *hostium aperiri fecit manu militari*. Hinc cum singularum mentem investigasset, quinque ex Sanctimonialibus præteritorum veniam orantes, velle se ab Humiliatorum jure adhuc pendere affirmarunt; reliquæ, ac Vicaria præsertim, antiquæ opinionis tenacissimas se præbuerunt, in quas proinde Alexander anathematis sententiam tulit. Aliud deinde documentum addebatur, eorum scilicet narratio, quæ XVII. Febr. MDLXV. contigerant. Caprianus enim cum se ad S. Agathæ contulisset, reliquas hortatus, ut contumaciam ponerent, omnes dicto parentes habuit, easque a Censuris absolvit. Hæc cum ita se haberent, XIV. Martii Magistratus decreto sancitum est, ut Duumviri, quibus Monasteriorum cura commissa erat, de tota hac caussa cum Capriano cognoscerent. Qua ratione caussæ cognitio cœpta fuerit, ignoramus. Sed exitus certe

San-

Sanctimonialibus funestissimus accidit. Colleonus enim, qui interea Generalis Humiliatorum Magister jussus fuerat, Fratri Jacobo ab Ecclesia Soncinensis domus Præposito literas dedit IV. Aug. MDLXV., quibus post innumera Sanctimonialium crimina gravissimis verbis exaggerata, easdem ad Soncinensem domum fratribus per id tempus, ut videtur, vacuam deduci jubebat. Res tamen exitu caruit, nec diu licuit Humiliatis de relata victoria gloriari. Cum enim, ut arbitror, nova caussæ cognitio instituta esset, cumque ex illa constaret, gravium quidem criminum reas esse Moniales, sed id ipsorum præsertim Humiliatorum culpa accidisse, Hieronymus Priolus Venetiarum Dux XXVII. Aug. MDLXVI. Francisco Mariæ Maripetro Bergomensi Prætori, ac Joanni Baptistæ Foscareno Copiarum Præfecto literas dedit, quibus Humiliati a S. Agathæ Cœnobio abstinere omnino jubebantur, nec in ullam illius regiminis partem venire; ac tota ejusdem administratio Episcopo ac Duumviris committebatur. Sed cum nondum satis in Sanctimoniales animadversum videretur, Pius V. de his omnibus certior factus XXVIII. Nov. MDLXVI. Bergomensi Episcopo literas dedit, quibus Humiliatas a S. Agathæ ædibus ejectas ad diversa Cœnobia amandari jubebat, carceris loco in iisdem custodiendas; ædesque illas S. Luciæ Sanctimonialibus Ord. Præd., quæ extra suburbia degebant, attribui. Res ad exitum deducta est; ac S. Agathæ Cœnobium a S. Lucia deinceps appellatum, quo nomine adhuc distinguitur.

LIII. Has Humiliatorum Bergomensium domos Catalogi nostri recensent. Verum in Petri de Natalibus Actis, quæ in Bergomensis Civitatis tabulario servantur, charta exstat VI. Jan. MCCCLXI. in qua novam Humiliatorum domum deprehendimus: *In burgo & vicinia sancti stefani* (quod huic suburbio nomen ex vetere S. Stephani Ecclesia Ord. Prædicatorum prope S. Jacobi portam factum erat); *in monasterio domus humiliatarum de stezano* &c. *In Capitulo & conventu monasterii humiliatarum domus sancte marie*

de ſtezano in quo erat .... ſoror Betina de Fara, Guillielma de Bergonziis de Calepio, & Cariſmola de Leſina, omnes ſorores humiliate dicti monaſterii, in quibus conſiſtit totum Capitulum &c. Verum cum in neutro Catalogo indicetur hæc domus, nec illius nomen in ullis Humiliatorum monumentis appareat, arbitror hic etiam Humiliatas latiore ſenſu intelligendas eſſe. Addit Calvius (a), Miſmæ in agro Bergomenſi Eccleſiam ac Præpoſituram, quæ nunc ad Cenatenſem Parœciam pertinet, Humiliatorum domum olim fuiſſe; ac veteris ſane domus veſtigia ſuperſunt, quam Clauſtralium fuiſſe fert incolarum traditio. Forte, ſiquidem ad Humiliatos pertinuerit, quod non ſatis conſtat, alicujus Præpoſituræ prædium fuit, quemadmodum Braidenſes Humiliatos ædem Eccleſiamque ad Montem Luparium habuiſſe vidimus.

LIV. Bergomenſibus Humiliatis Brixienſes ſuccedant; de quibus quæcumque dicturi ſumus, ea fere omnia Brixienſibus duobus clariſſimis viris deberi fatemur, Quirinianæ ſcilicet Bibliothecæ Præfecto Carolo Donedæ, a quo diligentiſſimos de Brixienſibus Humiliatis commentarios, & monumenta alia quamplurima accepimus, & Joanni Mariæ Comiti Mazzuchellio, qui pariter plurima ad Brixienſes Humiliatos pertinentia monumenta nobiſcum humaniſſime communicavit; cujus eruditiſſimi viri obitum, qui XX. Nov. MDCCLXV. contigit, acerbiſſimum nobis reddidit, tum obſervantia in illum noſtra, tum maxime dolor, quod præclarum de Italis Scriptoribus opus feliciſſimis auſpiciis ſummaque Italiæ cum laude inceptum, eidem ad exitum deducere non licuerit. *In Brixia & in Dioceſi*, ait Joannes Braidenſis, *erant Domus fratrum cum ſuis Monachabus quindecim*. En tibi ex Catalogo noſtro ſingularum nomina. 1. *Domus fratrum de ſancto luca*. Brixienſium omnium antiquiſſimam hanc fuiſſe arbitratur Cl. Doneda, idque hinc probabile redditur, quod omnium prima nominatur. Certum

(a) Effemeride T. I. pag. 46.

Certum tamen ejusdem monumentum nullum ante an. MCCXXI. habemus. In charta enim hujus anni II. Dec., cujus fragmentum vulgavit idem Doneda (*a*), commemorari videmus *Johannem de sancto Lucca, & Petrum de puteo de contignacha nomine & vice humiliatorum masculorum & feminarum brixiensis civitatis & districtus*. Illud certo constat, Rondenarienses Humiliatos ad hujus domus fundationem vocatos fuisse, ut ex charta an. MCCLVII. VI. Aug. patebit. Anno MCCXXXVI. Cavalcanus de Salis Brixiensis Cathedralis Archipresbiter ac deinde Episcopus Cœnobium S. Mariæ de Conchis, de quo Vol. I. pag. 246. diximus, Lanfranco S. Lucæ Præposito ejusque successoribus administrandum dedit; qua de re videndus Cl. Doneda, qui quæcumque ad hoc Cœnobium pertinet, diligentissime digessit (*b*). Anno autem MCCCCXIII. cum S. Lucæ domus incolis fere vacua esset, Brixienses S. Catharinæ Sanctimoniales Ord. Prædicatorum ab Eugenio IV. impetrarunt, ut illa earum Cœnobio conjungeretur. Eugenii literas hac de re datas habes in *Bullario Ord. Prædic.* (*c*); ubi tamen non *pridie Nonas*, sed *pridie Cal. Julii* legendum est, ut ex autographo constat, quod in eodem Cœnobio servatur. Hæc tamen concessio effectu caruit. Certe in charta an. MCCCCXLIV. X. Mart. apud Cl. P. Abbatem Luchium jam laudatum habemus: *In civitate brixie in claustro ecclesie sancti luce dicte civit. brixie presentibus venerabili viro Domino fratre Bertolino de sancto gervasio preposito domus & ecclesie predicte sancti luce ordinis humiliatorum civitatis brix.* Ædes deinde illas Canonici Regulares Lateranenses certis conditionibus adjectis impetrarunt; sed nec illi (incertum qua de caussa) adierunt. Demum Brixiensi Nosocomio concessæ sunt, ut ex Eugenii IV. literis V. Maji MCCCCXLVI. suo loco edendis constabit.

(*a*) Notizie di S. Costanzo Cap. VII.
(*b*) Notizie di S. Costanzo Cap. VI.
(*c*) T. IV.

ſtabit. Vetus porro S. Lucæ ædes eodem fere loco erat ac recens Noſocomii commodo exſtructa. Domum hanc *de Quinciano* etiam appellatam fuiſſe ſcribit Cl. Doneda (*a*).

LV. Sequitur 2. *Domus de gambara*, quam ab Alberico de Gambara fundatam innuimus Vol. I. pag. 256. In *Repertorio* enim, ut ajunt, monumentorum, quæ in pubblico Brixienſi tabulario aſſervantur, ad annos MCCXXXIX. MCCXL. habemus: *Molendinum D. Albrici de Gambara, qui fuit auctor Monaſterii S. Magdalenæ*. Ædem ſcilicet S. Mariæ Magdalenæ ſacram habebat hæc Humiliatorum domus, quam tamen Eccleſiam anno tantum MCCLI. conſtructam fuiſſe teſtatur Codex pergamenus Brixienſis Epiſcopii, qui Regiſtrum vetus inſcribitur, atque ab an. MCCXCV. initium ducit: *Eccleſia S. Marie Magdalene, que hedificata fuit ad domum humiliatorum de gambara 1251. de menſe marcii* ſolvere conſuevit *unam lib. cere in feſto S. Marie Magdalene, quod eſt de menſe Julii*. Et in pergameno alio ejuſdem tabularii Codice, qui inſcribitur: *Liber Receptionum factarum per Dominum Sozoynum de Capriolo Clericum Camerarium Ven. Patris Domini Berardi divina gratia Epiſcopi, Marohionis, Ducis, & Comitis anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto* hæc habemus: *VIIII. lib. cere a Fratre Girardo Miniſtro domus humiliatorum de gambara pro cenſu eccleſie ſancte marie magdalene dicte domus de VIIII. annis proximis preteritis ad rationem unius libre cere in anno*. Anno MCCCCXXXVI. nova ab Humiliatis Eccleſia exſtructa eſt, quæ adhuc ſupereſt, ibidemque exſtat rei teſtis inſcriptio: *YHS. ✠. Anno D. MIIII.XXXVI. Die IIII. menſis Junii Ven. vir D. Fr. Stephanus de luciis de lumeſanis Prepoſitus hujus domus fieri & conſtrui fecit hanc Eccleſiam ſub nomine & vocabulo S. M. Magdalene & S. Marci. Deo gratias. Amen*. Vetus Eccleſia prophanis uſibus addicta antiquarum aliquot picturarum veſtigia adhuc

(*a*) Ibid. Cap. VII. pag. 56.

adhuc ſervat. Nicolaus V. literis an. MCCCCLIV. XV. Cal. Mart. datis, Præpoſituram hanc Brixienſi Noſocomio conjunxit, edixitque, ut illius Præpoſito decedente omnia ejuſdem Cœnobii jura ac redditus Noſocomium idem adiret. At certe domum illam, quamvis commendatam, uſque ad an. MDLXX. Humiliati tenuerunt. Itaque ſic res compoſita fuiſſe videtur, ut illarum ædium pars Noſocomio cederet, reliquam incolerent Humiliati. Enimvero magnam per id tempus earumdem ædium partem Brixienſi Noſocomio conjunctam fuiſſe ſcribit Cl. Doneda. Anno MDLXXXV. cum Præpoſituram hanc Durantes Durantius obtineret, quinque adhuc ſuperſtites Humiliati ex Pii V. lege ibi degebant. Anno autem MDXCVII. ab Auguſtinianis Sanctimonialibus, quæ ad S. Urbani erant, ædes illæ, quas tunc Rantitius Durantius obtinebat, certis conditionibus coemptæ ſunt, ad quas an. MDCII. illæ commigrarunt, quinque Humiliatis, qui adhuc ſupererant, ad S. Urbani deductis. Deinde vero Ara Maxima Monialium Odæo incluſa; extrema Eccleſiæ pars in Cœnobii veſtibulum converſa; quæ media erat, ſupereſt adhuc.

LVI. 3. *domus de medio*. Hujus etiam meminit *Regiſtrum vetus* an. MCCXCV. *Eccleſia S. Marchi hedificata ad domum ordinis humiliatorum de medio: una lib. cere ex ficto cenſus ipſius Eccleſie in feſto ſancti petri*. At S. Marci hæc ædes non eo loco erat, quo adhuc ædicula eidem ſacra Brixiæ exſiſtit, ſed in via, quæ a S. Laurentio nomen ducit. Id ſcilicet ex charta an. MCCCXLIX. IX. Apr. colligimus, in qua illa dicitur *ſcita in contrata ſancti Laurencii civitatis Brixie*. Porro ex hoc ipſo monumento, quod ſuo loco edemus, conſtat domus hujuſce Humiliatos ſe ſuaque omnia *Abbati & Comiti Monaſterii ſancti Benedicti de Leno Brixienſis diocesis dediſſe*: duo enim ibi eliguntur, qui conjunctionem hanc jam decretam a Romano Pontifice approbandam curent. Utrum tamen hæc conjunctio perfecta revera fuerit, ita ſaltem, ut omnia Humiliatorum bona Leonenſes Benedictini adirent, affirmare non au-

aufim. Vidimus enim fupra num. LV. Ecclefiam domus *de Gambara* an. MCCCCXXXVI. exftructam S. Mariæ Magdalenæ, & S. Marco facram fuiffe, cum antea folo S. Mariæ Magdalenæ nomine defignaretur; ut videatur ipfa faltem S. Marci Ecclefia domus illius Humiliatis conceffa fuiffe, qui illa everfa ejufdem appellationem fuæ adjicerent. In *Regiftro* an. MCCXCV. commemoratur etiam 4. *Domus de pontevico*, his verbis: *Ecclefia S. Pauli de domo humiliatorum de pontevico*. Porro, quamvis Pontevicum Brixienfis agri fit oppidum, urbanam tamen hanc domum fuiffe colligimus ex MS. Brixienfis Epifcopii Codice ejufdem anni, qui infcribitur: *Liber receptionum* &c., in quo illa urbanis domibus additur. De hac autem quid ftatuam nefcio; nam neque in Catal. an. MCCCXLIV., neque in ullis Humiliatorum Comitiis, aut pofterioribus eorumdem monumentis umquam occurrit. At in Catal. an. MDLXX. illa profertur, atque inter eas profertur, quæ commendatæ non fuerant, ac, mutata appellatione, S. Mariæ de Pontevico dicitur. In re obfcuriffima hoc unice conjectando afferri poteft, fuiffe illam olim alteri domui conjunctam, deinde vero poftremis Humiliatorum annis fejunctam iterum.

LVII. Quæ duæ fuccedunt, 1. *Domus de contegnaga*, & 6. *Domus fancti fauftini*, eas fimul conjungimus, quod communis fere eft utriufque hiftoria. Notiffima eft Brixienfis S. Afræ Ecclefia, olim S. Fauftini, & SS. Fauftini & Jovitæ ad fanguinem appellata, quam nunc Canonici Regul. Lateranenfes obtinent. Anno MCCXXI. cum Canonicis quibufdam concredita illa effet, Ugolinus Cardinalis ac Pontificius Legatus eamdem proximafque ædes Dominicanis conceffit, hac conditione adjecta, ut veteres Canonici *prebendis* adhuc fruerentur; iis vero obeuntibus, illæ Epifcopi arbitrio permitterentur. Ugolinus porro ipfe, cum Pontifex Maximus renunciatus fuiffet, ac Gregorius IX. appellatus, Brixienfi Epifcopo an. MCCXXVII. conceffit, ut *prebendis* in tem-

templi ejusdem ædiumque instaurationem uteretur. Aberat porro non multum a S. Faustini æde Humiliatorum domus *de contegnacha*, ut constat ex charta an. MCCXLV. a Cl. Doneda inspecta: *Die Jovis septimo exeunte mense Madio in curia humiliatorum de burgo sancti faustini portæ mat.* (nempe matulfæ) *Civitatis brixie presentibus fratribus Johanne de pontevico humiliato, rodulfo humiliato de sancto faustino .... ibi dominus albertus golta ... vendidit ... fratri Johanni humiliato de contegnacha ministro & anciano domus & colegii humiliatorum de contegnacha* &c. Jam vero cum PP. Ord. Prædicatorum alio commigrare meditarentur, Innocentius IV. an. MCCXLIX. XXX. Apr. Brixiensi Episcopo mandavit, ut domum illam Humiliatis de Contegnacha concederet. Et domum ille, hortumque concessit, sed Ecclesiam, quæ in Innocentii literis non memorabatur, se concessurum negavit; eamque Joanni Ecclesiæ S. Georgii Montisclari Canonico Augustiniano concessit; nec eamdem adire umquam Humiliatis licuit. Quæ omnia ex monumentis constabunt hoc volumine edendis. Duplex itaque erat Humiliatorum domus, altera prope S. Faustini templum, altera L. aut LX. passibus distans, quæ S. Bartholomæi de Contegnacha dicebatur. Hinc in charta an. MCCCIX. XI. Maji apud Cl. P. Luchium: *In domibus inferioribus habitationis fratrum humiliatorum sanctorum Faustini & Jovite civit. Brix. .... Ibi in Capitulo generali conventus & domus humiliatorum sanctorum Faustini & Jovite Frater Marellus minister & prelatus domus & conventus fratrum humiliator. sanctorum Faustini & Jovite .... verbo, consensu, & auctoritate fratris Boni Ministri & prelati domus humiliator. de sancto filipo, fratris Petri Ministri & Prelati domus humiliator. de Gambara & fratris Girardini de Gambara ministri & prelati domus humiliator. de contegnaga* &c. Ibi etiam nominatur *frater stephanus minister & prelatus domus & conventus fratrum humiliatorum de palazolo*. Utraque deinde domus conjuncta est. In *Registro* enim Monumentorum, quæ in tabulario S. Bartholomæi de Contegnacha servantur, hæc habemus:

1357.....

1357..... *Feb. unione fatta dal Maestro Generale dell' Ordine de' Frati Umiliati della Casa e Collegio di S. Faustino dell' Ordine medesimo al Collegio degli Umiliati di Contegnaga, onde gli effetti di detti rispettivi Collegj sieno comuni e governati insieme con li Frati da un solo Prevosto e Prelato*. Omittendum hoc loco non arbitror, quod in ejusdem tabularii charta an. MCCCCLXXXVII. XIV. Maji fit mentio *Reverendissimi in Christo Patris D. fratris Simonis de plenis prepositi domus sancte marie magdalene de pistorio, & totius ordinis humiliator. generalis Magistri Vicarii generalis*. Simon enim hic de Plenis idem ille est, quem Vol. I. pag. 143. diximus a nonnullis per id tempus Generalem Humiliatorum Magistrum dici, cum hinc constet vices tantum illius Simonem gessisse. Anno MDXXII., ut ex ejusdem tabularii charta VI. Oct. colligimus, Jacobo Pisauro Paphensi Episcopo commendata erat. Circa annum vero MDCLXXX. ædes illæ PP. Congr. Somaschæ concessæ sunt, a quibus restituta deinde est vetus S. Bartholomæi Ecclesia.

LVIII. 7. *Domus sancti filippi*. Hujus etiam in *Registro veteri* fit mentio: *Ecclesia sanctorum apostolorum phylippi & Jacobi sita juxta fossatum civit. brix. in quarterio sancti faustini, que est Ordinis humiliatorum de herbuscho;* quæ ultima verba animadvertenda sunt; indicant enim, ni fallor, domum hanc domui *de herbusco*, quam in Catalogo nostro memorari videbimus, obnoxiam fuisse. Videntur itaque Herbuschi, qui Brixiensis agri est pagus, domum olim habuisse Humiliati, simulque Brixiensem SS. Jacobi & Philippi Ecclesiam eidem obnoxiam, atque ad urbanam deinde domum commigrasse omnes; neque enim Herbuschi domus in posteriore Catalogo memoratur. At Brixiensem domum ad extrema usque tempora Humiliati tenuerunt. Anno MCCCCXLVII. hujusce domus Præpositus Alberto de Sartiano Ordinis Minorum Præpositura ejusdem hortum concessit, ut S. Claræ Monialium Cœnobium Brixiæ construeretur. Anno autem MDLXXXVIII.

cum

cum Attilio Amalthæo domus hæc commendata esset, ab Augustinianis Sanctimonialibus Ord. Canon. Regul. Lateran. coempta est, in quam deinde concesserunt, ut ex quibusdam Bernardini Faini collectaneis constat. Memoratur in eodem antiquo *Registro* 8. *Domus de parazolo*, seu melius *de palazzolo*, his verbis: *Ecclesia sancte marie de domo humiliatorum de palazzolo* (solvere debet) 1. *lib. cere pro censu, de quo est terminus in nativitate sancte marie de mense Septembris, quo die Dominus Episcopus posuit primarium lapidem*. Sed fundationis annus, aut Episcopi nomen non indicatur. Ex quibusdam autem Brixiensibus monumentis constare ait Cl. Doneda, Humiliatos domus *de contegnacha* domus hujusce fundatores fuisse. Plura ejusdem monumenta apud Cl. P. Luchium servantur, ex quibus multos illius Prælatos cognoscimus. Anno scilicet MCCCI. & MCCCII. *Mafredus* seu *Mayfredus* illi præerat; an. MCCCIX. *Girardinus de Gambara*; an. MCCCXII. *Oprandus*; an. MCCCXIII. *Mayfredus de Chazago*; an. MCCCXIV. *Stephanus de Adro*; an. MCCCXVIII. *Faustinus*; an. MCCCXXVIII. *Delaydus de Roado*; an. MCCCCXXXVI. *Cabrinus qu. Comini de Fabris de Crema*; circa an. MCCCCLVI. *Joannes de Brugallis de Pergamo*; an. MCCCCLXXIII. *Bartholomeus de Verona*. Anno MDXVI. commendata jam erat; quo tempore cum Brixiensia suburbia aliquot, cumque iis Congregationis Fæsulanæ S. Hieronymi Cœnobium, in Pilarum suburbio positum, everteretur, Monachi illi ædes quasdam S. Mariæ *de Palazzolo* proximas conduxerunt. Quin etiam egisse videntur, ut ipsa Humiliatorum domus iis concederetur. Id ex Gabrielis Venerii Advocatoris, ut ajunt, Veneti literis colligimus Cal. Dec. an. MDXVIII. datis, quæ apud memoratum P. Luchium servantur, quasque hoc loco proferre placet. Inscriptio est hujusmodi *Spectabili & egregio viro Domino Joanni baduario Equiti hon. potestati brixie Amico Carissimo*. Litteræ vero sic habent: *Spectabilis & egregie vir amice Carissime. Litterarum Ducalium obedientia Senatus decreto Magistratui nostro, ut*

optime novit Sp. V. demandata est. Et propterea cum de anno 1488. sub die 23. augusti per Illm̃ Dominium nostrum scriptum fuerit partibus auditis in contraditorio judicio, Quod fratres S. Marie de palazolis istius Civitatis Ordinis humiliator. non molestarentur circa beneficium ipsum, & hoc quidem decretum fuit etiam ad instantiam istius Magnifice Comunitatis, sed conservarentur in eorum possessione quiete & pacifice: & hoc quidem repplicatum fuit sub die 24. octobris 1517. per alias litteras Ducales ad instantiam Reverendi domini fratris Christophori de romanis ejusdemmet Ordinis humiliator. de statu nostro plurifariam benemeriti, Quod ipse conservaretur in possessione dicti beneficii S. Marie de palazolis. Quoniam non est conveniens neque equum, si pro statu laboravit, permittatur damnum aliquod pati. Unde in executione dicti Senatusconsulti auctoritate Magistratus nostri, quanta possumus efficacia, requirimus Sp. V., ut dictas litteras Ducales in omnibus suis partibus, pro quanto attinet ad ipsum R. D. fratrem Christophorum de statu Ill.mi Do. nostri plurimum benemeritum, observet, adimpleat, & exequatur, prout omni Justicie & equitati convenit, & ut scimus Sp. V. pro sua bonitate & integritate facturam. Ut idem D. frater Christophorus sentiat in aliqua parte, quantum gratissima fuerint bene & fideliter gesta pro statu Illm̃i Do. ad bonum aliorum exemplum. Gabriel Venerio Advocator Comunis Venetor. die primo Decembris 1518. Quæ fuerint egregia hæc Christophori de Romanis in Venetos merita, ignoramus. At nihilominus Humiliati Fæsulanis cedere, quacumque tandem ratione, coacti sunt. Illi sedibus suis expulsi a Leone X. impetrarunt, ut caussæ cognitio institueretur. Itaque an. MDXIX. XI. Cal. Jan. Pontifex Matthiæ Ugonio Famæ Augustæ Episcopo, & Baptistæ Camperonio Brixiensi Canonico literas dedit, quas apud eumdem P. Luchium servantur, ut Christophori de Romanis jura expenderent, qui cum in illa domo professionem emisisset, diuque habitasset, hinc deinde cum aliis Fratribus a Hieronymianis expulsus fuerat. Videntur tamen Humiliati caussa cecidisse; ædes enim illas ab

Uberto Gambara, cui commendatæ erant, hoc ipso anno a Hieronymianis coemptas, semper hi tenuerunt. Quod vero pertinet ad Deiparæ in eodem templo effigiem, quæ prodigiis celebrari quam maxime cœpit, qua ratione ad PP. Societatis Jesu ædes illa devenerit, aliaque huc spectantia videre est in libello an. MDCCLXI. Brixiæ edito, qui inscribitur: *Istoria della miracolosa Immagine della B. Vergine delle Grazie di Brescia*.

LIX. 9. *Domus de urchis*, seu melius de *urceis*. Prima hujus domus mentio occurrit in charta an. MCCLXXX. X. Sept. in Nosocomii Brixiensis tabulario, qua Fridericus aliique de Lavellonghis *Collegio Humiliatorum de Urceis in Civit. Brix.* molendini cujusdam jus conferunt, ex quo constat, hanc etiam domum urbanam fuisse. Ejusdem meminit *Registrum vetus: Ecclesia Sanctorum Apostolorum Symonis & Jude de domo humiliatorum de urceis*. Anno MCCCXXI. cum quattuor Fratres tantum, ac quinque Sorores ædes illas incolerent, Joannes XXII. annuit, ut S. Euphemiæ Cœnobio Ord. S. Benedicti, quod urbe ad duo millia passuum aberat, illæ conjungerentur; remque omnem Pagano Turriano Aquilejensi Patriarchæ exequendam commisit; qui conjunctionem eamdem an. MCCCXXII. XXVII. Dec. ratam habuit, his conditionibus adjectis, ut Humiliati ad S. Euphemiæ deducerentur, ibique S. Benedicti legibus viverent: Sorores vero extra Monasterium degerent, Monachis victum suppeditantibus. Hinc Brixiensis domus de Urceis Monachorum S. Euphemiæ hospitalis fuit; ac proinde in eodem *Registro* vetere hæc habentur: *Monasterium sancte Heufemie de brix. unam lib. cere pro censu Ecclesie SS. Apostolorum Symonis & Jude de domo ordinis Humiliatorum*. At deinde S. Euphemiæ Cœnobio magna ex parte diruto, an. MCCCCXLIV. Eugenio IV. assentiente, Monachi ad domum *de Urceis* in urbem commigrarunt, novumque templum, an. MCCCXLVII. perfectum, construxerunt. Nuper vero novam ejusdem ædificationem aggressi sunt. Vetus illa ædes S. Mariæ

etiam nomine appellabatur interdum. Tres deinde recensentur Humiliatorum domus, quæ ex hoc tantum Catalogo innotescunt, quæque in agro fuisse videntur. 10. *Domus de cyseo*; 11. *Domus de esteno*; 12. *Domus de vizardo*; nisi forte ultimo loco *de wiffredo* legendum sit. *Domus* enim *humiliatorum de castro wiffredo*, vulgo *Castel Giuffrè*, in *Registro vetere* commemoratur. Ejusdem etiam fit mentio in *Lilvo receptionum* an. MCCXCV. *a Fratre Ardezono de domo humiliatorum de castro guifredo*. Notior est, quæ sequitur, 13. *Domus de zemo*, seu melius *de Cemo*, qui Brixiensis agri est pagus in Valle Camunia. Ædem habebat S. Bartholomæo sacram, eamque usque ad Ordinis extinctionem Humiliati tenuerunt. Sequuntur denique 14. *Domus de caliono*, cujus nullum aliud monumentum habemus, & 15. *Domus de arbuscho*, de qua diximus num. LVIII. At in Catal. an. MCCCXLIV. domus alia profertur, nempe *Domus de Monte Claro*, quod Brixiensis agri est oppidum. Sed hujus etiam nulla deinceps mentio occurrit.

LX. Brevior erit Cremensis *fagiæ* descriptio, in qua *erant*, ait Joannes Braidensis, *domus fratrum cum suis Monachabus tres; Cœnobia Religiosarum per se erant unum*. Harum nomina sic Catalogus noster recitat. In fagia de Crema 1. *Domus fratrum de piranega*; 2. *Domus de carobio*, *ibi*; 3. *Domus de bagnolo*, *ibi*; 4. *Domus sororum de ponte*, *ibi*. Alemanius Finius tres illas Humiliatorum domos sub ipsa eorumdem initia constructas narrat (a). Conradum enim Imperatorem (hæc scilicet est Finii de Humiliatorum origine opinio) multos in Mediolanensi obsidione captos in Germaniam ablegasse refert, atque in his tres Cremenses, quorum primus ex Carobia, alter ex Bagnolia, ex Piaranica gente tertius esset. Qui cum deinde ab Henrico Conradi successore veniam impetrassent, tres Humiliatorum, cujus cœtus in Germania

(a) Storia di Crema Lib. I. & Seriana XXX.

mania initia posuerant, domos fundarunt a fundatorum familiis appellatas. Hæc Finius, quem conjecturis potius quam veteribus monumentis innixum, hæc scripsisse arbitror. Cum enim videret familiarum illarum nomina hisce domibus imposita, visus est sibi totam rei gestæ seriem hunc in modum posse adornare. At certe familiarum hujusmodi nomina rarissima illa ætate fuisse, eruditi norunt. Si autem Claustrales Humiliatorum domos Finius intellexit, sæculo integro serius construi illas cœpisse jam ostendimus. Ipsa vero prima Humiliatorum initia aliquanto altius repetenda esse probavimus. Addit Finius, suam Carobium domum SS. Jacobo & Philippo; Bagnolium S. Marino; Piaranicam S. Martino sacram voluisse, quod inde, ut arbitror, Finius conjicit, quod alia hæc erant earumdem domorum nomina, quibus in Catalogo an. MCCCXLIV. designantur. Alibi autem Finius narrat (a), S. Martini Ecclesiam an. MCCLXXXVI. exstructam fuisse, primumque illius lapidem a Rodulpho Guinzonio Placentini Episcopi Vicario positum fuisse. In Placentina enim diœcesi Cremensis illa oppidi pars, ad quam domus illa pertinebat, tunc censebatur. Omnes vero usque ad Humiliatorum extinctionem superfuerunt. At SS. Jacobi & Philippi domus, quæ etiam *de Umbriano* dicebatur, commendata erat. Hujus deinde redditus, cum primum Cremensibus Episcopus datus fuit, illi attributi fuerunt. Ædibus autem eversis eodem loco Seminarium, ut ajunt, exstructum est. S. Marini ac S. Martini ædes ac redditus, Humiliatis extinctis, Hieronymo Comiti Porciæ primum commendati sunt; mox S. Marini redditus Cremensi Nosocomio attributi; ædes deinde Augustinianis primo Insubricæ Congregationis, tum Sæculari Clero, denique Clericis Regularibus Congr. S. Paulli concessæ. S. Martini pariter redditus commendati; ædes PP. Cisterciensibus traditæ, qui templum iterum exstructum S. Bernardo sacrarunt, a quo adhuc nomen ha-

(a) Stor. di Crema Lib. II.

habet. Ad mulierum domum quod attinet *de ponte* appellatam, illa in Catal. an. MCCCXLIV. omittitur; videturque proinde deserta jam tum fuisse. Narrat tamen Finius (*a*), an. MCCCCXLIX. S. Claræ Sanctimoniales ad Humiliatarum ædes commigrasse: has vero, cum justo liberius viverent, ad S. Petri primum, tum ad S. Mariæ de Stella deductas fuisse, ibique tandem earumdem cœtum dissolutum. Sed cum hæc Humiliatarum domus numquam in recentioribus Catalogis monumentisve indicetur, suspicor hic etiam, ut sæpissime factum vidimus, Humiliatarum nomen latiore quadam significatione accipiendum esse.

LXI. *In Verona & Diœcesi* (ad hanc enim *fagiam* progredimur) *erant domus fratrum cum suis Religiosabus decem*. Hæc Joannes Braidensis. Singulæ in antiquiore Catalogo enumerantur, quas nos brevissime attingemus; quæcumque enim ad illas pertinent Joannes Baptista Blancolinius jam protulit in eruditis suis de Veronensibus templis Commentariis. *In fagia de verona* 1. *Domus fratrum de la glara*. Fuse de hac Blancolinius (*b*); eaque primo profert, quæ de illius origine Hieronymus Curtius narrat (*c*): illam nempe circa an. MCLXX., aut septem ante annos, ut alii placet, arenoso loco constructam fuisse, ubi ædicula Deiparæ sacra exstabat, ex qua domui eidem S. Mariæ de Glarea nomen factum. Hæc omnia Blancolinius confirmat, ac monumenta aliquot indicat an. MCLXXIII., & MCXCVIII. Nullum ille tamen anno MCCXXIV. antiquius protulit. Humiliatis extinctis, pluribus commendata est, quos Blancolinius enumerat. Denique an. MDXCI. templum ædesque proximæ Clericis Regularibus concessæ. Sequitur 2. *Domus de la levata ibi*, quæ etiam S. Bartholomæi dicebatur. Hujus initia anno circiter MCCXXIV. consignanda

(*a*) Ibid. Lib. V.
(*b*) Chiese di Verona Lib. III. pag. 35., Lib. VI. pag. 190.
(*c*) Storia di Verona Lib. X.

gnanda esse Blancolinius (*a*) existimat. Hujus Præpositure ædes ac redditus post Humiliatorum extinctionem *S. Inquisitionis Officio* primum, tum Seminarii alumnis, denique an. MDLXXIX. S. Faustini Sanctimonialibus concessi, quæ ad illas ædes an. MDLXXXIV. deductæ sunt. 3. *Domus de roncho*. Blancolinius de Humiliatorum domo *S. Joannis de Zevio* disserens (*b*), hanc etiam commemorat, aitque Ronchi in Veronensi agro positam illam fuisse; illiusque incolas domum hanc constructuros ex S. Mariæ, & S. Agnetis Cœnobiis excessisse. Quæ Cœnobia cujusmodi fuerint, aut qua ratione quove anno disjunctio hæc contigerit, non explicat. Subdit deinde ab Eugenio IV. domui *S. Joannis de Beveraria* conjunctam fuisse. Hæc scilicet in Catalogo nostro proxime sequitur. 4. *Domus S. Johannis Evangelistæ*, quæ alio etiam nomine *de Beveraria* ex Veronensis urbis vico, in quo posita erat, appellabatur. Circa an. MCCXL. illam jam exstitisse, Blancolinius ait (*c*), ac deinde ante an. MCCCXXXV. Sororibus tantum concessam fuisse; ac subdit tandem, qua ratione circa an. MCCCCXXXII. Moniales illæ ab Humiliatorum legibus subductæ S. Benedicti instituta amplexæ sint. Obscurior est 5. *Domus de ripaclara*, vulgo *Roverchiara*, cujus vix nomen Blancolinius commemorat, de Zeviensibus Humiliatis agens. Supererat an. MCCCXLIV., ut ex ejusdem anni Catalogo constat, sed posterius illius monumentum haud vidi; cumque nonnulla ad hanc domum pertinentia monumenta Blancolinius ex Glareensi tabulario ediderit, videtur domui eidem *de Glarea* conjuncta fuisse. Parum etiam notæ, quæ deinde succedunt: 6. *Domus de tomba*; 7. *Domus de baldaria*. Tumba pagus est Veronensis agri, vulgo *Tomba di Cà nuova*; ubi, quæ erat Humiliatorum domus, ad extrema usque tempora super-

(*a*) Lib. III. pag. 100. *V. etiam* Lib. VI. pag. 131.
(*b*) Lib. III. pag. 257. Lib. VI. pag. 209.
(*c*) Lib. III. pag. 101. Lib. VI. pag. 225.

ſuperfuit. Baldariæ vero domus, qui Veronenſis agri, ſed Vicentinæ diœceſis eſt pagus, in Comitiis an. MCCCCXCI. mentio occurrit: *Fr. Beltraminus de Meltio S. Jo. Baptiſtæ de Valderia Vicentinæ Diœc. Præpoſitus*. At Hieronymo Landriano Generali Humiliatorum Magiſtro, ut refert in ſuo Codice Advocatus pag. 68. & 133., Canonicis Regul. S. Georgii in Alga conceſſa eſt, quod Humiliati illius domus Præpoſiti fraude atque avaritia factum dolet. Non multo notior eſt 8. *Domus de monte oliveto*, quæ, Blancolinio teſte (*a*), Veronæ eodem loco erat, ubi nunc templum Dominico Corpori ſacrum, ac Sanctimonialium S. Mariæ ab Angelis ædes. Deinde vero domui *de Rupeclara* conjuncta eſt; at an. MCCCXXI. ſocietate hac diſſoluta, qui ex Montis Oliveti domo ad Rupem claram tranſierant, Glareenſibus Humiliatis ſeſe addiderunt, qua de re confectas tabulas edidit Blancolinius (*b*).

LXII. Sequitur 9. *Domus de ſimiſello*, quæ in Catal. an. MCCCXLIV. *S. Chriſtophori de Fumicello* appellatur, ſeu potius *de Flumicello*. Plura de hac domo habes apud Blancolinium (*c*), qui de illa agens non ſatis ſibi conſtare, ac ſententiam mutare interdum videtur. Nos quibus Veronenſis urbis topographia non ſatis cognita eſt, iis hæc diſquirenda ac judicanda relinquimus, quibus monumenta a Blancolinio edita cum ipſa locorum poſitura conferre licet. Addit idem auctor, hujuſce domus Fratres ad S. Mariæ de Glarea deductos fuiſſe, ſed annum non indicat. Monialibus deinde permiſſa illa eſt, quæ Humiliatorum curæ concreditæ erant. Has commemorat in ſuo Codice Carolus de Advocatis pag. 68. & 132., aitque paupertatis cauſſa ſe illis quæcumque ſibi deberentur, remiſiſſe. In Cremonenſibus Comitiis an. MDLXVII. hujus Cœnobii diſſolutio decreta fuerat, ut ex S. Ca-

(*a*) Lib. III. pag. 139.
(*b*) Lib. VI. pag. 221.
(*c*) Lib. II. pag. 397. Lib. III. pag. 69. Lib. IV. pag. 767. Lib. VI. pag. 163. &c.

S. Caroli epistola XIII. Aug. eodem anno data colligimus, quæ inter Puricellianas schedas servatur (*a*). Sed Veronensium preces apud S. Carolum impetrarunt, ut Cœnobio eidem parceretur. Narrat tamen Blancolinius an. MDLXX. Humiliatarum illarum Collegium dissolutum fuisse, ædesque illas S. Benedicti Sanctimonialibus concessas. 10. *Domus de Zivi*. Jebetum, seu Gebetum pagus est Veronensis agri, vulgo *Gevio*, vel *Zevio*. Duplicem ibi olim fuisse Humiliatorum domum Blancolinius statuit: alteram, quam an. MCCXVIII. constructam ex ejusdem anni monumento confirmat (*b*). At anno MCCXXXIX. XXV. Aug. Jacobus Veronensis Episcopus illos ab Humiliatorum legibus ad leges Canonicorum S. Marci deduxit; itaque deinceps nihil hæc domus ad Humiliatos pertinuit, quamvis interdum illius incolæ antiquo Humiliatorum nomine designentur. At alia fuit Jebeti Humiliatorum domus, qua illi diutius usi sunt, S. Joanni Evangelistæ sacra, cujus monumentum an. MCCXLV. habes apud Blancolinium (*c*); qui addit domum hanc *de Brolo* etiam appellatam fuisse. Supererat an. MCCCXLIV. sed nulla posterior illius mentio occurrit. Has Veronensium Humiliatorum domos Catalogus antiquior recenset. Quod ad Veronenses Ecclesias Omnium Sanctorum, S. Leonardi de Monte Donico, seu Dominico, S. Francisci de Cursu, S. Felicis, S. Martini de Avesa, ac S. Spiritus attinet, quas nonnulli Humiliatis attribuunt, satis jam Blancolinius ostendit ad S. Marci Canonicos pertinuisse illas, nihilque his fuisse cum Humiliatis commune (*d*). Nonnullas alias Humiliatorum domos ille recenset, alteram vulgo appellatam *S. Maria di Porto Legnago*, ut ex monumentis an. MCCXLIV.,

(*a*) Cod. MS. sign. *C.* 74. in fol.
(*b*) Lib. III. pag. 57. Lib. IV. pag. 807. Lib. VII. pag. 103.
(*c*) Lib. III. pag. 257.
(*d*) Lib. III. pag. 522. 611. 632. Lib. III. pag. 17. 26. 35. 107. Lib. VII. pag. 1. &c.

ſuperfuit. Baldariæ vero domus, qui Veronenſis agri, ſed Vicentinæ diœceſis eſt pagus, in Comitiis an. MCCCCXCI. mentio occurrit: *Fr. Beltraminus de Meltio S. Jo. Baptiſtæ de Valderia Vicentinæ Diœc. Præpoſitus*. At Hieronymo Landriano Generali Humiliatorum Magiſtro, ut refert in ſuo Codice Advocatus pag. 68. & 133., Canonicis Regul. S. Georgii in Alga conceſſa eſt, quod Humiliati illius domus Præpoſiti fraude atque avaritia factum dolet. Non multo notior eſt 8. *Domus de monte oliveto*, quæ, Blancolinio teſte (*a*), Veronæ eodem loco erat, ubi nunc templum Dominico Corpori ſacrum, ac Sanctimonialium S. Mariæ ab Angelis ædes. Deinde vero domui *de Rupeclara* conjuncta eſt; at an. MCCCXXI. ſocietate hac diſſoluta, qui ex Montis Oliveti domo ad Rupem claram tranſierant, Glareenſibus Humiliatis ſeſe addiderunt, qua de re confectas tabulas edidit Blancolinius (*b*).

LXII. Sequitur 9. *Domus de ſimiſello*, quæ in Catal. an. MCCCXLIV. *S. Chriſtophori de Fumicello* appellatur, ſeu potius *de Flumicello*. Plura de hac domo habes apud Blancolinium (*c*), qui de illa agens non ſatis ſibi conſtare, ac ſententiam mutare interdum videtur. Nos quibus Veronenſis urbis topographia non ſatis cognita eſt, iis hæc diſquirenda ac judicanda relinquimus, quibus monumenta a Blancolinio edita cum ipſa locorum poſitura conferre licet. Addit idem auctor, hujuſce domus Fratres ad S. Mariæ de Glarea deductos fuiſſe, ſed annum non indicat. Monialibus deinde permiſſa illa eſt, quæ Humiliatorum curæ concreditæ erant. Has commemorat in ſuo Codice Carolus de Advocatis pag. 68. & 132., aitque paupertatis cauſſa ſe illis quæcumque ſibi deberentur, remiſiſſe. In Cremonenſibus Comitiis an. MDLXVII. hujus Cœnobii diſſolutio decreta fuerat, ut ex S. Ca-

(*a*) Lib. III. pag. 139.
(*b*) Lib. VI. pag. 221.
(*c*) Lib. II. pag. 397. Lib. III. pag. 69. Lib. IV. pag. 767. Lib. VI. pag. 263. &c.

S. Caroli epiſtola XIII. Aug. eodem anno data colligimus, quæ inter Puricellianas ſchedas ſervatur (*a*). Sed Veronenſium preces apud S. Carolum impetrarunt, ut Cœnobio eidem parceretur. Narrat tamen Blancolinius an. MDLXX. Humiliatarum illarum Collegium diſſolutum fuiſſe, ædeſque illas S. Benedicti Sanctimonialibus conceſſas. 10. *Domus de Zivi*. Jebetum, ſeu Gebetum pagus eſt Veronenſis agri, vulgo *Gevio*, vel *Zevio*. Duplicem ibi olim fuiſſe Humiliatorum domum Blancolinius ſtatuit: alteram, quam an. MCCXVIII. conſtructam ex ejuſdem anni monumento confirmat (*b*). At anno MCCXXXIX. XXV. Aug. Jacobus Veronenſis Epiſcopus illos ab Humiliatorum legibus ad leges Canonicorum S. Marci deduxit; itaque deinceps nihil hæc domus ad Humiliatos pertinuit, quamvis interdum illius incolæ antiquo Humiliatorum nomine deſignentur. At alia fuit Jebeti Humiliatorum domus, qua illi diutius uſi ſunt, S. Joanni Evangeliſtæ ſacra, cujus monumentum an. MCCXLV. habes apud Blancolinium (*c*); qui addit domum hanc *de Brolo* etiam appellatam fuiſſe. Supererat an. MCCCXLIV. ſed nulla poſterior illius mentio occurrit. Has Veronenſium Humiliatorum domos Catalogus antiquior recenſet. Quod ad Veronenſes Eccleſias Omnium Sanctorum, S. Leonardi de Monte Donico, ſeu Dominico, S. Franciſci de Curſu, S. Felicis, S. Martini de Aveſa, ac S. Spiritus attinet, quas nonnulli Humiliatis attribuunt, ſatis jam Blancolinius oſtendit ad S. Marci Canonicos pertinuiſſe illas, nihilque his fuiſſe cum Humiliatis commune (*d*). Nonnullas alias Humiliatorum domos ille recenſet, alteram vulgo appellatam *S. Maria di Porto Legnago*, ut ex monumentis an. MCCXLIV.,

(*a*) Cod. MS. ſign. *C.* 74. in fol.
(*b*) Lib. III. pag. 57. Lib. IV. pag. 807. Lib. VII. pag. 103.
(*c*) Lib. III. pag. 257.
(*d*) Lib. III. pag. 522. 611. 632. Lib. III. pag. 17. 26. 35. 107. Lib. VII. pag. 1. &c.

ſuperfuit. Baldariæ vero domus, qui Veronenſis agri, ſed Vicentinæ diœceſis eſt pagus, in Comitiis an. MCCCCXCI. mentio occurrit: *Fr. Beltraminus de Meltio S. Jo. Baptiſtæ de Valderia Vicentinæ Diœc. Præpoſitus*. At Hieronymo Landriano Generali Humiliatorum Magiſtro, ut refert in ſuo Codice Advocatus pag. 68. & 133., Canonicis Regul. S. Georgii in Alga conceſſa eſt, quod Humiliati illius domus Præpoſiti fraude atque avaritia factum dolet. Non multo notior eſt 8. *Domus de monte oliveto*, quæ, Blancolinio teſte (*a*), Veronæ eodem loco erat, ubi nunc templum Dominico Corpori ſacrum, ac Sanctimonialium S. Mariæ ab Angelis ædes. Deinde vero domui *de Rupeclara* conjuncta eſt; at an. MCCCXXI. ſocietate hac diſſoluta, qui ex Montis Oliveti domo ad Rupem claram tranſierant, Glareenſibus Humiliatis ſeſe addiderunt, qua de re confectas tabulas edidit Blancolinius (*b*).

LXII. Sequitur 9. *Domus de ſimiſello*, quæ in Catal. an. MCCCXLIV. *S. Chriſtophori de Fumicello* appellatur, ſeu potius *de Flumicello*. Plura de hac domo habes apud Blancolinium (*c*), qui de illa agens non ſatis ſibi conſtare, ac ſententiam mutare interdum videtur. Nos quibus Veronenſis urbis topographia non ſatis cognita eſt, iis hæc diſquirenda ac judicanda relinquimus, quibus monumenta a Blancolinio edita cum ipſa locorum poſitura conferre licet. Addit idem auctor, hujuſce domus Fratres ad S. Mariæ de Glarea deductos fuiſſe, ſed annum non indicat. Monialibus deinde permiſſa illa eſt, quæ Humiliatorum curæ concreditæ erant. Has commemorat in ſuo Codice Carolus de Advocatis pag. 68. & 132., aitque paupertatis cauſſa ſe illis quæcumque ſibi deberentur, remiſiſſe. In Cremonenſibus Comitiis an. MDLXVII. hujus Cœnobii diſſolutio decreta fuerat, ut ex S. Ca-

(*a*) Lib. III. pag. 139.
(*b*) Lib. VI. pag. 221.
(*c*) Lib. II. pag. 397. Lib. III. pag. 69. Lib. IV. pag. 767. Lib. VI. pag. 163. &c.

S. Caroli epistola XIII. Aug. eodem anno data colligimus, quæ inter Puricellianas schedas servatur (*a*). Sed Veronensium preces apud S. Carolum impetrarunt, ut Cœnobio eidem parceretur. Narrat tamen Blancolinius an. MDLXX. Humiliatarum illarum Collegium dissolutum fuisse, ædesque illas S. Benedicti Sanctimonialibus concessas. 10. *Domus de Zivi*. Jebetum, seu Gebetum pagus est Veronensis agri, vulgo *Gevio*, vel *Zevio*. Duplicem ibi olim fuisse Humiliatorum domum Blancolinius statuit: alteram, quam an. MCCXVIII. constructam ex ejusdem anni monumento confirmat (*b*). At anno MCCXXXIX. XXV. Aug. Jacobus Veronensis Episcopus illos ab Humiliatorum legibus ad leges Canonicorum S. Marci deduxit; itaque deinceps nihil hæc domus ad Humiliatos pertinuit, quamvis interdum illius incolæ antiquo Humiliatorum nomine designentur. At alia fuit Jebeti Humiliatorum domus, qua illi diutius usi sunt, S. Joanni Evangelistæ sacra, cujus monumentum an. MCCXLV. habes apud Blancolinium (*c*); qui addit domum hanc *de Brolo* etiam appellatam fuisse. Supererat an. MCCCXLIV. sed nulla posterior illius mentio occurrit. Has Veronensium Humiliatorum domos Catalogus antiquior recenset. Quod ad Veronenses Ecclesias Omnium Sanctorum, S. Leonardi de Monte Donico, seu Dominico, S. Francisci de Cursu, S. Felicis, S. Martini de Avesa, ac S. Spiritus attinet, quas nonnulli Humiliatis attribuunt, satis jam Blancolinius ostendit ad S. Marci Canonicos pertinuisse illas, nihilque his fuisse cum Humiliatis commune (*d*). Nonnullas alias Humiliatorum domos ille recenset, alteram vulgo appellatam *S. Maria di Porto Legnago*, ut ex monumentis an. MCCXLIV.,

(*a*) Cod. MS. sign. *C.* 74. in fol.

(*b*) Lib. III. pag. 57. Lib. IV. pag. 807. Lib. VII. pag. 103.

(*c*) Lib. III. pag. 257.

(*d*) Lib. III. pag. 522. 611. 632. Lib. III. pag. 17. 26. 35. 107. Lib. VII. pag. 1. &c.

& MCCXLV. probat (a), ideo forte in Catalogo noſtro omiſſam, quod alteri Domui conjuncta jam eſſet: aliam in Veronenſis agri pago, vulgo *Arcole*. Domum etiam de Albaria ille commemorat, quæ etiam in Catal. an. MCCCXLIV. indicatur, ſed in antiquiore omittitur, quod forte nondum exſiſteret. Denique in monumento an. MCCLXXXVII. apud Blancolinium recenſentur *Domus Humiliatorum de domo de medio Civitatis Veronæ, & Domus Humiliatorum de Cancello Diœceſis Veronenſis*, quæ aut an. MCCXCVIII. ab Humiliatis deſertæ jam fuerant, aut aliis nominibus in antiquiore Catalogo deſignantur.

LXIII. Venetæ ditionis Humiliatorum domos Vicentina *fagia* claudit, quæ alias etiam urbes atque oppida complectitur. Ac primo binæ Vicentinæ domus indicantur: *In fagia de vicenzia 1. Domus fratrum omnium ſanctorum; 2. Domus de ſancta caterina*, utraque Fratribus ac ſororibus communis. At S. Catharinæ domus an. MCCCXLIV. jam ab Humiliatis deſerta fuerat; neque enim in altero Catalogo commemoratur; ac Omnium SS. domus in Humiliatarum Cœnobium abierat. Hoc porro non ſolum ad extrema uſque Humiliatorum tempora ſuperfuit, ſed ſupereſt adhuc; atque Humiliatarum veſtibus Sanctimoniales illæ utuntur; ac quamvis Romanum ritum ſuſceperint, Sanctos tamen ex Humiliatorum cœtu *ritu duplici* venerantur. Porro quamvis Fratrum Humiliatorum domus Vicentiæ non eſſet, Humiliati nihilominus ad Sororum confeſſiones excipiendas deligebantur. Habemus enim in Puricellianis ſchedis (b) chartam an. MDLXVIII. IX. Novemb., qua Sanctimoniales illæ ex Pii V. lege Epiſcopi juri ſeſe ſubjiciunt; qui proinde Humiliatum earumdem Confeſſarium ab officio amovet, atque ex Sæculari Clero Presbiterum in ejus locum ſufficit. Subditur deinde 3. *Domus de conelia-*

no,

(a) Lib. III. pag. 89. 258. Lib. VI. pag. 209. 212. 214.

(b) Cod. MS. ſign. C. 74. in fol.

no, quod oppidum est Cenetensis diæcesis, S. Paullo sacra. Superfuit illa ad extrema usque Humiliatorum tempora. Illud hic novum occurrit, quod cum ceteræ omnes Fratrum domus Fratribus & Sororibus communes essent, hæc Fratribus tantum patebat: sic enim Joannes Braidensis: *In Conegliano erat domus fratrum per se una*. Id vero in aliis etiam nonnullis Humiliatorum domibus, quæ illustrandæ supersunt, factum videbimus. Forojuliensis etiam provincia Vicentinæ *fagiæ* includitur. Sequitur enim 4. *Domus de sacile*, quam a Cl. P. de Rubeis commemorari vidimus Vol. I. pag. 256. Forojuliensis Provinciæ urbs est Sacilum. Ex iis vero quæ de Cuniza jam diximus, constat jam ab an. MCCXXXIV. Sacilensem Humiliatorum domum Fratribus ac Sororibus communem exstitisse. Illa enim an. MCCLXXI. obiisse dicitur, ac XV. fere annos apud Ecclesiam S. Michaelis, antea vero XXII. annis in Sacilensi domo vixisse. Plura autem in publico Sacilensi tabulario monumenta supersunt, in quibus Humiliatorum hæc domus commemoratur, quorum excerpta ab humanissimo nobisque sæpissime laudato P. D. Angelo M. Cortenovis Utinensis Domus Clericorum Regul. Congr. S. Paulli Præposito accepimus. Ex iis tamen nullum est anno MCCCLII. antiquius. Hoc autem anno 11. Febr. *Nicolaus qu. D. Vendrami de Sacillo reliquid Monasterio Sancte Marie de Sacillo libras tres denariorum parvorum; item hospitali Domus Dei de Sacillo libras tres parvorum. Item reliquid altari Ecclesie Sancte Marie de Sacillo pro uno calice emendo libras viginti denariorum parvorum*. Hoc loco Humiliatæ Sanctimoniales non memorantur; sed S. Mariæ ædem ad illas pertinuisse, ex aliis chartis colligimus. Ita in supremis tabulis Bernardi qu. Vendrami de Sacilo XXIII. Mart. MCCCLXV. habemus: *Item reliquid luminariis Ecclesiarum infrascriptarum, videlicet Sancti Nicolai, Sancte Marie Humiliatorum, Sancte Caterine* &c. Jam ab anno MCCCXLIV. unicus Frater cum tribus Monialibus ædes illas incolebant. Postea vero Moniales tantum easdem

non constat: illud certum est, post an. MCCCLV. id contigisse, quo ille Generalis Humiliatorum Magister renunciatus est. Ex Deiparæ effigie prodigiis celeberrima alio deinde nomine appellari cœpit, nempe S. Mariæ ab Horto, vetere S. Christophori appellatione oblivioni fere tradita. At circa an. MCCCCLXI. Venetorum Humiliatorum mores corrupti adeo erant, ut Decemviros ad illorum emendationem excitarint. Petrus præsertim illius domus Præpositus gravissimorum criminum reus ferebatur. Itaque hoc anno IV. Nov. ad Pium II. P. M. literas dederunt Decemviri, quam pessimo loco essent Humiliatorum res exponentes: *in eo scilicet Cœnobio tot detestabilia abominabiliaque omnia pravi generis delicta per illos, qui illius loci regimini præsunt, divinoque cultui dedicati sunt, spreto timore & honore Dei, eorumque sacrata Religione posthabita, impudentissime perpetrata sunt, ut animus noster*, ajunt, *abhorreat tam execrabilia scelera aliter declarare*. Itaque Pontificem rogabant, ut per Venetum Patriarcham Humiliatos ad sanctiorem disciplinam revocandos curaret. Quod cum Pius Patriarchæ mandasset, Humiliati scelerum conscientia deterriti, fuga arrepta, duos tantummodo Fratres ex Franciscanis transfugas, rudes, Latinæque ipsius linguæ ignaros custodiendis ædibus reliquerunt. Quibus a Patriarcha amotis, in ædes illas Canonici S. Georgii in Alga inducti sunt. Multa ab Humiliatis apud Pontificem, atque apud Mediolanensium Ducem tentata, ut ad Venetam domum reditus pateret. Ac Pius Ducis præsertim precibus motus, Canonicos S. Georgii per Legatum suum ab Humiliatorum ædibus abire jusserat; quod cum Decemviri apud Pontificem quererentur, Pius, ut utrisque satisfaceret, hanc rei expediendæ rationem proposuit, ut S. Mariæ de Horto, seu S. Christophori ædes Canonicis concederentur; aliam vero Humiliatis sedem Veneti assignarent. Res a Decemviris probata, dummodo nova hæc Humiliatorum domus extra Venetam urbem statueretur. Sed nondum his acquieverunt Humiliati; verum Pontificias literas ad

Cardin.

Cardin. Bessarionem tunc apud Venetos Legatum impetrarunt, quibus Canonici iterum ab iis ædibus egredi jubebantur, donec novam Humiliatis domum adire liceret. Quod Veneti indignati, VII. Oct. MCCCCLXIII. Bernardum Justinianum Reipublicæ apud Pontificem Oratorem Canonicorum causam suscipere jusserunt; quod felici exitu factum videtur. Nam & Canonici in iis ædibus manserunt, & hæc omnia Sixtus IV. an. MCCCCLXXVII. XIV. Maji literis suis comprobavit. Quin etiam hinc factum crediderim, ut nullam aliam sedem Humiliati adirent. Atque alios illi quidem conatus ad sedem aliquam Venetiis recuperandam sub extrema etiam tempora converterunt. Nam in Torchii Codice pag. 2. ad diem VIII. Jun. MDXXXII. hæc habemus: *Feci commissionem Rev. Domino Preposito S. Bartholomei Bergomi, ut iret versus Civitatem Venetiarum pro obtinendo loco S. Secundi, & eligendo ibi prepositum*. Et pag. 11. ad diem XIV. Jun. MDXXXV. *Feci mandatum in Dominis Fratribus Christophoro de Romanis & Bernardo de Fontana ad comparendum coram Serenissimo Principe Venetiarum pro certis negotiis nostri Ordinis, & maxime pro recuperatione loci S. Cristofori*. Sed omnia irrito successu tentata; nec unquam postea Humiliatis pedem Venetiis figere licuit.

LXVI. Placentina nunc & Parmensis *fagiæ* succedunt, quarum posterior alias etiam urbes nonnullas complectitur. Placentini porro inter primos suis sedibus Humiliatos exceperunt. Narrat enim Campius (a), eademque confirmat recens Placentinæ historiæ diligentissimus atque eruditissimus Scriptor Christophorus Poggialius (b), an. MCLXXX. Tedaldum Placentinum Episcopum Ecclesiam domumque hospitalem apud Bardinctiam Petro Cabaciæ Humiliato ejusque successoribus concessisse. Addit eodem anno Treccum Zematium locum Placentiæ quemdam inter S. Salvatoris

(a) Stor. Eccles. di Piac. Lib. XIV. ad an. 1180.

(b) Storia di Piacenza T. IV. pag. 333.

toris ac S. Paulli ædes Humiliatis attribuisse; ibique Ardingum Vicedominum, Episcopo consentiente, domum hospitalem templumque S. Mariæ de Bethleem, ac deinde S. Annæ appellatum, ædificasse. Arbitror tamen ad tertii Ordinis Humiliatos hæc pertinere, quos certe an. MCCI. Placentiæ fuisse Innocentii III. literæ hoc anno ad eorumdem Ministros datæ ostendunt. Claustralium vero Humiliatorum Placentiæ degentium nullum per id tempus vestigium habemus. Ad hos autem pertinent, quæ Campius, ac Poggialius subdunt, ædem deinde aliam insequentibus annis Placentinos non longe ab urbe Humiliatis posuisse, olim *Domum novam*, tum *S. Mariæ ad Argines*, ac denique *S. Spiritus* appellatam; quæ cum postea eversa esset, Humiliatos urbem ingressos, e regione Ecclesiæ S. Raimundi stetisse eo fere loco, ubi nunc PP. Carmelitæ Excalceati degunt. Catalogus noster tres commemorat Placentinorum Humiliatorum domos: *in fagia de placentia* 1. *Domus fratrum sancti raymundi;* 2. *Domus de argine;* 3. *Domus de florenzola*. Quæ quo loco essent, explicat Joannes de Mussis Chronici Placentini auctor, quem sæculo XIV. exeunte floruisse Muratorius arbitratur: *In Porta*, ait (*a*), *S. Laurentii sunt infrascriptæ Ecclesiæ* ... *Ecclesia FF. Humiliatorum de Forenzola; sunt exempti; non habet curam. Ecclesia Fratrum Humiliatorum est in Civitate Placentiæ in domibus eorum juxta hospitale S. Raymundi in dicta vicinia S. Raymundi: non habet curam. Ecclesia dictorum FF. Humiliatorum de argine in burgo S. Raymundi: non habet curam.* Alterius porro domus Humiliati, qui *juxta hospitale S. Raymundi* degebant, Ecclesiam Spiritui S. sacram videntur ædificasse, quæ in Catal. an. MCCCXLIV. simul cum *domo de Argine* recensetur. Hæc vero S. Spiritus domus ad extremum usque superfuit. Nonnulla hujus domus monumenta ex Codice MS. tabularii Placentini Seminarii, excerpta ad nos submisit memoratus Cl. Poggialius,

(*a*) Script. Rer. Ital. T. XVI. col. 575.

lius, ex quibus, quam infelix esset medio circiter XV. sæculo hujus domus conditio, colligimus. Codex inscribitur: *Liber rationum Mansionis Spiritus Sancti Placentiæ* &c., atque ab ejusdem domus Præposito conscriptus fuit, ac forte ab eodem illo, quem mox memorari videbimus. Ibi vero ad an. MCCCCXLVIII. hæc habentur: *Nota quod de anno MCCCCXLVII. Civitas ista* (Placentina) *fuit sacbomanata* (quo tempore scilicet post Philippi Mariæ Vicecomitis mortem Insubria omnis dissensionibus bellisque ardebat), *adeo quod perdidi omnia bona mobilia Monasterii, & mea, & quasi omnes libros rationum annorum præteritorum, & multa, quæ mutuo michi data erant, quia in domo parum & quasi nihil inveni, quando intravi possessionem ..... & postea prædicto anno sacbomani usque ad præsentem suprascriptum vix habere potui tantum, quo pauperem vitam ducere ac sustentare poteram; quin ymo oportuit me facere etiam alia debita, quia nec possessiones laborari poterant, nec pensionarii solvere volebant; sed omne id, quod haberi poterat, videbatur multum & magnum.* Tria deinde subduntur Visitatorum, ut ajunt, illius domus decreta, primum an. MCCCCLXI. II. Maji; alterum an. MCCCCLXII. X. Jan., tertium an. MCCCCLXXV. XXVII. Nov., quibus omnibus *Franciscus Karoli* illius domus Præpositus ob diligentem ejusdem administrationem commendatur, atque ab expensi acceptique rationibus reddendis eximitur. Sub extrema Humiliatorum tempora commendari cœpit: iis vero extinctis, Antonio Scarampo Laudensi Episcopo Præpositurae ejusdem redditus commendati sunt; qui cum an. MDLXXVI. decessisset, Placentino Seminario addicti fuerunt (a). Tertia autem illa Placentina domus *de Florenzola*, quæ ab altera distinguenda est, quam mox commemorabimus, quæque ad ipsam Placentinam urbem pertinere a Chronici Placentini auctore dicitur, recensetur etiam in Catal. an. MCCCXLIV., sed nulla alia recentior ejusdem memoria.

(a) Poggiali Storia di Piacenza T. X. pag. 76.

LXVII. Ad Parmensem *fagiam* vero Parmensis primo S. Michaelis domus pertinebat. *In fagia de palma* (ita pro *de Parma*) *prima domus fratrum de capite pontis*; hoc enim interdum nomine domus hæc designatur. Claustrales Humiliatos jam ab an. MCCXLVI. Parmæ fuisse, Innocentii IV. literæ eodem anno III. Kal. Nov. datæ testantur. At ipsam S. Michaelis Ecclesiam anno tantum MCCLXXX. ædificatam fuisse, ex lapide colligimus, qui olim in templo ipso exstabat, cujus inscriptionem P. D. Mauritius Zapata Ord. S. Benedicti MS. suo Chronico inseruit, quod in Parmensi S. Joannis Evangelistæ ejusdem Ordinis Cœnobio servatur, estque ejusmodi:

Anno millesimo simul cum octuagesimo
Atque ducenteno domus hæc in robore pleno,
Ecclesie more S. Michaelis honore
Edificata manet, qui nobis corpora sanet.
Die Dominico XIII. Mensis Julii Indictione Nona.

Ex quo satis evincitur, ut alias innuimus, nulla ratione B. Tiberium Parmensem domus hujus fundatorem appellari posse, quod nonnulli dixerunt. Porro de illius exitu hæc habet idem P. Zapata: *Sexto decimo currente sæculo commendatur* (id post an. MDXXV. contigisse refert Advocatus in suo Cod. pag. 43., hujus scilicet domus Præpositum a Cardinali Accolto expulsum, ut ipse ait, fuisse); *recedentibusque Fratribus in eorum locum suffecti fuere quatuor Sacerdotes Sæculares. Cum postea fere derelicta ruinam minaretur, essetque propinqua arci veteri, fuit destructa cum domo, & translata* (Ecclesiæ scilicet titulus, ut videtur, vel S. Michaelis effigies aræ maximæ imposita) *ad Ecclesiam S. Petri Martyris die 29. Januarii 1569., & locus Principum viridario aggregatus.* Sed alias etiam urbes, ut diximus, Parmensis *fagia* complectitur. Itaque sequitur 2. *Domus de burgo sancti donnini*; quæ in Catal. an. MDLXX. Fratribus vacua, & Cardinali Sfortiæ commendata dicitur. Porro post an. MDXXVIII. commendari illam cœpisse narrat Advocatus

in

in suo Cod. pag. 43. Addenda hic est, quamvis in Catalogo nostro omittatur, quod forte nondum exstructa esset, Florentiolæ domus. In posteriore enim Catalogo præter domum illam *de Florenzola*, quam Placentiæ fuisse diximus, domus ejusdem nominis altera profertur, quæ scilicet Florentiolæ in Parmensi ditione esset. Hæc pariter in Catal. an. MDLXX. Fratribus vacua, & Cardin. ab Ecclesia commendata dicitur.

LXVIII. Progreditur Catalogus noster, & Parmensem fagiam Regium ac Mutinam usque perducit. 3. *Domus de regio*. Humiliatos jam ab an. MXXVI. Regium ingressos Julius Bortianus affirmat (*a*), quibus monumentis fretus, ignoro. Sed certe Claustrales Humiliatos sæculo integro serius exortos ostendimus. Ejusdem domus locum Pancirolius designat (*b*): *Etiam Regii sub mœnibus prope portam, quæ Pontis Livonii appellabatur, sub nomine D. Bernardi cœnobium multis prædiis ditatum* (Humiliati) *exstruxerunt*. Quæ omnia a Cl. P. Affarosio confirmantur (*c*). Antea tamen extra urbem sedem fixerant. Etenim in publico Regiensi tabulario supplex exstat Humiliatorum libellus circa an. MCCC. oblatus, quo illi militaribus incursionibus vexati in urbem recipi postulant. Hinc vero factum crediderim, ut antiquæ domus locum illi deinde venderent. Nam in membranaceo ejusdem tabularii Codice, cujus initium a Constantiensi pace an. MCLXXXIX. ducitur, hæc habentur: *In Nomine Domini*. 1307. *Indictione* 5. *die* 28. *mensis Augusti præsentibus* &c. *Congregato Consilio generali Populi in palatio novo Communis dictæ Civitatis Regii de mandato nobilis militis Domini Guidonis Novelli de Polenta Capitanei* &c. *constituerunt* &c. *Blassiolum Gulamellam Tubatorem Communis Regii exactorem & procuratorem ad emendum nomine & vice Communis & Populi Regii a Fra-*

(*a*) Mem. MSS. Vol. II. P. I. an. 1653.
(*b*) Rer. Regiens. Lib. II.
(*c*) Notizie Storiche di Reggio pag. 117.

tribus & conventu Ordinis Sancti Bernardi de civitate Regii, qui dicuntur Fratres Umiliati de Reggio, unam petiam terræ positam extra Civitatem Regii juxta portam Pontis Livonis & campum de Fera &c. *pretio & mercato centum librarum rexanarum*. At an. MCCCCLXXXIV. B. Joanna Scopella Regiensis Virgo Carmelitarum Sanctimonialium veste assumpta, ac novum sui Ordinis Cœnobium fundatura ædes has impetravit. Rem narrat inter ceteros Benedictus Mutti in ejusdem Virginis vita, quam a P. Segero Pauli Carmelita Latine redditam habes in Actis SS. (*a*): *Ancilla Christi*, ait, *tacta zelo ædificandi tandem adjecit oculum ad S. Bernardi Ecclesiam cum hortulo & domo a S. Petri porta modicum semota a Fratribus Humilibus* (ita) *tunc temporis occupata. Hæc igitur ita Beatæ aspectibus placuit, ut eam pro monasterio exstruendo sollicite petierit a Deo.... Anno a Christo Incarnato MCDLXXXIV...... Civitatem de Regio Humilium Fratrum Generalis* (Jacobus Landrianus) *pertransivit Romam petiturus, qui ad Philippi Zoboli Regiani Episcopi Comaclensis instantiam præfatam habitationem concessit*. Regiensem tamen S. Bernardi Præposituram usque ad Humiliatorum extinctionem nominari videmus, atque hoc nomine appellatur in Advocati Codice pag. 59., ubi Jacobo Cortesio commendata dicitur. In Catalogo etiam an. MDLXX. inter commendatas domos Fratribusque vacuas recensetur. Quamvis enim non Regiensis sed Aretina domus ibi appelletur, videbimus tamen Regiensem revera indicari. Itaque sic factum crediderim, ut Humiliati ædibus quidem illis excesserint, sed redditus servarint, quibus Præpositus aliquis frueretur; nisi forte dicamus ad alias sedes illos migrasse, quibus idem S. Bernardi nomen imposuerint.

LXIX. Obscurior est, quæ sequitur, 4. *Domus de modena*. De Mutinensibus Humiliatis hæc habet Sillingardus (*b*): *Et sub eodem Epi-*

(*a*) T. II. Jul. pag. 729. &c. Edit. Antuerp.
(*b*) Catal. Episcop. Mutin. pag. 99.

Episcopo (Matthæo) *de anno 1272. quidam Frater Crescentius Fusarius de tertio Ordine Humiliatorum suum fecit testamentum, in quo ordinavit Eremitorium in porta Bajoariæ supra Circam ad faciendum ibi pœnitentiam per personas Deo servientes*. Hæc forte Mutinensis Humiliatorum domus origo fuit. *Domus de scivenia* sæpe illa appellatur. Ita Comitiis an. MCCCCXXXVI. interfuit *Fr. Dodus Præpositus domus S. Lucæ de Scivenia;* qui idem in charta ejusdem anni XV. Mart. in Glaxiatensi tabulario dicitur *Fr. Dodus de Morano S. Lucæ Mutinæ* Præpositus. In Advocati Codice pag. 123. Jacobo Cortesio commendata dicitur. Inter commendatas pariter Fratribusque vacuas recensetur in Catal. an. MDLXX. Locus hic esset, ut de Bononiensi domo dissereremus, quæ Parmensi *fagiæ* attribuitur; sed id tum præstabimus, cum de Pontificiæ ditionis domibus sermo erit. Nunc Etrusci Humiliati nos vocant.

LXX. Etruria omnis unica apud Humiliatos *fagia* concluditur; illudque hujus provinciæ proprium erat, ut a Fratrum Cœnobiis mulieres excluderentur. Itaque *in fagia de toschana* 1. *Domus fratrum omnium Sanctorum de florentia*. Quæ ad Florentinos Humiliatos pertinent, ita jam a doctissimis viris Joanne Lamio (*a*), Dominico M. Mannio (*b*), ac P. Josepho Richa Soc. Jesu (*c*) illustrata sunt, ut hunc unice laborem nobis illi reliquerint, ut eorumdem dicta brevissime perstringamus. Florentinam porro domum, quæ omnium antiquissima in Etruria fuit, non an. MCCVI., ut P. Richa aliique nonnulli arbitrati fuerant, sed an. MCCXXXIX. fundatam fuisse Cl. Lamius ostendit, ipsas Ardingi Florentini Episcopi literas eodem anno VI. Cal. Oct. hac de re datas proferens, quibus *Venerabili viro Domino Amico Preposito Ecclesie sancti Michaelis de Alexandria Humilia-*

(*a*) Novell. Letter. 1756. 14. 21. Maggio.
(*b*) Osservaz. sopra i Sigilli T. VII. Sig. VIII.
(*c*) Chiese Fiorentine T. IV. Lez. XX. XXV. &c. T. VI. Append. al T. IV.

liatorum Ordinis concedit *Ecclesiam & Canonicam incliti Confessoris & Martiris beatissimi Donati de Turri*. Hoc itaque anno Alexandrini S. Michaelis Humiliati Florentiam acciti, atque ad S. Donati ad Turrim statuti. Anno vero MCCLI. ad S. Luciæ ædem traducti sunt, ac Philippi primum, tum Joannis Florentinorum Episcoporum literas hac de re datas Ughellius (a) & P. Richa protulerunt, atque ex posterioribus præsertim ipsius mutationis caussas discimus: *Nos itaque attendentes, quod ipsi Fratres ad Ecclesiam S. Donati ad Turrim exercere non possunt commode artem suam, videlicet lanificium, texere pannos, ac vendere .... pro eo quod ille locus distat a civitate non modicum, unde minorem habent frequentiam Civium Mercatorum .... tibi viro venerabili domino Amico præposito Ecclesiæ S. Michaelis de Alexandria Ordinis Humiliatorum fratrum .... Capellam S. Luciæ de S. Eusebio .... cum vestro Oratorio, & Ecclesia quam ædificare intenditis ad honorem Sanctorum Omnium ..... ordini vestro & religioni subjicimus* &c. Ædes vero, quas ibi incolerent, jam ab an. MCCL. partim a Florentinis acceperant, ut mox videbimus, partim emerant, ut ex monumento ejusdem anni III. Cal. Jan. a Cl. Mannio una cum aliis compluribus humanissime ad me transmisso constat, quo *Dominus Jacobus Judex filius olim Mainerii Tornaquinci, & Follerius & Lotterius fratres ejus filii* Amico Præposito vendunt *quamdam petiam terre & V.* (ita) *cum domo in ea & super ea existente, posita prope, vel quasi juxta civitatem Florentie inter Ecclesiam & Canonicam sancti Pauli, & Ecclesiam sancte Lucie*. De hac æde ejusque appellatione plura erudite disputat Lamius, quæ, cum ad Humiliatos non pertineant, referre parcimus. Paucis post annis novum magnifico opere Omnium SS. templum non longe a S. Luciæ ædibus Humiliati exstruxerunt, novaque hac æde, veteris tamen jure servato, uti cœperunt. Antiquæ S. Luciæ Ecclesiæ fronti Hu-

(a) Ital. Sacr. T. III. in Epist. Florent.

Humiliatorum ſtemma appoſitum olim fuiſſe docet P. Richa, mercium ſcilicet ſarcinam funiculis decuſſatis conſtrictam hiſce additis literis: O. S. S. C., nempe *Omnium Sanctorum Conventus*.

LXXI. Plura autem monumenta idem auctor commemorat, ex quibus quantum eſſet Florentinorum in Humiliatos ſtudium, quam bene lanæ præſertim opificio de Florentinis ii mererentur, ac quam late eorumdem Domus jura paterent, cognoſcimus. Duo hic innuiſſe ſufficiat; alterum an. MCCL. Pridie Cal. Maji, quo *Rainerius de Montemurlo Dei & Imperiali gratia Florentinus Poteſtas in conſilio 90. virorum & generali Civitatis Flor. in palatio de Galigariis, ubi fiunt conſilia & ordinationes pro Comune Florentino, ad ſonum campane, & ad quod conſilium vocati fuerunt Conſules Judicum, Mercatorum, Campſorum, & Porte S. Marie, & Rectores artis lane, & omnes alie Capitudines artium Civitatis*, propoſuit, deberent ne Humiliatis, quod lana facienda urbi egregie prodeſſent, locus ædeſque nonnullæ in S. Paulli, & S. Luciæ *populo*, id eſt parœcia, concedi: idque omnium ſententia probatum eſt. Alterum an. MCCLXXVIII. VII. Nov., quo cum Omnium SS. ſuburbium Civium decreto inſtaurandam eſſet, Humiliatis conceditur, ut quadrata 100. cubitorum platea ante eorum templum pateat. Humiliati autem beneficiorum memores gratum animum ſuum Florentinis probarunt. *Humiliati*, ait Auguſtinus Florentinus (a), *Lanariam primi omnium Florentiæ exercere viſi ſunt, utrinque ponte, qui ad Carariam dicitur, auxerunt, & molendina portiuncula Arni ædificaverunt*. Hanc ſedem ad annum uſque MDXXIX. tenuerunt Humiliati. At deinceps ad an. MDLXIV. multas vices Religioſi Florentiæ Cœtus, ac Franciſcani præſertim, Auguſtiniani, atque Humiliati, ædibus ſæpe mutatis, paſſi ſunt, atque Omnium SS. Cœnobium ter Minoribus conceſſum, ter iiſdem ereptum, quæ omnia videre eſt apud P. Richam. Has ipſas vices

(a) Hiſtor. Camaldul. Lib. II. Cap. XVIII

vices respicit Torchius in suo Codice pag. 40. ad diem XVIII. Oct. MDXLV. his verbis: *Protestatio facta per R. D. Prepositum Omnium SS. Florentie &c. contra Illmum D. Ducem Florentie de injuria eidem in monasterio suo illata, ex eo quia Excellentia sua privaverit illos dicto suo Monasterio & Ecclesia absque aliqua causa.* Tandem an. MDLXIV. Minores in Omnium SS. ædibus statuti. Humiliati, quorum numerus (maximus olim, nempe ad XL.) imminutus non parum erat, ad S. Catharinæ traducti. Postea vero Humiliatorum redditus commendati sunt; ac Florentiæ in Bibliotheca Strozziana Pontificiæ literæ jam ab an. MDLXVIII. datæ exstant, quibus Vincentio Covo ejusque familiæ Præpositura illa perpetuo commendatur. Veteres vero S. Luciæ ædes Canonicis Regular. S. Salvatoris, certis conditionibus adjectis, jam ab an. MDXLVIII. concesserant Humiliati, qua de re confectas tabulas ad nos transmisit Cl. Mannius.

LXXII. Fuit pariter, atque exstat adhuc spectatissimum apud Florentiam Humiliatorum Virginum Cœnobium, quod anno MCCXCVIII. nondum exstructum fuerat, ideoque in altero tantum Catalogo recensetur. Erudite de hoc Cœnobio disserit laudatus Mannius, ex quo præcipua tantum rerum capita delibamus. Lotterius Davanzatus Davanzati filius an. MCCCXXXVI. Virginum Cœnobium in prædio suo, cui loco vulgo nomen *Montughi* vel *Montui*, mille circiter ab urbe passus Bononiam versus, excitari supremis tabulis jussit. Inter illos vero, quos rei perficiendæ præesse voluit, nominavit ille *prudentes, probos, & discretos viros Religiosos fratres Philippum Tuccii Buosi, & Paulum Conventuales Omnium Sanctorum de Florentia Ordinis Humiliatorum;* a quibus & Cœnobium excitatum est, & Humiliatorum leges Sanctimonialibus datæ. Binæ adhuc Inscriptiones in eodem Cœnobio exstant, quas Mannius profert, quibus, quæ hactenus diximus, confirmantur. Altera sic habet: *Lotterius Davanzatus erexit testamento an. MCCCXXXVI. Lotta Acciajola cum XI. Nobilibus*

ingressa est MCCCXLIII. Joannes Bartholomæi filius Davanzatus auxit MDIC. Altera autem: *Monasterium S. Marthæ Hospitæ Christi ædificatum pro anima Locterii Davanzati Populi S. Trinitatis de Florentia anno Domini MCCCXLII.* Floret adhuc, ut diximus, hoc Humiliatarum Virginum Cœnobium, ibique S. Caroli Epistola servatur, qua ille de ictu ab Humiliato Farina in se exploso Pontificem monet.

LXXIII. Sequitur 2. *Domus fratrum de senis.* Quæ fuerit hujusce domus origo, non satis constat; sed, ut optime animadvertit in MS. suo de Humiliatis Senensibus commentariolo, quem ad me transmisit eruditus Senensis Sacerdos Jo. Dominicus Ristori, intra an. MCCXXVI. & MCCLVI. illius initia locanda videntur. In antiquo enim MS. Codice, qui Senensis Reipublicæ statuta complectitur, quique circa an. MCCLXX. conscriptus videtur, Religiosi ii omnes cœtus enumerantur, quibus certum pecuniæ aut annonæ modum Respublica ipsa erogare consueverat. Porro Humiliati inter Franciscanos, qui an. MCCXXVI., & Augustinianos, qui an. MCCLVI. Senis recepti sunt, recensentur; ut intermedio tempore in eamdem urbem inducti illi fuisse videantur. His vero *quinquaginta libræ* Civium decreto solvebantur quotannis; decem præterea laterum millia ad Ecclesiæ ædificationem data, præter alia, quæ tum Reipublicæ, tum Civium in Humiliatos munificentiæ monumenta exstant. In ejusdem tamen domus constructione aliquid controversiæ inter Rempublicam atque Humiliatos fuisse videtur. In memorato enim Statutorum Codice Distinct. III. hæc habentur: *Et quia, ut dicitur, Fratres Humiliati de Senis olim reprehendiderunt de via, qua itur ad S. Laurentium faciendo construendo ibi murum de terra a canto domus hæredum Contadini & consortum, usque ad locum ipsorum Fratrum, qui murus est tortuosus & ad spigulos, ita quod via est ibi magis arta quam antiquitus consueverit esse, & non est recta; statuimus & ordinamus, quod Camerarius, & quatuor Provisores teneantur ire ad lo-*

cum dictorum Fratrum, & rogare affectuose Præpositum & Fratres Humiliatorum, ut ipsi dictum murum reducant retro, & dimittant viam magis amplam & rectam ad cordam. Et si hæc fecerint, bene quidem. Sin autem, reducant ad Consilium Campanæ eorum responsionem, & sicut inde Consilium statuerit, ita fiat. S. Thomæ ædem sacram Senensis domus habebat, quam usque ad Ordinis extinctionem Humiliati tenuerunt. Tum vero Humiliatis extinctis in S. Thomæ ædes S. Petronillæ Virgines inductæ sunt, quæ olim extra urbem pedem fixerant, nempe extra portam Camulliam.

LXXIV. Nonnulla jam de Pisanis Humiliatis Vol. I. pag. 250. diximus, cum de S. Torpete sermo esset. Itaque quæ deinde succedit 3. *Domus fratrum de pisis*, satis jam illustrata fuit. Vidimus scilicet, S. Luxorii Monasterium non longe ab urbe situm Humiliatis commissum fuisse; iis deinde S. Torpetis templum Pisis post medium sæculum XIII. constructum concessum fuisse; eosdem postea, quod conditionibus non starent, an. MCCCXII. S. Luxorii æde spoliatos. At S. Torpetis domus usque ad Humiliatorum extinctionem apud illos stetit. Dionysium Mediolanensem hujus domus Præpositum commemorant eruditissimi Camaldulensium Annalium Scriptores PP. Mittarellius & Costadonius (*a*), eumque Camaldulensium Visitatorem citra Alpes, atque in Sardiniæ, Corsicæ, Montischristi, & Ilbæ Insulis constitutum fuisse narrant. Refert tamen Advocatus in suo Codice pag. 128. titulo tenus tantum Præpositum domui illi datum, qui Florentiæ degeret: redditus vero Raynerio Pisano Pontificio Cubiculario commendatos fuisse. Domus deinde PP. Ordinis Minimorum concessa. Hujus *fagiæ* postrema profertur 5. *Domus de Pistogia*, seu Pistoriensis, de qua pauca proferemus ex quadam tabella excerpta, quæ in hujus Præpositurae sacrario adhuc servatur. Anno itaque MCCXC. a Thoma Pistoriensi Episcopo deducti Pistorium Hu-

(*a*) T. VI. pag. 132. & 341.

Humiliati, templumque S. Mariæ Magdalenæ ſacrum illis exſtructum. Præterea antiquam Groppoli in Piſtorienſi Diœceſi Plebem Donatus Medices Piſtorienſis Epiſcopus huic domui conjunxit. Anno MCCCCLXXVII. ejuſdem Præpoſitus Silveſter Amadorius erat, ad quem Sixtus IV. literas dedit, quibus quadrimeſtres in ſingulos annos ferias Piſtorienſibus Canonicis concedebat. Ex monumento an. MDIX. XV. Apr. conſtat Juliano Soderinio, atque ante illum Cardinali Soderinio commendatam illam fuiſſe. In Catalogo etiam an. MDLXX. commendata & Fratribus vacua dicitur. Eccleſia ipſa adhuc ſupereſt, ac S. Joannis de Meda effigies portæ impoſita cernitur. Ædium ipſarum veſtigium aliquod exſtat.

LXXV. Hæ tantum in antiquiore Catalogo Etruſcorum Humiliatorum domus numerantur. Binæ poſteriori Catalogo adduntur ſerius exſtructæ; ſcilicet *Domus de Elbiniate*, *& Domus de Civoli*. *De Elbiniate* porro corrupte ſcriptum eſt pro *de S. Miniato*, quæ urbs eſt Etruriæ. Certam hujus domus originem habemus in Humiliatorum Conſtitutionibus, quæ anno MCCCXLIII. in Rondenarienſibus Comitiis latæ fuerunt. *Confirmamus*, *ratificamus*, *& approbamus donationem olim factam per Præpoſitum*, *Fratres*, *& Capitulum Domus Omnium SS. de Florentia*, *Fratre Redulfo de Guignis* (al. *Ginguis*) *dicti Conventus de Florentia ſtipulante & recipiente pro futuro Præpoſito & Conventu Fratrum Sancti Martini de Sancto Miniate del Tedeſco* (vocis hujus *del Tedeſco* etymon explicat (*a*) Ammiratus). Itaque cum an. MCCCXLIII. domus hæc *futura* dicatur, anno autem MCCCXLIV. inter domos, quæ tunc exſtabant, adnumeretur, per id ſcilicet tempus fundatam illam fuiſſe ſatis patet. Porro aliquot ante annos, nempe an. MCCCXXXV. Samminiatenſes Humiliatis Florentinis jus conceſſerant, ut ejuſdem S. Martini Eccleſiæ Parochum ex ſuis nominarent, quod ex ejuſdem anni monumentis ſuo loco edendis

(*a*) Stor. Fiorent. T. I. pag. 48.

constabit. In Catal. an. MDLXX. inter commendatas domos Fratribusque vacuas recensetur. Parochialis S. Martini ædes adhuc superest. Cigulum autem castrum duobus circiter mille passibus S. Miniato abest, vulgo *Civoli*, olim etiam *Ceuli*. De hujus domus origine egregium monumentum a Cl. Mannio ad nos transmissum suo loco edemus, ex quo constat, illius oppidi incolarum beneficentia circa annum MCCCXL. factum fuisse, ut Humiliati illuc advocarentur, iisque S. Michaelis Ecclesia attribueretur, quæ sæpe etiam S. Mariæ ob celebrem Deiparæ imaginem appellatur. Hanc etiam ad extremum usque Humiliati tenuerunt. Alia denique in Etruria domus Humiliatis concessa est, Paganici nempe, quod Senensis agri est oppidum. Vidimus Vol I. pag. 169., cum Paganici mœnia an. MCCXCIII. instaurarentur, Humiliatum quemdam operi præfectum fuisse; quo peracto Humiliatorum domus ibidem exstructa est, quæ tamen Senensi subesset (*a*); ex quo factum arbitror, ut in vetustiore Catalogo illa omitteretur, ut pote quæ Senensis domus pars censeretur. Anno vero MCCCXL. Jacobus Generalis Humiliatorum Magister illam Senensis domus jure solvit, quod ex monumento Senensis Archiepiscopatus constare dicitur. Suspicor tamen errorem in anno latere. Cum enim ne in ipso quidem Catal. an. MCCCXLIV. recenseatur illa, sed post eumdem annum fundata dicatur, non videtur jam ab an. MCCCXL. potuisse illa ut nova atque a ceteris sejuncta Humiliatorum domus haberi. Hanc quoque ad extrema usque tempora Humiliati servarunt. Illius deinde redditus Parochiali Paganici Ecclesiæ attributi sunt. In Catal. an. MDLXX. Aretinam etiam S. Bernardi domum inter commendatas numerari video, cujus auctoritate fretus eamdem commemoravit Cl. Sormannus (*b*). Sed cum nusquam alias Humiliati Aretini indicentur, certissime arbitror Domum *de Aretio* corrupte pro *de* *Re-*

(*a*) Gigli Diario Sanese P. II. pag. 678.

(*b*) Stor. degli Umil. pag. 120.

Regio, quæ ſcilicet S. Bernardo ſacra erat, quæque in eodem Catalogo omittitur, appellatam fuiſſe.

LXXVI. Sed jam extremam hujuſce Diſſertationis partem ingredimur, qua Pontificiæ ditionis domus illuſtrandæ ſuperſunt. Ac primo Bononienſis domus occurrit, quæ, ut diximus, in Catalogo noſtro Parmenſi *fagiæ* additur, quæque unica in eodem Catalogo ad Pontificiam, qualis hodie eſt, ditionem pertinens profertur. Ceteræ enim omnes ſerius exſtructæ. Plura autem Bononienſes Humiliatos ſpectantia præ manibus habeo, quæ vir Cl. atque in patriæ monumentis inveſtigandis diligentiſſimus Cajetanus Montius Bononienſis ad me ſubmiſit. An. MCCXVIII. Humiliatos Bononiam invectos Sigonius narrat (a): *Eo vero, qui inſequutus eſt* (anno ſcilicet, quem memorabam) *Monachos Humiliatos extra portam S. Vitalis ad SS. Jacobum & Philippum ſedes collocantes recepit* (Henricus a Fracta Bononienſis Epiſcopus). At Cl. P. Carolus Conſtantinus Rabbius Auguſtinianus Inſubricæ Congreg. in ſuis ad Sigonium annotationibus, nonniſi multos poſt annos ædes illas fuiſſe Humiliatis conceſſas contendit, *de qua re*, inquit, *iterum dicemus in notis ad an.* 1284. At hoc loco de Humiliatis ne verbum quidem. Humiliatos tamen ante an. MCCLXXXIV. Bononiæ exſtitiſſe certiſſimum eſt. Mitto Eccleſiam *S. Marie de Humiliatis*, quæ in ſupremis Martini cujuſdam piſcatoris tabulis an. MCCXXXIII. apud PP. Congr. Montis Oliveti Bonon. commemoratur, quæque etiam in antiquiſſimis Bononienſibus ſtatutis an. MCCXLIX. his verbis deſignatur: *via que vadit ad S. Mariam de Humiliatis juxta navigium a ponte Lame ad pontem Morandi inglaretur*; & in iis, quos alibi appellavimus, commentariis, vulgo *Memoriali del Comune* ad an. MCCLXX. *Domus ... poſita juxta navigium, pontem Morandi, Sorores de Humiliatis, & viam publicam*. Hanc, inquam, mitto. Cum enim conſtet Sanctimoniales nonnullas Augu-

(a) De Epiſc. Bonon. Lib. II. ad an. 1218.

Augustinianis primum, deinde Dominicanis legibus addictas ibi vixisse, quæ adhuc Sorores S. Mariæ Novæ appellantur, videntur illæ etiam latiore quodam sensu Humiliatarum nomine appellatæ. Fieri tamen potuit, ut ibi olim sedem habuerint Humiliati, quæ a veteribus incolis, etiam iis abeuntibus, nomen duceret. At certe an. MCCLVIII. Bononiæ apud S. Luciæ ædes Humiliati erant. Sic enim in Bononiensibus Statutis eodem anno renovatis: *Fratribus & Sororibus de Ordine Humiliatorum commorantibus apud S. Luciam* erogentur *corbes frumenti num. XX.* Quin etiam multo antea Bononiæ fuisse Humiliatos, ex Laudensi monumento an. MCCXXXIII. colligo, quod pag. 9. commemoratum est. Ibi enim Fr. Vitalis domus Omnium SS. Laudensis Diœcesis testatur se ante illum annum in aliis sui Ordinis domibus vixisse, nempe inter *bergamum & bononiam* (scilicet nunc Bergomi, nunc Bononiæ) *ad suas domos, que sunt in illis civitatibus*. Nova autem Humiliatorum domus in *Memorialibus* an. MCCLXVI. se prodit: *Fr. Johannes Prior Ecclesie B. Philippi de Ordine Humiliatorum;* & ad an. MCCLXXII. *Fr. Johannes de Pontevico Prior Ecclesie SS. Philippi & Jacobi de Burgo Lamarum*. Sed brevis hoc loco fuit Humiliatorum mora. Anno enim MCCCI. tres ibi tantum Sorores degebant, quæ etiam nullo modo ad Humiliatos videntur pertinuisse. Certe an. MCCCVIII. Camaldulensibus se addixerunt, ut ex iisdem *Memorialibus* constat. At quo tempore Humiliati ad SS. Jacobi & Philippi *de Burgo Lamarum* morabantur, sedem sibi aliam Bononiæ, nempe S. Jacobi *de Savina* extra portam S. Vitalis an. MCCLXVII. statuerunt, postquam inde Augustiniani Congr. S. Joannis Boni excesserant. Eodem enim anno MCCLXXII., quo in *Memorialibus* Joannes *Prior Ecclesie SS. Philippi & Jacobi de Burgo Lamarum* nominatur, in iisdem occurrit *Fr. Ghisus de Florentiola Prior Capituli Fratrum Humiliatorum S. Jacobi de Savina*. At an. MCCXCVIII. unica erat Bononiæ Humiliatorum domus, ut ex Catal. nostro cognoscimus;

viden-

videnturque Humiliati *de Burgo Lamarum* ad S. Jacobi *de Savina* deducti fuisse. Eugenius IV. sub sui Pontificatus initia, cum domum hanc incolis fere vacuam esse accepisset, Fr. Jacobum Battaliam Augustinianum ejusdem Præpositum jussit, qui, quamvis solus in iis ædibus degeret, Humiliatorum tamen leges amplexus est. Nihilominus in Mantuanis Humiliatorum Comitiis an. MCCCCXXXVI. cum de Glaxiatensi domo dimittenda ageretur, hæc adjecta est conditio: *ut impetraretur a Summo Pontifice Cœnobium .... Bononiæ, ut jampridem exstiterat in ea Civitate* (a). Id forte in caussa fuit, cur Battalia an. MCCCCXXXVIII. tertii Ordinis Humiliatos in ædes illas deducendos curaret; sed irrito successu. Itaque an. MCCCCXLIII. Battalia S. Stephani, & S. Bartholomæi de Musiano Cœnobiorum, quæ simul conjuncta fuerant, Abbas dictus est. Humiliati autem Præpositum ex suis iterum huic domui præfecerunt. Hujusmodi fuit Antonius de Ferris, mox iterum memorandus, qui Comitiis an. MCDXCI. interfuit. Tum in Advocati Codice pag. 59., tum in Catal. an. MDLXX. inter commendatas domos recensetur. Humiliatorum autem tertii Ordinis, præter ea, quæ de S. Bernardi Nosocomio agentes diximus Vol. I. pag. 181., mentio est etiam in *Memorialibus* an. MCCCI. *Congregatis Fratribus tertii Ordinis Humiliatorum in domo eorum posita in Barbaria .... Fr. Guido Signoritti, Fr. Jacobus Vergellesii, Ministri tertii Ordinis Humiliatorum* &c.

LXXVII. Post annum vero MCCCXLIV. initium habuit, ait Joannes Braidensis, *Domus de Ducia de Episcopatu Bononiæ, quæ nunc habet solum fraterculum*. Ducia porro, vulgo *Dozza*, non Bononiensis, ut hic dicitur, sed Forosemproniensis, seu Imolensis Diœcesis est castrum, Campegiæ olim, nunc Malvetiæ nobilissimæ apud Bononienses gentis feudali juri obnoxium. In Catal. an. MDLXX. commendata ac Fratribus vacua dicitur.

Eodem

(a) Puccin. Chron. Glaxiat. pag. 22.

Eodem modo in eodem Catal. Faventina domus profertur, quæ etiam in Catal. an. MCCCXLIV. recensetur. S. Bernardo sacram illam fuisse, atque ad Portam Pontis positam ex Cl. Mannio discimus (*a*); qui addit hujus Præposituræ redditus Faventinæ Cathedralis Archidiacono attributos fuisse. Id ipsum narrat Advocatus in suo Codice pag. 60., qui id subreptitio modo factum dolet, antequam ipse Humiliatis præficeretur. Monialium etiam Humiliatarum domus, quamvis ad breve tempus, Faventiæ fuit. Id a doctissimis Camaldulensium Annalium Scriptoribus discimus, qui literas an. MCCCCLXII. XIII. Sept. datas protulerunt (*b*), quibus *Fr. Antonius de Ferris Præpositus Ecclesiæ SS. Jacobi & Philippi de Sapina Bononiæ, Vicarius Philippi de Crivellis Decretorum Doctoris & Magistri Generalis totius Ordinis Humiliatorum, Helisabetham de Aldrovandinis de Ravenna professam domus S. Matthæi de Arimino constituit in Abbatissam novi Parthenonis SS. Trinitatis extra Faventiam, quam Ecclesiam Ordini Humiliatorum concesserat Johanna de Manfredis Domina Faventiæ*. Addunt autem iidem Scriptores, an. MCCCCLXXXIX. Ecclesiam illam Benedicto Mustolo Camaldulensi concreditam, anno deinde MDVI. Camaldulensibus Sanctimonialibus concessam fuisse. Multo plura de Ariminensibus Humiliatis proferre possemus, de quibus diligentissime egit doctissimus Vaticanæ Basilicæ Canonicus Joseph Comes Garampius (*c*). Sed cum hujus liber eruditorum manibus teratur, satis nobis erit summa rerum capita brevissime perstringere. Vidimus Vol. I. pag. 163. Humiliatos an. MCCLXI. lanæ faciendæ caussa Ariminum advocatos fuisse, ac S. Matthæi ædem illis concessam. Cum tamen in Catalogo nostro Ariminensis hæc domus desideretur, incertus hæreo, an hinc colligam, Ariminensium consi-

(*a*) Sigilli antichi T. VII. Sig. VIII.

(*b*) T. VII. pag. 268.

(*c*) Memorie della B. Chiara da Rimini pag. 394. &c.

consilium an. MCCXCVIII. nondum fuisse ad exitum deductum, an potius Librarii oblivione illam omissam dicam. At certe Humiliati cito Arimini defecerunt, ac jam ab an. MCCCXI. sorores tantum fuisse ibi superstites ostendit laudatus Auctor. Ex Humiliatis tamen aliquem, qui Coenobii bonis administrandis praeesset, delectum fuisse, ex charta an. MDXV. idem probat. In Bibliotheca Metropolitani hujus Mediolanensis Capituli Codex MS. servatur (a), leges nonnullas continens ab Ariminensibus Sanctimonialibus servandas a Guidobaldo Parmensis, & Antonio de Cardano Duciensis domorum Praepositis latas an. MCCCCXCVI. Saepe etiam hujus Coenobii mentio occurrit in Codice Torchii; ut pag. 12. ad diem VII. Jun. MDXXXVI., ubi haec habemus: *Deputavi Don Joannem Baptistam Ordinis S. Benedicti in Capelanum & Confessorem Monialium S. Mathei Rimini*, & pag. 49. ad diem XIV. Maji MDXLVIII. *Commissio facta Revmo Vicario Ariminensi, ut possit visitare Monasteria S. Mathei Rimini* &c. At vero medio circiter XVI. saeculo Ariminenses S. Matthaei Sanctimoniales, Humiliatorum legibus rejectis, Augustinianas amplexae sunt, quibus adhuc vivunt. Perusium pariter accitos fuisse Humiliatos ex ejusdem Civitatis Statutis an. MCCLXXIX. vidimus Vol. I. pag. 163. Sed aut decretum hoc exitu caruisse, aut brevissimam apud Perusinos fuisse Humiliatorum moram hinc colligimus, quod nullo usquam monumento Perusina domus indicatur.

LXXVIII. Dissertationem hanc nostram Romanae Humiliatorum domus claudant. Ac primo inter domos post an. MCCCXLIV. Humiliatis concessas Joannes Braidensis Romanam S. Caeciliae enumerat: *altera fuit domus S. Caeciliae de Roma, quae nunc habet fratres septem, sorores quattuor, fam.....* Haec ille an. MCCCCXIX. scribebat. Quo illam anno adierint Humiliati, incertum est. Sed ante an. MCCCCXXXVI. Humiliati illis aedibus excedere coacti

(a) Cod. MS. sign. E. 44. 11. in fol.

fuerant, quod tum ex eo colligimus, quod videmus Petro Cardinali Barbo commendatas illas sub Eugenio IV. fuisse (*a*), tum ex Humiliatorum Comitiis ejusdem anni MCCCCXXXVI. Hac enim conditione in iis Glaxiatensis Domus Benedictinis concessa, *dummodo impetrentur a Pontifice duo* Cœnobia, *alterum Romæ*, *quod jam præcelebre sub titulo S. Cæciliæ habuerunt*, &c. (*b*). Illud porro an. MCCCCLXXVII. redditum certe iis fuerat, ut constat ex sepulcrali inscriptione apud Alverum (*c*): *Fr. Eusebius de Vercellis Præpositus Patri Rdo. Fr. Ambrosio de Viglevano Monasterii Vis. P.... A. D. MCCCCLXXVII. die III. April.* Anno MDXIX. coacta ibi fuisse Humiliatorum Comitia vidimus Vol. I. pag. 145. At deinde an. MDXXVII. cum domus illa Franciotto Cardin. S. Mariæ in Cosmedin commendata esset, Clemens VII. literis suis VI. Cal. Jul. datis, quas suo loco edemus, eamdem Mauræ Magalottæ *Abbatissæ Monasterii Monialium S. Mariæ Campi Martii.... de urbe Ord. S. Benedicti concessit*, ac S. Cæciliæ Cœnobium *Monasterium Monialium dicti Ordinis Humiliatorum* esse jussit. Nunc tamen servatis Humiliatorum vestibus, S. Benedicti legibus Sanctimoniales illæ vivunt. S. Agathæ in Suburra domus ad Humiliatos etiam pertinuit. Hanc Carolus Bartholomæus Piazza an. MCC. Humiliatis concessam ait (*d*). Sed quam longe a vero aberraverit, ostendit Catalogus an. MDLXX., in quo hæc habemus: *La Prepositura di S. Agatha di Roma* &c. *Non vi è Preposto*, *avendo sua Santità dato tal luogo alla Religione dopo la Rifforma*. Enimvero Cl. Oltrocchius refert (*e*), Pium V. cum sanctioris inter Humiliatos disciplinæ initia a S. Carolo in Cremonensibus Comitiis an.

(*a*) Ciacon. Vit. Pontif. & Cardin. T. III. in Eugen. IV.
(*b*) Puccin. Chronic. Glaxiat. pag. 22.
(*c*) Roma in ogni stato T. II. pag. 389.
(*d*) Gerarchia Cardinal. pag. 834.
(*e*) Not. ad Vit. S. Car. col. 145.

an. MDLXVII. posita intellexisset, de domo aliqua in ipsa urbe iisdem concedenda cogitasse; quæ ipsa scilicet S. Agathæ domus fuisse omnino videtur; ac proinde sub extrema tantum Humiliatorum tempora fuisse illos in hasce ædes invectos certissimum est.

LXXIX. Hæ scilicet tota Italia erant Humiliatorum domus. Ad Neapolitanum vero regnum quod attinet, quamvis Puricellius schedas quasdam S. Caroli manu scriptas legisse se narret, quibus ille de Humiliatis ex Neapolitano regno evocandis cogitasse videtur, qui sanctius vivere dicerentur, duosque ex iisdem Generalis Humiliatorum Magister accersisset, qui jam in Insubria erant; quamvis etiam in Puricellii schedis Mariæ Gratiæ Zambeccariæ Florentinæ Humiliatarum Domus Priorissæ literæ exstent an. MDCXLV. IV. Mart. ad Puricellium datæ, quibus narrat, se, cum juvenili ætate esset, Humiliatum quemdam vidisse e Neapolitano regno advenientem, ac XX. ante annos Bononiensem se hominem narrantem audisse, Humiliatorum societatem quamdam in ea provincia esse, qui solitariam vitam ducerent, hæc omnia ostendunt quidem, hominum in iis regionibus cœtum fuisse, qui Humiliatos habitu, ac forte etiam legum similitudine, atque ipso, si placet, nomine referrent.. At numquam fuisse illos cum Humiliatis nostris societate conjunctos, unicumque cum iisdem corpus non confecisse, hinc constat, quod in nullis eorumdem monumentis Neapolitani Humiliati umquam indicantur, illisque extinctis, horum Societas, ut vidimus, adhuc stetit. Utrum vero in Siciliam ingressi umquam sint Humiliati, Vol. I. pag. 164. quæsivimus. In Galliam denique aditum illis aperire conatus est Alexander IV. literis ad S. Ludovicum Galliarum Regem XIII. Nov. an. MCCLVIII. datis, quas suo loco edemus. Sed hocce Pontificis optime in Humiliatos affecti consilium, quæcumque tandem caussa intercesserit, exitu caruit.

HUMILIATORUM MONUMENTA

ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATA.

Guidonis de Porta Orientali fidejussio pro Vicoboldonensibus Humiliatis.

1176. 4. Febr. Ex Tabul. Præposit. S. Juliani Mediol. Diœc.

IN Nomine Domini, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo sexto, quarto mensis Februarii, Indictione nona. Dedit Guadiam (1) Guido, qui dicitur de Porta orientali (2) Civitatis Mediolanensis ex parte Congregationis fratrum Ecclesiæ Sancti Petri, quæ debet ædificari in loco Vicoboldono (3), Domino Juliano Præposito Ecclesiæ, & plebis S. Juliani ad partem ipsius Ecclesiæ, eo tenore, quod de cetero dabit ipse Guido eidem Præposito modios viginti unum blavæ medietate siliginis & medietate milii, facta computatione terræ & sediminum, quam ipsi fratres habent in ipso loco vel habuerint; videlicet si ipsi fratres emerint totum ipsum locum, idest totam terram ipsius loci, dare debet ei ipsum fictum modiorum viginti unius; & si non emerint totam terram ipsius

(1) *Guadia* sæpe in medii ævi monumentis occurrit, uti etiam *Guademonium*, atque idem est ac *fidejussio*. V. *Cangii Glossar. Med. & Inf. Latinit.*

(2) De nobilissimo piissimoque hoc Cive plura habes in Prodromis Dissertationibus, præsertim Differt. II. & VI. P. I.

(3) De hoc Mediolanensis Diœc. pago, deque Humiliatorum domo ibidem exstructa V. Differtat. II. num. XXXII. & Differtat. VII. P. I. num. VII.

ipsius loci, ipsum fictum dabit ei facta computatione terræ & sediminum, quam modo habent, vel habituri sunt aut emet ipse Guido, eidem Domino Præposito ad partem ipsius Plebis tantundem ficti in alia terra ad beneplacitum Domini Uberti Crivelli Mediolanensis Ecclesiæ Archidiaconi (4), in cujus præsentia hoc totum factum est. Quod si ipse & prædicti fratres non emerint ei tantundem ficti, dabunt eidem Præposito libras quinque denariorum tertiolorum (5) pro uno quoque modio dehinc ad festivitatem Sancti Martini venturi usque ad annum unum, quod fecerunt ipse Guido & prædicti fratres ex sua liberalitate, omni conventione cessante pro restauratione decimæ & Primitiæ & oblationum, quas ipsa Ecclesia S. Juliani habebat in suprascripto loco, & secundum hoc cognitum facient & dabunt præfatus Guido & jam dicti fratres eidem Domino Præposito vel ejus successori, si emerint terram in aliis locis ipsius Plebis, & de his omnibus adimplendis dedit guadiam prænominatus Guido ipsi Domino Præposito ad partem ipsius plebis; & exinde poxuit fidejussorem Joannem de buxnate de ipsa civitate (6), quia sic inter eos convenit. Actum Mediolani in domo prædicti Domini Archidiaconi in ejus præsentia, & Alberici de So-

(4) Ubertus Cribellus Mediolanensis, qui deinde S. R. E. Cardinalis, Mediolanensis Archiepiscopus, ac denique an. MCLXXXV. Romanus Pontifex jussus, Urbanus III. appellatus est.

(5) Nummi genus, quod in Mediolanensibus medii ævi chartis sæpissime usurpatur. De illo hæc habet Galvaneus Flamma in Chronico MS. apud Cl. Julinium (*Memor. T. VI. pag. 141*): *Quinta moneta dicebatur Terzolus, quia ejus tertia pars erat tantum argentea, & viginti solidi valebant unum Florenum.* Notissimum porro est apud eruditos multo majorem olim fuisse, quam nunc, monetæ valorem; hac vero ætate, ad quam monumentum hocce pertinet, eam fere fuisse monetæ illius ad nostram proportionem, quæ 1. ad 60. ostendit laudatus Julinius (*Mem. T. VII. pag. 59. & 276.*)

(6) Idem ut videtur, qui an. MCLXXII. Mediolanensis Consul fuerat, ut ex charta a Puricellio edita colligimus. (*Monum. Basil. Ambros. num. 525.*)

Sorexina (7). Signa manuum fupraſcripti Guidonis, qui hunc brevem, ut ſupra fieri rogavit, & ſupraſcripti Joannis, qui pro eo fide juſſit, ut ſupra. Signa manuum Anſelmi de orto viridis de Sancta Tegla (8), Arnoldi de Leanate, Marchiſii Rubei, & aliorum teſtium. Ego Johannes Qualia notarius Sacri Palatii tradidi & ſcripſi.

(7) Nobiliſſima fuit inter Mediolanenſes Soreſiniorum gens. Albericus hic autem inter Metropolitanæ Baſilicæ Ordinarios adnumeratus eſt, ut ex monumento an. MCLXXXVI. apud Muratorium (*Antiquit. Ital. T. IV. col.* 855.) conſtat.

(8) Celeberrimum eſt apud Mediolanenſes hujus ævi hiſtoricos Anſelmi ab Horto nomen, qui turbulentis iis temporibus maximo patriæ præſidio fuit. Sed voces illæ *viridis de Sancta Tegla*, quid ſignificent, & ad ipſumne Anſelmum pertineant, an hominem alium deſignent prorſus ignoro. Arbitror librarii vitio errorem hic aliquem irrepſiſſe; neque enim ex autographo monumentum hoc hauſimus; ſed ex documento an. MCCCXXII. inſcripto: *Inſtrumentum tranſactionis inter Præpoſitum & Canonicos S. Juliani ex una, & Præpoſitum & fratres domus de Vicoboldono ex altera an. MCCCXXII.* Ac ne hoc ipſum quidem autographum eſt, ſed noſtra fere ætate deſcriptum.

Redemptio decimæ Braidenſi Domui impoſitæ.

1178. 7. Nov. Ex Tabul. Colleg. Braid.

ANno Dominice Incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo, ſeptimo die menſis novembris, Indictione duodecima (1), preſentia illorum hominum, quorum nomina ſubtus leguntur, finem & refutationem atque ceſſionem fecerunt martinus presbiter eccleſie ſancti Johannis que dicitur quat-

(1) Anno MCLXXVIII. Indictio XI. congruit. Sed innumeris exemplis docemur Indictionem apud Mediolanenſes non Calendis Januariis, ſed tribus ante menſibus, Calendis ſcilicet Septembribus numerari cœpiſſe. Itaque dies VII. Novemb. hujus anni jam Indictione XII. deſignabatur.

quattuor faties (2) ex parte ipsius ecclesie, & Anricus, & Johannes atque Otto veglones (3) ecclesie sancte marie que dicitur yemalis (4) ex parte veglonie, & pro omnibus veglonibus aliis, & rugorus ac tettavillanus qui dicuntur de sancto michaele, in manu Guilielmi presbiteri ecclesie sancti ylarii (5), qui erat missus ad recipiendam suprascriptam refutationem domini Algisi archiepiscopi (6), & parabola ab eo ita acceperat (7), secundum quod ipse guilielmus presbiter ibi in presentia Algisi cimiliarche (8) & infrascriptorum testium dixerat, & ipse dominus cimiliarcha ad predictum finem veglonum consensit, nominative de tota illa decima, quam jam dictus martinus presbiter, & prenominati veglones, ac rugorus & tettavillanus habebant in terra, que est

(1) Superest adhuc Mediolani hujus nominis Ecclesia, cujus etymon probabiliter ex Jani quadrifrontis effigie duci posse arbitratur Cl. Julinius (*Mem. T. II. pag.* 364.), quam in mœnibus prope Comensem portam repertam olim fuisse Flamma testatur. Porro non multum ab Ecclesia illa Comensis porta olim aberat.

(3) Vox corrupta ab Itala voce *vecchioni*; quo nomine decem illi viri totidemque feminæ senes designantur, quorum est præsertim in solemni Sacrorum celebratione secundum Ambrosianos ritus quæ consecranda sunt ad aram deferre.

(4) Antiquum Metropolitanæ Mediolanensis Ecclesiæ nomen, inde ductum quod per hiemem illa uterentur: per æstatem vero S. Theclæ æde utebantur, cui propterea *æstivæ* nomen factum.

(5) Ecclesiam hanc Anselmus de Badagio Metropolitani templi Ordinarius, ac deinde Romanus Pontifex Alexander II. appellatus, anno MLV., Argellato teste (*Bibliotb. Script. Mediol. T. II. P. II.*); aut ut aliis placet, an. MLVI. (V. *Julin. Memor. T. III. pag.* 494.) construendam curavit. Badagiorum familia jus patronatus diu in hanc Ecclesiam exercuit; quæ eorum ædibus proxima erat.

(6) Algisius de Pirovano Mediolanensis Archiepisc. jussus an. MCLXXVI., an. MCLXXXV. e vivis ereptus.

(7) Frequens in medii ævi chartis loquendi ratio, qua alicujus nomine & auctoritate aliquid fieri ostenditur.

(8) Algisius hic in alio hujus anni monumento apud Puricellium (*Monum. Basil. Ambros. num.* 583.) *Archiepiscopi nepos* dicitur. Cimiliarcha autem Græce idem significat, ac thesauri sacræque suppellectilis custodem, ut explicat Cangius (*Glossar. Med. & Inf. Latin.* ad hanc vocem.) Quod dignitatis nomen adhuc in Metropolitana hac Ecclesia superest.

est in braida, que fuit de guertio de badaglio (9), quam suzo bagutanus, & Johannes bellus de Arcuri, ac petrus de sologno emerunt a vicimonte cumino, que est pertice duodecim, & tabule octo ad partem religiosorum hominum, qui habitare debebant in illa terra (10); de qua decima predictus martinus presbiter habebat tertiam partem, & prædicti veglones, & rugores & tettavillanus duas partes, unde ipsi rugorus & tettavillanus erant exactores; ita ut amodo in antea ullo umquam in tempore non debeant predicti presbiter martinus & Anricus & Johannes, & otto, seu aliquis ex veglonibus & rugorus atque tettavillanus nec eorum successores agere aut caussare per ullumvis ingenium de predicta decima in toto vel in parte, sed in omni tempore cum suis successoribus & heredibus taciti & contenti exinde esse & permanere debeant; & pro recompensatione prefate decime professi fuerunt prefati martinus presbiter, & Anricus & Johannes ac otto & rugorus atque tettavillanus se accepisse a predicto guilielmo presbitero argenti denarios bonos me-

(9) Habemus hic certissimum appellationis etymon, qua Braidensis domus sæpe in veteribus monumentis designatur: *Brera del Guercio*. Hujus scilicet agri, Braidæ nomine olim dicti, ubi nunc nostrum hocce Braidense Collegium, ejusdemque nominis via, quique olim urbi adjacebat, hujus, inquam, agri dominus Guercius appellabatur. Illum vero Guercium ab Hostiolo fuisse arbitratus fuerat Cl. Julinius; sed deinde charta hac edoctus, quam cum eruditissimo homine communicavi, animadvertit (*Memor. T. IX. pag. 66.*) Guercium hunc ad nobilissimam antiquissimamque Badagiorum familiam, quæ vulgo *da Baggio* dicitur, pertinuisse. Novum itaque ex nostra hac charta præclarissimæ hujus gentis, ex qua & S. Anselmus Lucensis Episcopus, & Alexander II. P. M. prodierunt, decus colligimus; quod scilicet totum hunc Braidensem agrum olim possederit. Hinc etiam ingeniose colligit Julinius (*loco cit.*) portam urbis illam, quæ Braidensibus ædibus proxima est, & a proxima S. Marci æde nomen nunc ducit, quæque olim *pusterla Algisii*, vel *pusterla Braidæ Guercii* dicebatur, ab Algisio de Badagio exstructam fuisse, quod ab eorum domo, ut diximus, non multum distaret.

(10) Ex his potissimum verbis ostendimus Vol. I. Differt. II. Braidensem Humiliatorum domum XII. tantum sæculo exstructam fuisse. V. quæ ibidem fuse in hanc rem disseruimus.

mediolanenses, libras quinque scilicet (11), & prefatus martinus presbiter tertiam partem ipsius pretii, & ceteri omnes duas partes reliquas, quia sic inter eos convenit. Actum in domo suprascripti cimiliarche.

Signum manuum suprascriptorum anrici & Johannis & ottonis veglonum, & rugori atque tettavillani qui hanc cartam finis ut supra fieri rogaverunt.

Signum manuum Beltrammi carnegrasse, & amizonis nigri, & Johannis ferrarii qui dicitur de cagnis testium.

Ibi statim incontinenti in presentia ipsorum testium investivit suprascriptus Guilielmus presbiter, atque cessit ex parte prefati domini Algisii archiepiscopi predicto suzo bagutano ad partem illorum hominum & feminarum, qui & que sunt humiliati per deum ad domum illam, que edificata est super predictam terram, & qui pro tempore fuerint, de ista decima, ita ut de cetero habeant ipsam decimam, & faciant quod voluerint.

† Ego Guilielmus sancti ylarii sacerdos ut supra legitur missus domini Archiepiscopi subscripsi.

† Ego predictus martinus presbiter a me facta subscripsi.

† Ego Algisius cymiliarcha subscripsi.

† Ego Indutiatus qui dicor de Marliano Notarius sacri palatii tradidi & scripsi.

Urbani

(11) Denarii argentei cudebantur olim Mediolani, quorum CCXL. argenti libram conflabant. Itaque quinque libræ MCC., denariis constabant. V. Julin. (*Memor.* *T. I. pag.* 64.)

Urbani III. literæ ad Humiliatos Vicoboldonenses.

1186. 29. Apr. apud Cl. Don Carolum March. Trivultium Mediolan. Patric.

URbanus Episcopus Seruus Servorum Dei dilectis Filiis Huberto Præposito Ecclesiæ Beati Petri de Vico Bolbonis (1) ejusdem fratribus tam præsentibus, quàm futuris Regulari vita professis. Religiosam vitam degentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, Sacræ Religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri (2) sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti privilegio communimus; Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque Successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfata Ecclesia constructa est cum omnibus pertinentiis suis, Terras, quas ad opus vestrum, & eiusdem Ecclesiæ secundum vestram institutionem infra terminos a vobis præfixos rationabiliter emistis, & eas pacifice possidetis, vobis & eidem Ecclesiæ nichilominus confirmamus. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium

(1) Legendum *Vicoboldono*.
(2) De Alexandri III. literis, quæ hic innuuntur, diximus Differt. II. n. XXXII.

vestrorum nullus omnino Laicus a vobis decimas presumat exigere, aut vos exinde perturbare: Quod si ausu temerario presumpserit, & tertio commonitus non resipuerit, excommunicationis ultione plectatur. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum Corpora assumuntur (3). Præterea liceat vobis Clericos, vel Laicos liberos & absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, & in vestra Ecclesia absque contradictione aliqua retinere. Nulli quoque fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit de eodem loco sine licentia Præpositi sui nisi obtentu artioris religionis discedere. Discedentem vero absque communium Litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum, & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra, & illibata serventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis apostolicæ auctoritate, & Diæcesani Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio exi-

(3) Vide infra annotat. ad Monum. an. MCCXXX. 20. Febr. annot. 12.

exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore, ac ſanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

In Circulo : Ad te Domine levavi animam meam. *In monogramate :* Bene valete.

Ego Urbanus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

✠ Ego Henricus Albanenſis Epiſcopus.

✠ Ego Paulus Preneſtinus Epiſcopus (4).

✠ Ego Johannes Præsbiter Cardinalis tit. Sancti marci.

✠ Ego Pandulfus Præsb. Cardin. tit. XII. Apoſtolorum.

✠ Ego Albinus Præsb. Cardin. tit. Sanctæ Crucis in Hieruſalem.

✠ Ego Melior. Præsb. Cardin. Sanctorum Joannis & Pauli tit. Pamachii.

✠ Ego Adelardus tit. Sancti Marcelli Presb. Cardin.

✠ Ego Gratianus Sanctorum Coſmæ & Damiani Diaconus Card.

✠ Ego Bobo Sancti Angeli Diac. Card.

✠ Ego Octavianus Sanctorum Sergii & Bachi Diac. Card.

✠ Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in via lata Diac. Card.

✠ Ego Rollandus Sanctæ Mariæ in Porticu Diac. Card.

✠ Ego Radulfus Sancti Georgii ad velum aureum Diac. Card.

Dat. Veronæ per manus Alberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarii III. Kal. Maij Indictione quarta Incarnationis Dominicæ anno MCLXXXVI. Pontificatus vero Domni Urbani Papæ III. Anno primo.

Charta

(4) Hic deinde an. MCLXXXVIII. Romanus Pontifex renunciatus, Clemens III. appellatus eſt.

Charta emptionis Humiliatorum Braidensium .

1198. 3. Febr. Ex Tabul. Coll. Braid.

IN Nomine Domini . Anno a nativitate domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo nonagesimo octavo tertio die mensis februarii Indictione prima . Venditionem ad libellum ad solitum fictum faciendum fecerunt Romanus , qui dicitur de niguarda , & Arnoldus frater ejus ambo cives mediolanenses , qui professi sunt lege vivere longobardorum (1) , In suzonem (2) prelatum congregationis fratrum de braida quondam guercii de badagio recipientem ad partem & utilitatem predicte congregationis nominative de petia una terre jacente in prefata braida : coheret ei a mane marchisii de niguarda , a meridie accessium (3) , a sero & monte ipsius congregationis ; & est pertica una ; & si plus inveniretur intra ipsas coherentias , in hac permaneat venditione eo tenore ut amodo in antea ipse suzo & ejus successor ad partem ipsius congregationis habere & tenere debeat ipsam terram , & facere exinde cum superiore & inferiore , seu cum fine & accessione sua .... libellarii nomine quidquid voluerit sine contradictione ipsorum Romani & arnoldi fratrum & eorum heredum , solvendo solitum fictum omni anno , & promiserunt & guadiam dede-

(1) Diu hic mos in Italia invaluit , ut alias alii leges sequerentur , prout cuique liberet . Sed Romanam præ ceteris & Gallicam & Langobardorum leges plerique sequebantur . Has postremas omnium primus Rotharis Langobardorum rex digesserat , alii ejusdem gentis Reges emendarant , Carolus M. ejusque successores auxerant . Cum autem ex lege sua judicandus unusquisque esset , consueverant iis chartis , quarum aliquis esse posset in judiciis usus , qua lege viverent , indicare . Itaque Romanus & Arnoldus de Niguarda Langobardorum legem sequi se profitentur . V. hac de re Murator. *Antiquit. Ital. T. II. pag.* 233. &c.

(2) Idem probabiliter ac Suzo ille Bagutanus , quem in charta an. MCLXXVIII. commemoratum vidimus .

(3) Locus scilicet , per quem accessus seu aditus patet . Miror hanc vocem in Cangii Glossario desiderari .

dederunt & omnia ſua bona pignori obligaverunt, ita ut quilibet eorum in ſolidum conveniri poſſit, prefati Romanus & arnoldus una cum eorum heredibus eidem Suzoni & ſuis ſucceſſoribus, & cui dederit, ita quod defendent & guarentabunt ipſam terram ab omni homine omni tempore, ut venditores emptori, uſu & lege, & ſpetialiter ab omni homine omni tempore, cui ab eis foret obligata. Inſuper inveſtiverunt, & in ſuum poſuerunt locum prediƈti Romanus & arnoldus ipſum Suzonem ad partem diƈte congregationis cedendo ei omne jus & aƈtiones, & receptiones eis competentes in prefata terra, ſeu contra aliquem pro ipſa terra, ita ut per omnia in eorum locum ſit ad partem ipſius congregationis. Exinde fuerunt confeſſi prediƈti fratres recepiſſe a prefato Suzone ex parte ſepediƈte congregationis argenti denarios bonos nove monete (4) libras tres pro pretio prediƈte terre, & renuntiavere exceptioni non numerate dateque pecunie, quia ſic inter eos convenit. Aƈtum in prefata civitate.

Signum manuum prediƈtorum Romani & Arnoldi, qui hanc chartam, ut ſupra, fieri rogaverunt.

Signum manuum bonoldi Stevanoni de loco uboldo, & vincentii bronze prediƈte civitatis rogatorum teſtium.

Ego Gulielmus de vultu diƈtus ſacri palatii notarius tradidi & ſcripſi.

Inno-

(4) Terriolorum ſcilicet, de quibus egimus pag. 118. hi enim monetæ novæ nomine appellabantur. Ita in charta an. MCLXII. apud Cl. Julinium (*Mem. T. VI. pag.* 225.) *Argentum denariorum bonorum Mediolanenſium Nove Monete, videlicet de Terciolis.*

Innocentii III. literæ ad Ministros tertii Ordinis Humiliatorum.

Ex Biblioth. Braid. 1201. 7. Jun.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis G. de porta origentali (1), C. Modecieñ. A. Cumañ. N. Papieñ. G. Brixieñ. I. Bergameñ. I. Placeñ. I. Lauden. R. Cremoneñ. aliisque ministris ejusdem ordinis, eorumque fratribus & sororibus salutem & apostolicam benedictionem. Incumbit nobis ex officii debito pastoralis & plantare sacram religionem, & fovere plantatam, & quantum in nobis est universos & singulos in pio proposito confirmare, ne si favore fuerint Apostolico destituti non proficiant, sed deficiant potius, & vel ad vomitum redeant, vel in bono cepto tepescant. Unde cum vestrum nobis fuisset propositum presentatum, illud coram nobis & fratribus nostris perlegi fecimus diligenter, & correctis quibusdam illud in favorem vestrum curavimus approbare, quod ad majorem cautelam de verbo ad verbum presenti pagine duximus inserendum. Proposuistis humilitatem cordis, & mansuetudinem in moribus adjuvante domino custodire; unde dominus in Evangelio: discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: Obedientiam quoque prelatis ecclesie servare: unde Apostolus: obedite prepositis vestris & subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Non est enim vera humilitas, quam comes obe-

(1) Guido de porta Orientali hic designatur, de quo egimus Vol. I. Differt. II. & VI. Aliis autem literis aliarum domorum Ministri indicantur. Videmus autem jam ab an. MCCI. tertium Humiliatorum ordinem longe lateque diffusum fuisse.

obedientia deserit. Paciencia quoque in adversis valde necessaria est equanimiter tolerando mala ab aliis sibi illata: unde dominus in evangelio: dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis percussit te in dextram maxille prebe ei & sinistram; & si quis angariaverit te mille passus vade cum eo & alia duo; & si quis voluerit tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei palleum, & item Apostolus: non vos defendentes carissimi, sed date locum ire; scriptum est enim: mihi vindictam, & ego retribuam, dicit dominus: idem quoque dixit: jam omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis inter vos: quare non magis injuriam accepistis: quare non magis fraudem patimini; & item dominus in evangelio: in patientia vestra possidebitis animas vestras: item dimittite, dimittetur vobis: Adjungendus etiam fervor caritatis, que continetur in duobus preceptis, in dilectione scilicet Dei & proximi, sicut scriptum est. Diliges Dominum Deum tuum estoto corde tuo, & estota anima tua, & estota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum sicut te ipsum. Ad inimicos etiam ostendenda caritas, dicente domino: benefacite his qui vos oderunt, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri, qui in celis est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos: & Apostolus: si esurierit inimicus tuus ciba illum, & si sitierit potum da illi. Insuper ante omnia fratres nolite jurare neque per celum, neque per terram, neque per aliud quodcumque juramentum (2). Sit autem ser-

(1) Inutilis forte videri posset tota hæc Innocentii de jurejurando dissertatio, quam etiam in duabus sequentibus ejusdem literis ad verbum repetitam videbimus. Sed hoc scilicet docendi erant Humiliati, quibusnam de caussis jurare fas esset. Inter cetera enim, quæ illis objecta fuerant, hoc erat, ut ait Joannes Braidensis in Chronico, *quia fratres primi, secundi, & tertii membri communiter timebant, seu nolebant jurare in causa.*

ſermo veſter: eſt, eſt, non, non, ut non in judicium incidatis, ſicut ait Beatus Jacobus Apoſtolus. Ad preſtandum igitur juramentum non vos indiſcretus vel ſpontaneus voluntatis affectus inducat; ſed ſi quando fuerit faciendum ingens & urgens neceſſitatis articulus vos compellat. Indiſcretam enim & ſpontaneam jurationem tam Chriſtus in Evangelio, quam Jacobus prohibet in epiſtola dicens: dictum eſt antiquis non perjurabis; reddes autem domino juramenta tua; ego autem dico vobis non jurare omnino neque per celum, quia thronus Dei eſt, neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus, neque per Jeroſolimam, quia civitas eſt magni regis, neque per caput tuum, quia non potes facere unum capillum album vel nigrum. Item: ante omnia fratres mei nolite jurare neque per celum, neque per terram, neque per aliud quodcumque juramentum. Cum dicit, nolite jurare, prohibet jurationem ſpontaneam, quia videlicet non eſt voluntate, ſed neceſſitate jurandum. Cum addit, neque per celum, neque per terram, jurationem prohibet indiſcretam, quia videlicet non eſt jurandum per creaturam, ſed magis per creatorem. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non; ideſt quod affirmando vel negando profertis ex ore, geratis in corde. Non enim ad ſimplicem affirmationem vel negationem id pertinet, ſed potius ad veracem, cum Chriſtus ſecundum Joannem frequenter dicat in Evangelio: amen amen dico vobis. Quod autem his abundantius eſt, a malo eſt, non tam culpe quam pene, nec tam juramentum preſtantis quam exigentis; quod utique de quadam incredulitatis infirmitate procedit quod ſemper ſpectat ad penam etſi non ſemper ad culpam. Quod autem exigente neceſſitatis articulo licite poſſit jurari docet apoſtolus dicens: homines per majorem ſui jurant & omnis controverſie ipſorum finis ad confirmationem eſt juramentum. Angelus quoque, quem Joannes vidit in apocalipſi ſtantem ſupra mare & ſupra terram, levavit manum ſuam ad celum & juravit per viventem in ſecula ſecu-

seculorum. Jeremias etiam prophetans de iis, qui tempore gratie futuri erant testatur: & jurabunt, vivit Dominus, in veritate & in judicio & justitia & benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. Nam & Paulus legitur frequenter jurasse. Testis, inquit est mihi Deus & per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu. Postremo sicut Dominus dicit. Omnia quecumque vultis, ut faciant vobis homines vos facite illis similiter: Contendite intrare per angustam portam; quia arcta via est, & angusta porta que ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam; lata contra & spaciosa via, que ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: agite itaque penitentiam, & nolite peccare; cum omnibus hominibus pacem habete; usuras & omnia male ablata reddite; non enim remittitur peccatum nisi restituatur ablatum; & de injuriis aliis factis satisfacite. Unde Dominus in Evangelio: si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. Decimas quoque nolite possidere, quoniam eas laicis possidere nullatenus licet: unde Gregorius septimus: Decimas quas in usum pietatis concessas esse Canonica auctoritas demonstrarat, a laicis possideri apostolica auctoritate prohibemus: sive enim ab episcopis, vel regibus, vel quibuslibet personis acceperint, nisi Ecclesie reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere & eterne damnationis periculum incurrere. Decimas igitur & primicias Clericis, ad quos pertinent, distribuendas, canonice secundum dispositionem diocesani Episcopi persolvetis. Nam quod decimas oporteat dare Dominus ostendit in Evangelio: Ve vobis Scribe & Farisei hypocrite, qui decimatis mentam, & anetum, & omne olus, & relinquitis que graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem: hoc enim oportuit facere, & illa non omittere. De his autem fructibus & proventibus, qui remanent apud vos elee-

mosynas debetis facere ; ac totum quod a vestris justis ac necessariis sumptibus superabundavit pauperibus erogate ; ita scilicet, ut apostolus dicit, non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio. Unde etiam Dominus in Evangelio : verumtamen, quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Item : nolite tesaurizare vobis tesauros in terra, ubi erugo & tinea demolitur, & fures effodiunt & furantur : tesaurizate autem vobis tesauros in celis, ubi neque erugo, neque tinea demolitur & ubi fures non effodiunt nec furantur. Nolite autem, fratres, diligere mundum, neque ea que sunt in mundo, quia si quis diligit mundum non est caritas patris in eo, quoniam omne quod in mundo est concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum est & superbia vite ; quod non est ex patre sed ex mundo est ; & mundus transibit, & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei manet in eternum, sicut testatur Joannes Apostolus. Hoc idem testatur Jacobus Apostolus dicens : Adulteri, nescitis, quod amicitia hujus mundi, inimica, est Deo? Quicumque ergo voluerit esse amicus hujus seculi, inimicus Dei constituitur. Iis autem qui matrimonio juncti sunt precepit Dominus suam uxorem non dimittere excepta causa fornicationis; sed sicut Apostolus dicit : Uxori vir debitum reddat, similiter uxor viro, nisi forte de consensu abstinuerint. Unusquisque vero nisi infirmitate vel debilitate, vel labore impeditus fuerit, quarta & sexta feria jejunet, exceptis diebus Pentecostes & Natalis Domini usque ad epiphaniam, & aliis solemnibus diebus. In illis vero diebus, in quibus non jejunat, prandio & cena sit contentus ; & cibus & potus sit parcus & temperatus, unde Dominus in evangelio : Attendite ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & in curis hujus vite. Quando venitis ad comedendum, antequam comedatis dicite Orationem Dominicam, & post comestionem similiter. Septem autem horas Canonicas observare debetis, scilicet Matutinum, primam, tertiam, sextam, no-

nam,

nam, vesperas ut completorium, ut secundum profetam septies in die laudem dicatis Domino. Singulis vero horis orationem Dominicam septies dicetis propter septem dona S. Spiritus: symbolum vero, ideſt Credo in Deum, dicetis ad primam & completorium (3). Veſtimenta vero nec nimium nitida, nec plurimum debent esse abjecta, sed talia in quibus nihil irreligiosum possit notari, quia nec affectate sordes, nec exquisite munditie conveniunt christiano. Sciatis autem, quod vestri moris exiſtit, si quis de vestra societate rebus temporalibus indiguerit, aut forte infirmitate detentus fuerit, tam in rebus temporalibus quam in custodia necessaria ei subvenire. Si vero aliquis vestrorum mortuus fuerit, fratribus nuncietur; & unusquisque ad ejus exequias veniat, & duodecies dominicam orationem, & miserere mei Deus pro anima ejus dicere debeat, quatenus in ordine & proposito permanere, & perseverare intenditis & disponitis Domino adjuvante. Ut autem propositum vestrum orationibus fratrum fulciatur, unusquisque vestrum per singulos dies pater noster dicere debet ter pro vivis, & ter pro defunctis hujus vestre fraternitatis, semel autem pro pace Ecclesie & totius populi christiani. Vestri quoque de cetero moris erit, singulis diebus domi-

(3) Illud hoc loco animadvertendum, Orationem quidem Dominicam, ac Symbolum Apostolorum tertii Ordinis Humiliatis præscribi; sed nullam Angelicæ Salutationis mentionem fieri; quod etiam de Canonicis Claustralium Humiliatorum horis dicendum est, quarum initio numquam illa indicitur. Enimvero vix circa sæculum XVI. cœpisse illam vulgo in Canonicis horis usurpari observat Mabillonius (*Præfat. in Sæc V. Actor. SS. Ord. S. Bened. num. CXIX. &c.*) quamvis apud Monachos nonnullos mos hic jamdiu receptus esset, ut ostendit Cl. P. Trombelli Differt. de Deip. T. V. pag. 196. Privatum vero ejusdem usum, quod ad primam Salutationis partem pertinet, antiquissimum esse, nemo dubitat, cum pleraque sint Angeli ipsius Mariam alloquentis verba. Alteram vero partem *Sancta Maria* &c. nonnisi post sæculi XVI. initia additam fuisse, Mabillonius idem ostendit. Similes tamen preces antiquius adhibitas fuisse evincit memoratus Trombelli ib. pag. 249.

minicis ad audiendum Dei verbum in loco idoneo convenire, ubi aliquis vel aliqui fratrum probate fidei & experte religionis, qui potentes sint in opere ac sermone, licentia diocesani episcopi verbum exhortationis proponent hiis qui convenerint ad audiendum verbum Dei, monentes & inducentes eos ad mores honestos & opera pietatis, ita quod de articulis fidei & sacramentis ecclesie non loquantur. Prohibemus autem ne quis episcopus contra prescriptam formam impediat hujusmodi fratres verbum exhortationis proponere, cum secundum apostolum non sit spiritus extinguendus. Vos ergo, dilecti in domino filii, vivendi formam, quam nos diligenter examinare, prudenter corrigere, ac salubriter approbare curavimus de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta servetis, ut ab eo qui meritorum est retributor & cordium perscrutator mercedem mereamini recipere sempiternam. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei, & beatorum petri & pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateran. VII. Idus Junii, Pontificatus nostri anno quarto.

Ego Ardricus Lamedaneus imperialis notarius autenticum hujus exempli bolle Domini Innocentii Pape tertii munitum, vidi & legi, & sic in eo continebatur, ut & in hoc legitur exemplo preter literam plusminusve, & in hoc exemplo subscripsi.

Ego Bertramus notarius sacri palacii autenticum hujus exempli bolle Domini Innocentii pape tertii munitum vidi, & legi, & sic in eo continebatur ut & in hoc legitur exemplo preter literam plusminusve, & in hoc exemplo subscripsi.

Ego Montenarius Joffredus imperialis notarius autenticum hujus exempli bolle Domini Innocentii pape tertii munitum vidi, & legi, & sic in eo continebatur ut & in hoc legitur exemplo preter literam plusminusve, & in hoc exemplo subscripsi.

Privi-

Privilegium qualiter ordo humiliatorum licite potest habere proprium in communi, & de confirmatione regule, & de juramento non prestando directo prelatis ordinis cum certis gratiis.

Ex Biblioth. Braid. 1201. 12. Jun.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis de Braida, Domo nova Mediolanen. (1), Modoecien., Marlanen. (2), de vico Zerbeten. (3). Domo nova Papien., Bergamen., & Brixien. aliisque prelatis ejusdem ordinis & eorum fratribus & sororibus salutem & apostolicam benedictionem. Diligentiam pii patris & pastoris veri sollicitudinem in Evangelio Dominus nobis ipse commendat, ad primum parabolam de filio prodigo, & a patre post reditum tam anulo, quam stola prima donato, ad secundum de centesima ove perdita & reducta & dragma reperta, tam ad nostram quam omnium fidelium instructionem inducens. Unde tenetur quilibet prelatorum, & presertim apostolice sedis antistes, cui principaliter sunt oves Christi commisse non solum catholicos, qui in ecclesiastica unitate consistunt, sed ab aliquibus in quibusdam creduntur non plene sequi semitam veritatis, correctis hiis in quibus exorbitare videntur, in pio proposito confovere, sed errantes etiam revocare, quia Dominus non justos sed peccatores ad penitentiam se asserit evocasse. Debet enim ea que scandalum in

(1) Hæc alio nomine Domus S. Joannis Evangelistæ appellabatur, ubi nunc Nobilium Collegium.

(2) Marlianum Mediolanensis ditionis oppidum indicatur, ubi Humiliatorum non unicam domum fuisse vidimus Vol. I. pag. 317.

(3) De Novocomensi domo, quæ de Vico dicebatur sermo fuit hoc ipso Vol. pag. 23. Illud autem *Zerbeten.* an domum aliam significet, an sit alia ejusdem domus appellatio, ignoro.

in Ecclesia pariunt, apostolice correctionis moderamine resecare, & quod superstitiosum visum fuerat, ecclesiastice districtionis lima polire, ut resecatis superfluis prodeant in lucem obscura, & certa fiant que dubia videbantur. Inde est, quod cum ad sopiendum vel sepeliendum potius scandalum, quod contra vos fuerat suscitatum non paucis credentibus, vos constitutiones Ecclesiasticas non servare, ad nostram presentiam certos nuntios misissetis, mandatis vos apostolicis exponentes, nos proposita vestra de consilio venerabilis fratris nostris (*l. nostri*) Vercellensis Episcopi, & dilecti filii Locediensis, & bone memorie de Cerreto Abbatum (4) mandavimus in unum regulare propositum conformari. Cumque ipsi presentatam sibi a vobis vite vestre formulam & regulam, quam proponitis profiteri, examinassent diligentius, & in aliquibus correxissent, nos eam tandem per dilectos filios tituto S. Marcelli presbiterum, & G. SS. Cosmæ & Damiani Diaconum Cardinalem, & fratrem Rainerium (5) examinari fecimus, & tandem correximus per nos ipsos, & correctam curavimus approbare, cujus exemplar ad majorem cautelam apud sedem apostolicam reservamus. Eapropter dilecti in Domino filii vestris precibus annuentes, vos & loca vestra sub beati petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidem statuentes, ut in locis vestris, in quibus ad obsequium Dei communiter vivitis, institutio regularis secundum approbationem apostolice sedis inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona domus vestre impresentiarum rationabiliter possident, vel in futurum justis modis prestante domino poterunt adipisci, firma vobis & illibata permaneant. Sane de prediis & aliis possessionibus quas habetis vel estis imposterum habituri, Ecclesiis, ad quas pertinent, decimas per-

(4) Vide quæ ad sequentes Innocentii literas adnotabimus.

(5) Hoc etiam loco easdem annotationes consule.

persolvetis. De artificiis autem, que propriis manibus exercetis, ortorum fructibus, & vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere presumat, ut ex iis largiores oblationes Ecclesiis, & uberiores eleemosynas indigentibus impendatis. Ad prestandum vero juramentum non vos indiscretus vel spontaneus voluntatis affectus inducat; sed si quando fuerit faciendum ingens & urgens necessitatis articulus vos compellat. Indiscretam enim & spontaneam jurationem tam Christus in Evangelio, quam Jacobus prohibet in epistola, dicens: Dictum est antiquis: non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua: ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per celum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis, neque per caput tuum, quia non potes facere unum capillum album vel nigrum. Item: ante omnia, fratres mei, nolite jurare neque per celum, neque per terram, neque per aliud quodcumque juramentum. Cum dicit, nolite jurare, proibet jurationem spontaneam, quia videlicet non est voluntate, sed necessitate jurandum: cum addit, neque per celum, neque per terram, jurationem prohibet indiscretam, quia videlicet non est jurandum per creaturam, sed magis per creatorem. Sit autem sermo vester, est, est, non, non; idest quod affirmando vel negando profertis ex ore, geratis in corde. Non enim ad simplicem affirmationem vel negationem id pertinet, sed potius ad veracem; cum Christus secundum Joannem frequenter dicat in Evangelio: amen amen dico vobis. Quod autem hiis abundantius est, a malo est, non tam culpe quam pene, nec tam juramentum prestantis quam exigentis, quod utique de quadam incredulitatis infirmitate procedit, quod semper spectat ad penam, etsi non semper ad culpam. Quod autem exigente necessitatis articulo licite possit jurari docet apostolus dicens: homines per majorem sui jurant, & omnis controversie ipsorum finis ad confir-

mationem est juramentum. Angelus quoque, quem Joannes vidit in Apocalipsi stantem supra mare & supra terram, levavit manum suam ad celum, & juravit per viventem in secula seculorum. Jeremias etiam prophetans de iis, qui tempore gratie futuri erant, testatur: & jurabunt, vivit Dominus, in veritate & in judicio & justitia, & benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. Nam & paulus legitur frequenter jurasse: testis, inquit, est mihi Deus; &, per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu. Vos ergo, dilecti in Domino filii, vivendi formam, quam nos diligenter examinare, prudenter corrigere, ac salubriter approbare curavimus, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta servetis, ut ab eo, qui meritorum est retributor, & cordium perscrutator, mercedem mereamini recipere sempiternam. Nos autem paci & tranquillitati vestre paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras domorum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis & approbationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum petri & pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateran. II. Idus Junii Pontificatus nostri anno quarto.

Innocentii III. literæ ad Præpositos primi Ordinis.

Ex Codice Puricell. 1201. 16. Jun.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Jacobo de Rondenario, Lafranco de Vicoboldono, Tancredo de Mealono (*ita*) (1) & Lafranco de Laude, aliisque præpositis ejusdem ordinis, eorumque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Non omni spiritui credere, sed probare si ex Deo sunt spiritus, Apostolica nos docet auctoritas, cum Angelus Satanæ in Angelum lucis se sæpius transfiguret, & multi veniant ad nos in vestimentis ovium, qui intrinsecus sunt lupi rapaces, secundum Evangelicam veritatem. Unde tanto est consultius, & maturius procedendum, cum agnos separamus ab hædis, immo cum oves, quæ sine pastore videbantur errare, reducimus ad ovile, vel verius de ovili Christi esse testamur, quanto frequentius specie recti decipimur, & vitium sæpe falso veritatis pallio fibulatur. Debet igitur usque adeo subtiliter pensare singula discretio judicantis & quantum judicium permittit humanum, res etiam perscrutari latentes, ne vel justos damnet, vel nocentes absolvat, neve dicat bonum malum, vel malum bonum, ponens tenebras lucem, aut lucem tenebras, medentium tenens formam, qui prudenter manus moderantur officium, ne dum pars corrupta vel cauterio uritur, vel aliter amputatur, cum ea trahatur vel lædatur etiam pars sincera. Quapropter cum olim dilectos filios Jacobum de Rondenario, & Lafrancum de Laude præpositos ad nostram præsentiam misissetis, mandatis vos Apostolicis exponentes, parati correctionem & approbationem nostram devote recipere, receptamque

 in-

(1) Legendum *de Vigalono*, de qua Papiensi domo sermo fuit Differt. VII. P. II. num. II.

inviolabiliter observare, quantumcumque nobis gaudium hujusmodi devotionis attulisset affectus, ad abolendam tamen suspicionis materiam a cordibus infirmorum, & scandalum extinguendum, quod contra vos fuerat obortum, vobis dedimus in mandatis ut de consilio venerabilis fratris nostri A. Vercellensis Episcopi (2), & dilectorum filiorum P. Locediensis (3), & bonæ memoriæ de Cerreto (4) Abbatum, quibus etiam super his scripsimus, proposita vestra conformaretis in unum propositum regulare; vos autem receptis literis nostris, eisdem Vercellensi Episcopo, & Abbati Lucediensi, cum tertius viam esset universæ carnis ingressus, vitæ vestræ formulam, & vivendi regulam præsentastis, quam & ipsi correxerunt in aliquibus, & nobis tandem sub eorum & vestris sigillis exhibitam, per dilectos filios P. tit. S. Marcelli presbiterum (5), & G. SS. Cosmæ & Damiani Diaconum Cardinales (6), & F. Rainerium (7) examinari fecimus diligenter,

(2) Albertus Vercellensis Episcopus designatur, celeberrimus ea ætate vir. De eo plura Ughellius *T. IV. Ital. Sacr. in Episcop. Vercell.* Itaque ceteris ejusdem laudibus hæc etiam addenda, quod ad Humiliatorum leges perpendendas ab Innocentio delectus fuerit.

(3) Petrus Locediensis Cisterciensium Coenobii in agro Vercellensi Abbas indicatur; cujus res gestas diligenter præ ceteris illustravit Cl. Joannes Andreas Iricus in *Dissertatione de S. Oglerio num. X.*, qui hoc ipsum commemorat, fuisse illum scilicet ab Innocentio delectum, ut de Humiliatorum legibus cognosceret.

(4) Cerretense Cisterciensium Monasterium ad Laudensem agrum pertinet. Nonnulles illius Abbates commemorant Ughellius & P. Zaccharia in Episcopis Laudensibus. Sed illorum nullus huic ætati congruit. Itaque quis tandem hic designetur ignoro.

(5) Petrus Capuanus tit. S. Marcelli Presbiter Cardin. obitis præsertim legationibus clarissimus hic indicatur, de quo plura Ciaconius in Cœlestino III.

(6) Gratianus Pisanus tit. SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardin. designatur, jam ab Alexandro III. Romana purpura ornatus. Illius elogium habes apud Ciaconium in Alexandro III. Errat tamen Cl. auctor, cum Cardinales Innocentio III. Pontifice e vivis ereptos enumerans, Gratianum *initio Pontificatus* obiisse scribit. Ex his enim Innocentii literis, in quibus ut vivens nominatur, quibusque ipse subscripsit, colligimus saltem ad quartum usque Innocentii annum illum vixisse.

(7) Non alium hic Rainerium designari arbitror, quam Cisterciensem illum, cu-

ter, & examinatam per nos ipsos de fratrum nostrorum consilio in aliquibus corrigentes, duximus approbandam, cujus exemplar ad majorem tutelam apud Sedem Apostolicam fecimus reservari. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris precibus annuentes Ecclesias & personas vestras sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidem statuentes, ut in vestris Ecclesiis Ordo Canonicus secundum Deum & institutionem vestram per sedem Apostolicam approbatam perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona, domus vestræ in præsentiarum juste & canonice possident, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterunt adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata remaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis loca ipsa in quibus vestræ domus fundatæ sunt, cum omnibus pertinentiis earumdem, clausuram in Zerbeto, & molendinum ibidem positum; possessiones, sedimina, & molendina, in territoriis Pacede finis, & Morinaschi; Ecclesiam, sedimina, & possessiones alias in Ronchamartano, & in valle Bissaria, cum omnibus rerum supradictarum pertinentiis, quæ omnes ad domum de Rondenario pertinere dicuntur; possessiones & sedimina, cum eorum pertinentiis, quæ domus de vicoboldono habet in loco, qui dicitur ad montem. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de fructibus hortorum

jus in Innocentii III. epistolis frequens est mentio. Illum enim cum Guidone ejusdem cœtus monacho an. 1198. Fidei Quæsitorem in Gallias contra Valdenses missum ab Innocentio videmus, tum paullo post in Hispanias legatum, ut Alfonsi Legionensis Regis cum Berengaria Alfonsi Castellæ Regis ejusque patruelis nuptias initas dissolveret, atque a Lusitaniæ Rege certum Apostolicæ Sedi vectigal solvendum curaret. V. *Innocentii III. Epist. Lib. I. Ep.* 92. 94. 99. 165. & Fleury *Histor. Eccles. T. XVI. pag.* 21. &c.

rum aliarumque possessionum, quæ sunt infra clausuras ecclesiarum vestrarum, seu de nutrimentis animalium, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat (8), sed vos potius decimas, quæ a laicis in feudum perpetuum possidentur, ab ipsis cum Episcopi Diœcesani consensu redimere de concessione nostra præsentis privilegii auctoritate possitis, redemptas pacifice possidere. Ad hæc præpositis vestris præsentium auctoritate concedimus, ut laicos litteratos, qui apud eos habitum susceperint regularem, in Clericos valeant tonsurare, dum tamen fuerint ipsi præpositi sacerdotes (9). Liceat quoque vobis Clericos & Laicos liberos & absolutos, a sæculo fugientes, ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum & sororum vestrarum post factam in locis vestris professionem, fas sit de eisdem locis, sine licentia præpositi sui, nisi arctioris religionis obtentu, discedere. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Ecclesias autem, si quæ Religionis vestræ formam recipere forte voluerint, nisi arctioris vitæ vel Religionis existant, recipere vobis sit licitum, & in propriis fundis vestris Ecclesias ædificare de novo, ita quod aliis non præjudicetur Ecclesiis, & Episcopi Diœcesani vobis super iis consensus accedat. Venditiones vero, commutationes, investituras, & impignorationes possessionum vestrarum, quæ de consilio capituli vestri, vel majoris, & sa-

(8) Vides hic discrimen inter alterius, primique Ordinis Humiliatos. Illos, ut vidimus, quod Laici essent quamvis Claustrales, jubet Pontifex decimas persolvere: *de prediis & aliis possessionibus . . . decimas persolvetis*. Hos vero, quod sacris Ordinibus initiati essent, ac Monasticam omnino vitam profiterentur, a decimis persolvendis immunes statuit.

(9) Animadvertit Mabillonius *Præfat. ad Sæc. III. Actor. SS. Ord. S. Benedinum. XIX.* clericalem tonsuram ad decimum usque sæculum non solum ab Episcopis, sed etiam a Monasteriorum Præfectis atque a Presbiteris collatam fuisse. Ex his vero Innocentii literis Humiliatorum Præpositis hoc ipsum sub XIII. sæculi initia concessum videmus; quo jure diu probabiliter usi illi sunt.

sanioris partis ipsius, licite factæ fuerint, ratas haberi volumus, & inviolabiliter observari. Præsentis quoque privilegii pagina tam præpositis vestris, quam presbiteris indulgemus, ut cum Diaconibus, & Subdiaconibus, secundum consuetudinem Mortariensis Ecclesiæ, licite possint Missarum solemnia celebrare (10). Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, præsentibus etiam fratribus secundi Ordinis, divina officia celebrare. Chrisma vero, Oleum Sanctum, consecrationem altarium, seu basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad Sacros Ordines fuerint promovendi, a Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis gratis, & sine pravitate aliqua voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis Catholicum adire antistitem gratiam & communionem Apostolicæ sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat. Statuimus insuper, ut quatuor sint in ordine vestro præpositi principales, de Rondenario, de Vicoboldono, de Vigalono videlicet

& de

(10) Diu me hæc loquendi ratio suspensum tenuit, neque enim videbam, quinam essent peculiares hi Mortariensis Ecclesiæ ritus, quos Humiliati sequi deberent. Sed quid sibi velint Innocentii verba, videor mihi assequutus. Monachis quondam Sacra solemni ritu peragere non licuisse ostendit Joseph Vicecomes *Observat. Eccles. Vol. III. Lib. II. Cap. XXV.*, quod fusius etiam probat Cangius *Glossar. Med. & Inf. Latin. T. IV. col. 778. &c. edit. Ven.* Iraque peculiari Romani Pontificis facultate ad solemnem Sacrorum celebrationem opus erat. Mortariæ porro, quod Novariensis agri est oppidum, antiquissimum est Lateranensium Canonicorum Monasterium, quod sæpe a Pennotto *Histor. Canonic. Regul. Lib. II. Cap. XLVI.*, & Julinio *Memor. di Mil. T. IV. pag. 339. T. V. pag. 70. 410.* &c. commemoratur. Non autem a verosimili abhorret Regularibus hisce Canonicis fuisse olim a Romanis Pontificibus concessum, ut publico solemnique ritu Sacris vacarent. Hinc cum eodem jure Humiliatos ornaret Pontifex, Mortariensis Ecclesiæ, Canonicorum scilicet Regularium, exemplum protulit. Profecto non video, quo alio sensu possint allata verba explicari.

& de Laude, quorum ſingulis annis ſinguli ſucceſſive, uno videlicet anno unus, ſecundo ſecundus, tertio tertius, quarto quartus univerſis domibus veſtræ profeſſionis officium viſitationis impendant, & quæ ſtatuenda vel corrigenda repererint, ſtatuant & emendent, ſecundum Deum & veſtri ordinis inſtituta per ſedem Apoſtolicam approbata, diſpoſitiones & poteſtatem ſuper minores præpoſitos obtinentes, ſicut in Ciſtertienſi Ordine Patres Abbates in minoribus conſueverunt Abbatibus obtinere (11). Ipſi quoque cum quatuor de prælatis ſecundi Ordinis, & totidem tertii ſingulis annis ad minus Capitulum convocent generale, in quo ea quæ ad reformationem, ſtatum, & profectum Religionis veſtræ pertinent, ſine contentione qualibet, ſalubriter, & utiliter ſtudeant pertractare, de temporalibus Clerici & Laici pariter, de ſpiritualibus vero, quibus Laici intereſſe non debent, tantum Clerici diſponentes. Quod ſi aliquis ex quatuor majoribus præpoſitis aliquid forte commiſerit, per quod ab adminiſtratione ſit merito removendus, a tribus reliquis deponatur. Obeunte vero, vel regulariter amoto præpoſito alicujus eccleſiarum veſtrarum, nullus illi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, ſed de communi fratrum conſilio unus fratrum quaſi arbiter aſſumatur, qui tres ex fratribus duos videlicet clericos, & alium fratrem probatæ vitæ & religionis expertæ nominet electores, qui triduano tam ſibi quam toto Collegio indicto jejunio, & ab omni congregatione peracto, fratrum & ſororum voluntates inquirant, & eum in quem univerſi conſenſus, vel majoris partis conſilii & ſanioris, ſecundum arbitrium eorumdem, vota convenerint, dum tamen ſit Clericus, in præpoſitum ſibi eligant & prælatum; electus vero a tribus reli-

(11) Mirum non eſt Ciſtercienſium exemplum afferri. Vidimus enim Ciſtercienſes tres Monachos, Lucedienſem ſcilicet ac Cerretenſem Abbates, ac Rainerium Humiliatorum leges, Innocentio jubente, expendiſſe.

reliquis, si de majoribus fuerit (si de minoribus a quatuor superioribus) approbetur a Diœcesano Episcopo confirmandus, ut ab eo curam recipiat animarum. Inhibemus autem, ne Diœcesanus ejusmodi ei, qui sic electus & approbatus fuerit, confirmationis beneficium malitiose audeat denegare. Ceterum ad præstandum juramentum non vos indiscretus vel spontaneus voluntatis affectus inducat; sed si quando fuerit faciendum ingens & urgens necessitatis articulus vos compellat. Indiscretam enim & spontaneam jurationem tam Christus in Evangelio, quam Jacobus prohibet in epistola dicens: Dictum est antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua; ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cælum quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis; neque per caput tuum, quia non potes facere unum capillum album vel nigrum. Item ante omnia, fratres mei, nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Cum dicit; nolite jurare, prohibet jurationem spontaneam; quia videlicet non est voluntate, sed necessitate jurandum. Cum addit: neque per cœlum neque per terram, jurationem prohibet indiscretam, quia videlicet non est jurandum per creaturam, sed magis per creatorem. Sit autem sermo vester: est, est; non, non; idest quod affirmando vel negando profertis ex ore, geratis in corde. Non enim ad simplicem affirmationem vel negationem id pertinet, sed potius ad veracem, cum Christus secundum Joannem frequenter dicat in Evangelio: amen amen dico vobis. Quod autem his abundantius est, a malo est, non tam culpæ quam pœnæ, nec tam juramentum præstantis quam exigentis. Quod utique de quadam incredulitatis infirmitate procedit, quod semper spectat ad pœnam, etsi non semper ad culpam. Quod autem exigente necessitatis articulo licite possit jurari, docet Apostolus dicens: homines per majorem sui jurant,

& omnis controversiæ ipsorum finis ad confirmationem est juramentum. Angelus quoque, quem Joannes vidit in Apocalypsi stantem supra mare & supra terram, levavit manum suam ad cælum, & juravit per viventem in sæcula sæculorum. Jeremias etiam prophetans de iis, qui tempore gratiæ futuri erant, testatur: Et jurabunt, vivit Dominus, in veritate & in judicio, & justitia, & benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. Nam & Paulus legitur frequenter jurasse: Testis, inquit, est mihi Deus; & per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra ambitus locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem tenere, capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decrevimus ergo ut nulli omnino hominum liceat Ecclesias vestras temere perturbare, aut earum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diæcesanorum Episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a Corpore sacratissimo & Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eisdem Ecclesiis sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

In

In Circulo: Fac me Domine, ſignum in bonum.

† Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

† Ego Joannes Albanenſis Epiſcopus SS.

† Ego Pandus (12) Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis SS.

† Ego Petrus tit. S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis SS.

† Ego Jordanus S. Pudentianæ tit. Paſtoris Presbyter Cardinalis SS.

† Ego Hugutio Presbyter Cardinalis S. Martini tit. Equitis SS.

† Ego Centius (13) tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis SS.

† Ego Gotefredus tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis SS. (14)

(12) Legendum *Pandulphus*, cujus Cardinalis elogium habes apud Ciaconum in Lucio III.

(13) Legendum *Cynthius* de quo V. Ciacon. in Cœleſtino III.

(14) Non levis hic Ciaconiani operis error emendandus occurrit. Ibi enim primo inter Cardinales a Lucio III. an. MCLXXXII. renunciatos Soffredum, ſeu Gualfredum de Cajetanis Piſanum auctor recenſet, eumque Diaconum primo Cardinalem tit. S. Mariæ in Via lata, tum Presbiterum tit. S. Priſcæ nuncupatum dicit; addit in Gallia primum, tum in Syria Legatione functum illum fuiſſe; eumdem ad Ravennates infulas a Clero illo vocatum, ſed ab Innocentio III. negatum, quod Eccleſiæ illum univerſæ neceſſarium diceret. Addit Patriarchatum Hieroſolomitanum etiam collatum illi fuiſſe, ſed numquam adduci eum potuiſſe, ut munus illud ſuſciperet: obiiſſe denique an. MCCXI. Hunc ipſum inter Cardinales recenſet, qui in vivis erant, cum Innocentius III. Romanus Pontifex renunciaretur, ſed hoc loco non S. Priſcæ, ſed S. Praxedis Cardinalem illum vocat. Enimvero eodem loco Joannem de S. Paullô Presb. Cardin. S. Priſcæ nominat, ut evidens ſit Soffredum. S. Praxedis revera, non S. Priſcæ titulo diſtinctum fuiſſe. At deinde cum Cardinales enumerat, quos ab Innocentio III. juſſos, ſed quo tempore incertum, dicit, inter illos Goffredum ſeu Siffridum Presbiterum Cardinalem tit. S. Praxedis appellat; huncque ipſum & in Syriam Legatum, & Patriarcham Hieroſol. electum narrat, atque hanc dignitatem ab illo rejectam; eaque de cauſſa Syria illum exceſſiſſe; id vero graviter tuliſſe Innocentium, ac Goffredo mandaſſe, ut in Provinciam illam ocius rediret; eumque, cum Pontifici obtemperaſſet, ibidem obiiſſe. Erraſſe hic porro Ciaconium, & Goffredos ſeu Soffredos duos perperam induxiſſe, ipſa rerum ſeries

† Ego Bernardus S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis tit. Eudoye SS. (15)

† Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis SS. (16)

† Ego Gerardus S. Adriani Diaconus Cardinalis SS.

† Ego Gregorius S. M. in Porticu Diaconus Cardinalis SS.

† Ego Gregorius S. Georgii Diaconus Cardinalis SS.

† Ego Gregorius S. Angeli Diaconus Cardinalis SS.

† Ego Hugo S. Eustachii Diaconus Cardinalis SS. (17)

† Ego Matthæus S. Theodori Diaconus Cardinalis SS.

Datum Laterani per manum Blasii S. R. E. Subdiaconi & Notarii XVI. Cal. Julii (18) Indictione IV. Incarn. Dominicæ MCCI. Pontificatus Domini Innocentii Papæ tertii anno quarto.

Phi-

suadet. Nam & Ecclesiæ idem est titulus, eædemque fere res gestæ. Atque hinc sane effectum est, ut alterius Goffredi ætatem statuere haud posset, cum idem cum priore esset, nec ab Innocentio sed a Lucio Romana purpura ornatus. Idem itaque est Siffredus, Soffredus, Goffredus, Gualfredus, aut, ut in his literis scribitur, Gotefredus, primo S Mariæ in via lata, tum non S. Priscæ, sed S Praxedis tit. Cardin. Enimvero hoc titulo designatur ille in Cœlestini III. literis an. MCXCV. datis, quas protulit Muratorius *Antiquit. Ital. T. V. pag* 211. Alter autem Soffredus a Cardinalium numero omnino expungendus. Unicum pariter hujusce nominis Cardinalem agnoscunt Rainaldus, Fleurius, ceterique Ecclesiasticæ historiæ Scriptores ab an. MCXCVIII. ad an. MCCV.

(15) Leg. *Eudoxiæ*.

(16) Emendandus hic etiam Ciaconius, qui Gratianum initio Innocentii Pontificatus obiisse scribit, cum ex hisce literis constet quartum saltem hujus Pontificis annum illum attigisse.

(17) Hugo hic idem atque Hugolinus celeberrimus hac ætate Cardinalis, ac deinde ad Romanam Sedem evectus, ac Gregorius IX. dictus.

(18) In Cl. Sormani Historia Ord Humil. pag 47. & sequ., ubi hæ Cardinalium subscriptiones proferuntur, menda non pauca typorum, ut arbitror, errore exciderunt, ut comparanti patebit. In ercetera *XVI. Cal Junii* pro *XVI Cal. Julii*, ut in Puricelliano Codice exstat.

Philippi Mediolanensis Archiepiscopi Literæ, quibus Braidensis Ecclesiæ construendæ facultatem Humiliatis facit.

Circa an. 1201.

Edit. a Julinio T. VII. pag. 566.

Charta emptionis Humiliatorum Bergomensium.

1202. 23. Aug. ex Tabul. Cathedr. Bergom.

DIe nono exeunte Augusto (1) in civitate Pergami in casa Humiliatorum (2) cum Carta, quam in sua tenebat Manu Joannes de Vezanica, qui stat ad casam Umiliatorum, fecit datum nomine venditionis ad hereditatem & jure hereditatis in manu Guilielmi Dominici de Gandino nominatim de petia una terre vidate (3) juris sue hereditatis, que est perticas tres & media, & jacet ibi, ubi dicitur in breda (4) gariverti, cui coheret &c.

Pro quo verò contracto omni tempore firmo & rato habendo, tenendo, & observando convenit & promisit supraseriptus Gui-

(1) Frequentissimus in medii ævi monumentis hic mos occurrit, ut Calendarum, Iduum, ac Nonarum loco bifariam mensis dividatur, in ineuntem scilicet, atque in exeuntem. Porro cum dicimus ex. c *septimo die ineunte seu intrante Julio*, idem est ac dicere 7. *die Julii*. Cum vero dicimus ex c. *decimo exeunte Martio*, intelligimus diem illum, a quo ad mensis finem decem dies supersunt, scilicet 22. *Martii*; ita *nono exeunte Augusto* indicat 23. *Augusti*.

(2) Ex his verbis unicam adhuc hoc anno Humiliatorum domum Bergomi fuisse colligimus; si enim duplex fuisset, peculiari aliquo nomine utraque distingueretur.

(3) Scilicet vitibus consitæ.

(4) Idem ac *braida*, ager scilicet seu campus suburbanus. V. Cangium ad vocem *Braida*.

Guilielmus obligando omnia sua bona pignori Joanni de Oxio Mestrali (5) suprascripte domus Umiliatorum vice & nomine aliorum Mestrallorum illius domus Umiliatorum, qui pro tempore fuerint de dare eis in Callendis Januarii proximis & anno uno libras quatuor Imperialium vel equevalentium, & renunciaverunt *&c.*

Inctum fuit hoc anno millesimo ducentesimo secundo Indictione quinta *&c.*

Ego Lanfrancus de Cantonno domini Othonis Imp. Notarius (6) rogatu suprascripti Guilielmi not. hanc cartam finivi & scripsi.

(5) *Mestralis* idem videtur ac *Menestrallus*, seu *Ministrallus*, quas voces Cangius profert, seu denique *Ministerialis*, quo nomine, Cangio eodem teste, ii designantur *in Monasteriis, qui praecipuas Praepositu-ras exercent*. Optime tamen animadvertit in Epistola quadam sua ad me data Cl. Bergomensis Ecclesiae Canonicus ac Primicerius Marius Lupus, mihi saepissime laudatus, hanc vocem ad eos potius designandos adhibitam videri, quibus rei domesticae administratio committeretur, quos etiam *Canevarios* vocabant.

(6) Otho IV. Henrici Leonis Bavariae ac Saxoniae Ducis filius jam ab an. MCXCVIII. cum Philippo Sveviae Duce de Romanorum imperio certabat, Germaniae atque Italiae urbibus proceribusque hinc inde distractis. Mediolanenses Othonis caussam strenue amplexi sunt (*V. Julin. Memor. T. VII. pag. 167. &c.*). Ex hoc autem monumento idipsum Bergomense praestitisse cognoscimus, cum Otho Imperator nominetur, quamvis Caesarea corona nondum insignitus hoc anno esset. Id enim anno tantum MCCVIII. Philippo e vivis erepto contigit.

Confirmatio domus vallis Orliani facta Anno MCCVIII.

31. Dec. 1208. Ex Biblioth. Braid.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis fratribus Ecclesie vallis Orlianensis (1) salutem & apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis & hone-

(1) De hac Humiliatorum domo diximus Differtat. VII. P. I. num. LIX.

honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis precibus inclinati Ecclesiam ipsam de licentia bone memorie Philippi Archiepiscopi Mediolanensis (a) constructam, in qua divinis estis obsequiis mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum petri & pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani secundo Kalendas Januar. Pontificatus nostri anno undecimo.

Sigillum plumbeum Innocentii III.

(a) Philippus de Lampugnano indicatur, qui ab an. MCXCVI. ad an. MCCVI. Mediolanensi Ecclesiæ præfuit. V. Saxium *Ser. Archiep. Mediol. T. II. pag.* 624. *& sequ.*, & Giulin. *Memor. T. VIII. a pag.* 124. *ad pag.* 220.

Innocentii III. ad Humiliatos Omnium Sanctorum de Fossato alto seu de Fossadalto.

1210. 19. Jun. Ex Cod. Puricell.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Præposito & Fratribus Omnium Sanctorum de Fossato alto Ordinis Sancti Benedicti Salutem & Apostolicam Benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri . . . . Dilecti in Domino Filii vestris postulationibus grato concurrentes assensu, Capellam Sancti Georgii cum omnibus pertinentiis suis (1) sicut eam juste ac pacificè possidetis, Vobis & per Vos Eccle-

(1) De hoc S. Georgii sacello diximus sup. pag. 8. & sequ., ac plura etiam illud spectantia in Laudensi Monumento an. MCCXXXIII. XV. Augusti proferentur.

Ecclesiæ vestræ Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis Scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam Nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum. Dat. Anagniæ 17. Cal. Julii Pontificatus Nostri Anno tertio decimo.

Domus Dei Astensis fundatio.

1210. 4. Jul. Ex Tabul. Cathedr. Astens.

ANno Domini millesimo ducentesimo decimo inditione tercia decima, die dominico, quarto die intrantis Julii. Quisquis in Sanctis & in Venerabilibus locis aliquid de suis contulerit rebus, juxta actoris (*sic*) voce centuplum accipiet, & insuper quod melius est vitam possidebit eternam. Ideoque presentia infrascriptorum Testium Ego Jacobus Careocius dono confero inter vivos ad honorem Trinitatis, & Beate Marie Virginis Astensis Ecclesie (1), Ecclesie Sancte Margarite de quatuor pontibus terram, quam habeo ad fontanellas, cui coherent Ecclesia de Turre, Rubeus Garc. a duabus partibus, Bernardus Arnulfus, strata, & Ecclesia Apostolorum (2), & vineam & boscum, quam & quod habeo in Vallarono cum omnibus ibi pertinentibus. Vinee coherent Johanns Reggnus, Bonus infans, boscale via, Oddo senex. Bosco coherent Aynardus de Becharia & fratres ejus. Tali modo, ut in loco illo de Fontanellis fiat Ecclesia, que

(1) Astensis Cathedralis Ecclesia Deiparæ in Cœlum Assumptæ sacra est.

(2) Monasterii Apostolorum Astensis mentio est apud Ughellium *Ital Sacr. T. IV.* in Epist. Astens., ubi de Bonifacio II. Forte idem est, ac Monasterium SS. Philippi & Jacobi Ordinis Vallis Umbrosæ, cujus apud eumdem mentio occurrit, ubi de Bonifacio I.

que Dei domus vocetur (3), & Hospitale justa eam, quo Pelegrini, & Pauperes suscipiantur (4), & acrexendo censum, qui erat constitutus in Ecclesia Sancte Margarite, videlicet libra semis incensi, ut de cetero sit libra integra, que in festo Assuncionis Beate Marie Virginis ipsi majori Ecclesie offeratur, & cetera, in quibus cetere Capelle respondent Episcopo & maiori Ecclesie, ut in processionibus, & in veniendo ad Capitulum, Episcopo & Capitulo maioris Ecclesie teneatur obedire & respondere. Et insuper ego Jacobus dictam terram, & vineam, & boscum ab omni persona defendere in omnibus & per omnia promitto & nullum jus in eas mihi vel successoribus meis retineo vel reservo, set libere eas predicte Ecclesie traddo & confirmo. Item renuntio omni juri & legi, quo posset predicta donatio infirmari, vel forsitam que ultra quingentos solidos non debet valere do-

(3) Hoc scilicet nomine altera ex Astensibus Humiliatorum domibus appellabatur, de quibus sermo fuit sup. pag. 55. Attamen non statim in eam inductos Humiliatos crediderim. Etenim Ughellius in Astens. Episc, ubi de Guidotto Episcopo agit, hæc habet: *Guidottus in Ecclesiam S. Trinitatis seu S. Spiritus ad Fontanellas, Sanctimoniales Cistercienses e domo S. Spiritus Genuensi .... accitas immisit, addito ad antiquos redditus tenimento quinquaginta jornatarum oblato, consentiente uxore Agnete, a Jacobo Cereosio Patritio Astensi.* Hic sane non *Domus Dei*, sed *S. Trinitatis*, seu *S. Spiritus* Ecclesia dicitur, sed, ut nominis similitudinem mittam, cum locus idem *ad Fontanellas* designetur, cumque Jacobus Cereosius, qui idem esse videtur ac Careocius, & Agnes ejus uxor nominentur, quos in nostro etiam monumento nominari videmus, eamdem omnino Ecclesiam indicari arbitror. Suspicor autem Cistercienses Moniales an. 1220 alio translatas fuisse. Subdit enim Ughellius ubi de Jacobo de Portia Astensi Episcopo loquitur: *Eius* (Jacobi Episcopi) *auctoritate Manfredus Salutiarum Marchio Agneti amita sua Villam Rivifrigidi pro erectione Monasterii Cistercensium Monialium dono dedit.* Itaque tunc forte, aut paullo post, Humiliati ad *Domum Dei* traducti videntur.

(4) Frequentissimus per hæc sæcula erat Xenodochiorum hujusmodi ad pauperes ac peregrinos alendos usus. Plura vidimus Humiliatis commissa fuisse Vol I. Dissert. V. num. XXII. Hujus tamen nulla usquam mentio occurrit. Forte antequam Domum Dei adirent Humiliati, dissolutum illud jam fuerat.

donatio, vel aliquo modo quo posset infringi a me vel a successore meo. Et insuper Domina Agnes uxor dicti Jacobi renonciavit viri ypothecam in predicta terra, & vinea, & bosco, & promisit dictam donationem rattam & firmam habere, & nullo tempore removere per se, nec per aliam personam. Et inde fiunt duo instrumenta simul uno tenore composita. Actum in claustro maioris Astensis Ecclesie. Intersfuerunt testes rogati & vocati Dominus Jacobus de Platea, Dominus W. bemus, W. Silvaticus, Bernus Sartor, Jacobus Pelaporcum, Petrus Oleum, Segnorinus Perulfus, & Rollandus de Urzana.

Ego Riboldus Notarius Palatinus interfui & scripsi.

Gerardi Cardinalis ac Pontificii Legati Literæ pro Humiliatorum Conventibus.

1211. 19. April. Ex Cod. Puricell.

ANno Dominicæ Incarnationis 1211. duodecimo die ante Calendas Maji (1) Indictione decimaquarta, in eorum præsentia, quorum inferius declarata sunt Nomina, Dominus Gerardus divina dispensante clementia, licet indignus, Apostolicæ Sedis legatus, ac Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Albanensisque ac Novariensis electus (2) omnibus Archiepiscopis, Episco-

(1) Cum hæc loquendi ratio adhibetur *duodecimo* &c. *die ante Cal.*, sic accipienda est, ut ipse Calendarum dies ab hoc numero excludatur, contra ac fieri consuevit, cum dicimus *duodecimo Cal.* Id autem plurimis exemplis inferius afferendis constabit.

(2) Gerardus de Sessa, seu Sessius hic indicatur, S. Mariæ de Tilieto Ord. Cistercienfis in Aquensi Diœc. Abbas, tum Albanensis, ac Novariensis Episcopus electus, ac S. R. E. Cardinalis, obitisque legationibus illustris, Mediolanensis demum Archiepiscopus. Plura de illo habes apud Ughellium in Albanensibus & in Novariens. Episcopis, Ciacon. in Innocent. III. Saxium in *Serie Archiep. Mediol.*, & Julinium *Memor. T. VII. pag.* 206. 224. 251. &c. Regiensis plerumque patria creditur; sed Mediolanensem illum

ſcopis, Presbiteris, Diaconibus, omnibuſque Præpoſitis, Miniſtris, ac Rectoribus Eccleſiarum totius noſtræ legationis & provinciæ in Chriſto ſalutem. Ad hæc noſtra regimina, noſtramque auctoritatem nobis divina diſpoſitio tribuit, ut piis ſtudiis & profectibus aſſenſum præbeamus, ac pro viribus, Deo largiente, ſubveniamus. Quapropter veſtræ innoteſcat diſcretioni, quod Religio, quæ Humiliatorum appellatur (3), & eorum ſtudia (quæ ubicumque terrarum fiunt, nullus apud Deum & homines proficere ignorat) Venerabili Domino Apoſtolico Innocentio nobiſque placuerunt, cum in fidei integritate Sanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ per divinas Scripturas ab Orthodoxis Eccleſiæ probati ſint, & examinati inſiſtant, maxime cum Regina circumamicta varietatibus a dextris Sponſi ſedeat. Unde veſtram in Domino benignitatem exhortamur, quatenus ad eorum Colloquia ſive Parlamenta (4), ex quibus multa bona Dei gratia procedere compertum eſt, quiſque veſtrum ſi in ſua (*videtur aliquid deeſſe*) vel fieri voluerint Parochia ineſſe debeat. Quod ſi veſtrum aliquis minime voluntarie adeſſe procuraverit, preſenti pagina, auctoritate, qua ab Apoſtolica Sede fungimur, præcipiendo vobis conſtituimus, ne de cetero illorum, qui Humiliati dicuntur, colloquia ſive parlamenta, ubicumque ea poſuerint, aut ponere & facere voluerint, impedire aut prohibere, nec perturbare præſumatis. Et ſi quis veſtrum hanc paginam noſtræ conſtitutionis ſciens, noſtra præcepta minime tranſgredi timuerit, ſciat nos judicium inde juſtum pronuntiaturos, ſeque dignam retributionem ſuſcepturum. Unde plura per Mayfredum Predarium, & me

U 2 Boſ-

fuiſſe pluribus ac ſane probabilibus argumentis innixus ſuſpicatur Juſtinus *T. IX. pag.* 79. Ex noſtris autem hiſce literis Ughellii error refellitur, qui Gerardum die 6. Octobr. hujuſce anni Albanenſem tantummodo Epiſcopum fuiſſe innuit.

(3) Hic primum *Humiliatorum Religio* appellatur, quod nomen numquam hactenus in monumentis noſtris occurrerat. Deinde vero *Humiliatorum Religio*, aut *Ordo* uſurpari paſſim cœpit.

(4) De his egimus Vol. I. Diſſert. II. num. II.

Bossum Notarios instrumenta sunt facta. Actum in Castello de Tritio jurisdictionis Mediol., & Lombardiæ provinciæ. Interfuerunt ibi Dominus Jacobus Rondenarensis Ecclesiæ de Cumis Præpositus (5), & Dominus Vassallus Monachus de Teliedo (6), & Fr. Joannes Guartius de Alexandria, & Fr. Bernus de Stapharna, & alii quamplures rogati testes.

Ego Bossus de Bossis Notarius Sacri Palatii de burgo Modoetia interfui, & jussu & de mandato D. Gerardi hanc cartam tradidi & scripsi.

(5) Idem ille, ut videtur, ad quem Innocentius an. MCCI. literas suas dedit superius editas.

(6) Hujusce Cœnobii Abbas, ut diximus, Gerardus fuerat; nec mirum proinde est ejusdem Cœnobii Monachum apud illum fuisse.

Innocentii III. Literæ ne Humiliati exactionibus graventur.

4. Dec. 1214. Ex Cod. Puricell.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Potestatibus & Rectoribus Civitatum & aliorum locorum Lombardiæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Universitatem vestram monendam duximus attentius & hortandam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus dilectos filios Humiliatos communem vitam ducentes, qui firmiter in veritate Catholicæ fidei radicati, laudabiliter in Ecclesiæ Romanæ, ac nostra devotione consistunt, habentes ob reverentiam Apostolicæ Sedis & nostram propensius commendatos, illos nec fodris (1), nec aliis exactioni-

(1) Fodrum proprie illud est, quod Italice *foraggio* dicimus, seu annona militaris. Hinc eo nomine appellari cœpit vectigal illud, quod ad stipendia militibus solvenda imponebatur; ac denique vectigal quodcumque Regi aut Dynastiæ persolveretur eodem nomine vocari consuevit. V. Cangium ad hanc vocem.

nibus aggravetis, nec patiamini ab aliis aggravari, ut ex hoc cumulus vobis æternæ retributionis accrescat, & nos devotionem vestram possimus utiliter commendare. Dat. Laterani secundo Non. Dec. Pontificatus nostri anno decimoseptimo.

Admonitio ad Ordinem.

8. Dec. 1214. Ex Bibl. Braid.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis humiliatis per Lombardiam in fide Catholica & devotione apostolica constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Quod abrogantes impietatem & secularia desideria, sobrie, juste ac pie vivere satagitis in hoc mundo, nobis ad gaudium, vobis ad meritum, & aliis provenit ad exemplum. Monemus igitur universitatem vestram in Domino & hortamur, quatenus attendentes, quod non habetis hic manentem civitatem, sed futuram inquiritis, cum timore ac tremore incolatus vestri tempore studeatis, sicut & facitis, conversari, eam quam estis appellatione sortiti, exhibitione operum, immo re ipsa humilitatem sectantes, ut requiescente super vos Spiritu sancto, qui super mansuetos & humiles requiescit, securi expectare possitis beatam spem, & adventum glorie magni Dei, ab eo coronam immarcescibilem recepturi. Dat. Laterani sexto Id. Decemb. (1) Pontificatus nostri anno decimo septimo.

Sigill. Innocentii ut sup.

Mar-

(1) Ita in autographo nostro; non *sexto Id. Novemb.* ut in Codice Puricelliano legitur, ex quo harum literarum annum ac diem Sormanus descripsit (*Stor. degli Umil. pag.* 84.)

Marchesii & Meridæ ejus uxoris tabulæ, qua se suaque omnia Humiliatis attribuunt, ac novam domum de Jebeto in Veronensi agro constituunt.

1218. 7. Febr.

Edit. a Blancolinio *Chiese di Verona* Lib. IV. pag. 807.

Honorii III. Literæ binæ ad Humiliatos Braidenses, quarum alteris jejunii & silentii leges molliores reddit, alteris vetat, ne peculiares quasdam leges, quibus se voto obstrinxerant, servent.

1226. 13. Dec. Ex Bibl. Braid.

Edit. a Julinio T. VII. pag. 578. 579.

Privilegium Gregorii IX. sicut FF. Humiliati uti possunt sagimine, quando alii utuntur carnibus.

25. Maji 1227. Ex Cod. Puric.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis fratribus & sororibus Ordinis Humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum secundum vestri Ordinis instituta vobis carnibus uti non liceat (1), nisi debilibus & infirmis, utendi con-

(1) Hæc lex apud Monasticos ac Regulares cœtus plerumque olim recepta. Vi-

condimento saginis (2) diebus, quibus alii utuntur carnibus, præsertim cum pleraque locorum, in quibus consistitis, oleo non abundent, licentiam vobis concedere dignaremur. Nos igitur precibus vestris benignum impertientes assensum, vobis præsentium auctoritate licentiam concedimus postulatam. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ concessionis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Laterani octavo Cal. Jun. Pontificatus nostri anno primo.

---

dendus hac in rem eruditissimus P. D. Gregorius Berthelet Ord. S. Bened. Venetensis Congreg. in libro inscripto: *Traité historique & morale de l'abstinence de la viande &c.*

(2) Vox corrupta a *sagina* vulgo *grasso*. Hoc scilicet nonnullis licebat ex iis Monachorum cœtibus, quibus carnium esu interdictum erat, ut sagimine uterentur. Ita in Consuetudinibus Cluniacens. apud Cangium (*Gloss. Latin. ad banc vocem.*): *Omni die vescuntur Fratres sagimine, præter Septuagesimam, & Adventum, & Vigilias Sanctorum, & 4. Tempora, & Rogationes.* V. Berthelet Part. III. Cap. IV.

Privilegium Gregorii IX. sicut tempore interdicti generalis celebrare possumus januis clausis.

29. Maji 1227. Ex Cod. Puric.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis fratribus & sororibus Ordinis Humiliatorum salutem & Apostolicam benedictionem. Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ex alterius delicto alius puniri non debeat, ne ad alios pœna, quam ad suos auctores indebite transferatur, liceat vobis, cum generale terræ fuerit interdictum, Divinis Officiis interesse, & ad Confessiones admitti, ac sine solemni-

nitate aliqua in cœmeterio Ecclesiæ sepeliri (1). Nos igitur attendentes petitiones vestras eo magis dignas esse favore, quod non temporalia nec mundana, sed spiritualia petitis & æterna, universitati vestræ auctoritate præsentium licentiam concedimus postulatam, dum tamen hoc ipsum vobis expresse non fuerit interdictum, nec causam hujusmodi præstiteritis interdicto. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Laterani quarto Cal. Junii Pontificatus nostri anno primo.

(1) Ut Humiliatis interdicti tempore Sacra facere januis clausis liceret, jam ab anno MCCI. Innocentius III. concesserat; hic vero Pœnitentiæ etiam Sacramenti, & sepulturæ usus conceditur. Hinc an. MCCLIX. Florentinos Theologos statuisse videbimus, tertii ipsius Ordinis Humiliatis jus hujusmodi concessum, ut suorum Sacris interdicti tempore interessent.

Privilegium Gregorii IX. quod uti possumus culcitris ac linteaminibus, & de silentio & jejunio dispensando, præter solemnia jejunia, præsertim æstivo tempore.

29. Maji 1227. Ex Cod. Puric.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Ministris domorum Ordinis Humiliatorum salutem & Apostolicam benedictionem. Nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum fratribus & sororibus Ordinis vestri culcitris & linteaminibus (1) uti non liceat, secundum ipsius Ordinis instituta, ac sæpe

(1) Licitus quidem erat Humiliatis linteaminum usus, sed laneorum tantummodo. V. Vol. I. Differt. III. num. VII.

ſæpe contingat, ut debiles & infirmi exinde grave ſuſtineant detrimentum, tam ſuper hoc, quam ſuper eo, quod dicti Fratres & Sorores cum vivant pro magna parte de manuum ſuarum laboribus (2), expreſſam in regula veſtra jejunii ſilentiique menſuram ſervare, præſertim æſtivo tempore, ſine nimia difficultate non poſſunt, providere miſericorditer dignaremur. Nos igitur diſpenſandi ſuper his cum eiſdem, quando neceſſitas videbitur poſtulare, vobis præſentium auctoritate licentiam indulgemus, ita tamen, quod ſolemnia jejunia inviolabiliter obſerventur, niſi dumtaxat ab illis, quos evidens corporis infirmitas excuſabit. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ conceſſionis infringere, aut ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani quarto Cal. Jun. Pontificatus noſtri anno primo.

(2) Id de alterius Ordinis Humiliatis intelligendum, qui ſoli propriis manibus lanam tractabant. Enimvero non ad Præpoſitos, qui primi Ordinis domibus præerant, ſed ad Miniſtros, qui alterius Ordinis domos regebant, ac Prælati etiam appellabantur, literas has ſcribit Gregorius. V. Vol. I. Differt. V. num. III. & IV

Gregorii IX. Literæ, quibus alterum Humiliatorum Ordinem confirmat.

1227. 30. Maji Ex Bibl. Braid.

Mittimus has Gregorii literas proferre, cum eædem omnino ſint, pauciſſimis mutatis, cum Innocentii III. literis an. MCCI. 13. Jun.

Dat. Laterani tertio Cal. Jun. Pontificatus noſtri anno primo.
Sig. ut ſupra, mutato nomine.

Privilegium Gregorii IX. ſicut ipſe rurſus approbat Regulam Innocentii tertio Ordini datam, directum Præpoſitis Ordinis cum multis gratiis.

1227. 3. Jun. Ex Cod. Puric.

IIſdem omnino verbis conceptæ ſunt ac Innocentii III. literæ MCCI. 7. Jun. His itaque omiſſis unicas hic ſubſcriptiones proferimus, quæ ſic habent.

Ego Gregorius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Stephanus Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presb. Cardin. ſubſcripſi.

Ego Thomas tit. S. Sabinæ Presb. Cardin. ſubſcripſi.

Ego Joannes tit. S. Praxedis Presb. Cardin. ſubſcripſi.

Ego Pelagius Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Cunradus Portuenſis & S. Rufinæ Epiſcopus ſubſcripſi (1).

Ego

(1) Conradus Ciſtercienſis Abbas ab Honorio III. Cardinalis renunciatus. Plura de illo habes apud Ughellium in Epiſcopis Portuenſibus, & apud Ciaconium in Honorii III. vita. Ambo tamen errare mihi videntur, cum de rebus hoc ipſo anno MCCXXVII. a Conrado geſtis ſermonem habent. Narrat enim Ughellius, eademque fere habes apud Ciaconium, Conradum poſt Honorii mortem, cum ſe a Cardinalibus Pontificem deſignari intelligeret, ſtrenue obſtitiſſe, auctoremque fuiſſe illis, ut Hugolinum Cardinalem ad ſupremam illam dignitatem eveherent, qui Gregorius IX. appellatus eſt, *a quo deinde*, ait, *contra hæreticos Saracenoſque legatus, mirabili fervore orando, cruciatam, ut vocant, edixit, inſtructumque contraxit exercitum, quem deinde in Palæſtinam deportavit.... Itaque cum pie ea Sancta loca colendo, ut contra hoſtes feliciter acies explicaret, deprecatur a Deo, lenta febri corripitur, quæ illum jam olim laboribus fractum, brevi confecit.... Deceſſit pridie Kal. Octobr. ann.* 1227. Mortis annus ac dies Inſcriptione ejus tumulo appoſita confirmantur, quam & Ughellius & Ciaconius protulerunt, quamvis in Ughelliano opere edit. Coletanæ XXXVII., pro XXVII. irrepſerit. Ceterum in Inſcriptione illa hæc habentur: *Hic cum in transmarinis partibus moraretur, inſtantiſſime præcepit, ut Claravallem... oſſa ſua deferrentur, & ibidem ſepelirentur.* Porro hæc omnia a die XIX. Martii, qua Gregorius IX.

Ego Guido Prænestinus Episcopus subscripsi.

Ego Oliverius Sabinensis Episcopus subscripsi.

Ego Oct. . . . SS. Sergii & Bacchi Diac. Cardin. subcripsi.

Ego Rainerius S. Mariæ in Cosmedin Diac. Cardin. subscripsi.

Datum Anagniæ per manum Magistri Senebaldi S. Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii (2) quinto Nonas Julii Indictione decima quinta Incarnationis Dominicæ an. MCCXXVII. Pontificatus nostri anno primo.

Pontifex est renunciatus, ad diem XXX. Septemb., qua Conradus obiit, contigisse quis tandem credat? Quid? quod nullam hoc anno crucesignatorum in Syriam expeditionem commemorant Sacræ Historiæ Scriptores? Horum enim exercitus Brundusii Friderico II Cæsare Duce collectus tum lue magna ex parte consumptus est, tum Friderici ipsius morbo a navigatione prohibitus. Expeditio autem ipsa jam ab an. MCCXXIII indicta fuerat. Itaque hoc unum præstitisse videtur Conradus, ut eamdem urgeret; nec vero cum exercitu in Syriam delatum illum arbitror, sed cum maxima illa peregrinorum multitudine, quæ in Hierosolymitani Patriarchæ aliorumque Episcoporum Epistola hoc ipso anno ad Gregorium data commemoratur.

(2) Sinibaldus de Flisco, qui hoc ipso anno a Gregorio IX. Cardinalis dictus, Pontificiam deinde Sedem an. MCCXLIII. conscendit, atque Innocentius IV. appellatus est, cujus plurimas ad Humiliatos nostros literas proferemus.

Privilegium Gregorii IX. in quo inserta est Regula per Innocentium III. Præpositis ac Prælatis ac sororibus Ordinis tradita.

1227. 7. Jun. Ex Cod. Puric.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Ministris & fratribus ac sororibus Ordinis Humiliatorum Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum fel. mem. Innocentius papa prædecessor noster regulam vestram studiose correctam apud Apostolicam Sedem curaverit reservare, nos eam sicut correcta exstitit ab eodem præsenti paginæ annotari fecimus

ad cautelam, & bullæ noſtræ appenſione muniri, quatenus nulli de cetero ſit facultas eandem alicujus fermenti regulam depravare. Eſt igitur ipſius regulæ tenor talis: Omnis boni principium &c. (*Tota hic per integrum Humiliatorum leges inſeruntur, quas cur omittendas duxerimus V. Vol. I. Diſſert. III. num. VI.*) Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ annotationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Anagniæ ſeptimo Id. Jun. Pontificatus noſtri anno primo.

Privilegium Gregorii IX., ſeu Regula Fratrum tertii Ordinis Humiliatorum.

1227. 11. Jun. Ex Cod. Puric.

GRegorius Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Joanni bello de Calvenzano, Manariæ de Modoetia, Petro de Falcano de Carate, Guillermo de Cerliano, aliiſque Miniſtris Ordinis Humiliatorum, eorumque fratribus & ſororibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Propoſitum veſtrum approbatum a fel. mem. Innocentio papa Prædeceſſore noſtro, nos quoque inhærentes ejus veſtigiis approbantes, præſenti paginæ de verbo ad verbum fecimus annotari, ac bullæ noſtræ appenſione muniri. Propoſuiſtis &c. (*Adduntur tertii Ordinis Humiliatorum leges ſuperius jam editæ pag.* 128.). Dat. Anagniæ tertio Id. Jun. Pontificatus noſtri anno primo.

Gre-

Gregorii IX. Literæ de Sacerdotiis Ecclesiæ SS. Faustini & Jovittæ in ejusdem utilitatem convertendis.

1227. 17. Jun. Ex Tabul. S Barthol. de Conteguaga Brixiens.

GRegorius Episcopus servus servorum dei Venerabili fratri ... Episcopo Brixiensi (1) salutem & Apostolicam benedictionem. Proposuisti nuper in nostra presentia, quod nos olim dum essemus in minori officio constituti, & in provincia Lombardie legationis officio fungeremur, Ecclesiam sanctorum Faustini & Jovitte in nostris manibus ab ipsis canonicis resignatam, ordini fratrum predicatorum duximus assignandam (2), ipsis canonicis, quoad vixerint, suis beneficiis reservatis, que, cum vacaverint, ad manus Episcopi Brixiensis deveniant, juxta sue voluntatis arbitrium ordinanda. Unde postulastis a nobis, ut de dictis beneficiis sic statuere dignaremur, quod, decedentibus memoratis canonicis, in eis alii non succedant; sed potius in usus pauperum, & reparationem ipsius ecclesie ac domorum suarum, que terremotus tempore corruerunt, ac restitutionem ornamentorum, quibus omnino destituta est ipsa ecclesia, convertantur. Nos ergo volumus & mandamus, quatinus decedentibus, vel cedentibus canonicis, qui eadem beneficia obtinent, de ipsis statuas, prout utilitati ecclesie memorate, ac ordini predicto secundum deum videris expedire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis dei & beatorum Petri & Pauli apostolo-

(1) Brixiensi Ecclesiæ per hæc tempora præerat Gualla ex Ord Præd., qui omnium primus Cœnobii SS. Faustini & Jovittæ Prior fuerat olim renunciatus.

(2) Tabulas hac de re confectas edidit Cl. P. D. Jo. Hieronymus Gradonicus Cler. Reg., nunc Amplissimus Utinensis Ecclesiæ Archiepiscopus, *Brix. Sacr. p.* 244.

lorum ejus se noverit incursurum. Dat. Anagnie XV. Kal. Julii Pontificatus nostri anno primo.

A tergo hæc habentur: per istas litteras sufficiens apparet, quod ecclesia cum pertinentiis erat distracta de clero brixiensi, & Episcopus non poterat ibi prepositum vel canonicos instituere, unde discedentibus fratribus predicatoribus ab eodem..

Gregorii IX. Literæ ne Humiliati jurare cogantur.

1227. 10. Jul. Ex Bibl. Braid.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Archiepiscopo Mediolanen. (1) salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filii fratres & sorores ordinis humiliatorum nobis humiliter supplicarunt, ut cum passim a secularibus potestatibus pro minimis sepe rebus jurare cogantur (2), cum hoc eorum proposito contradicat, super hoc providere misericorditer dignaremur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dictos fratres & sorores non permittas nisi testimonii, calumpnie, pacis & fidei subire aliquod juramentum, nisi forsan urgens necessitas & evidens utilitas id exposcere

(1) Henricus Septala is erat, de quo plura Saxius *Ser. Archiep. Mediol. T. II. pag.* 640. *&c.*

(2) Vidimus prudentissimas leges Humiliatis ab Innocentio III. latas fuisse, ut jurejurando ea, qua par erat, ratione uterentur. Hic vero videmus multas illos molestias pati consuevisse, quod sæpe jusjurandum præstare renuerent. Enimvero quam frequens atque immodicus esset per ea tempora jurandi usus, satis ostendit Cangius, cum innumeros jurandi ritus recenset. Mediolani vero causas fere omnes jurejurando definitas fuisse animadvertit Julinius (*Memor. T. V. pag.* 533.). Hinc Urbanus III. ad Bernatenses, seu Brinatenses Canonicos Regulares an. MCLXXXVII scribens apud eumdem (*T. VII. pag.* 50.) ait: *In causis Ecclesie vestre, donec per testes idoneos, vel publica instrumenta intentio vestra probari poterit, prestandi juramentum, quod in partibus vestris nova Superstitione requiritur, omnem vobis interdicimus facultatem.*

ſcere videatur, quod tue prudentie duximus committendum, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Anagnie ſexto Id. Jul. Pontificatus noſtri anno primo.

Sigillum ut ſup.

Gregorii IX. Literæ de Religioſorum cœtuum emendatione.

1227. 4. Sept. Ex Bibl. Braid.

GRegorius Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Rogerio Subpriori Bononienſi, fratri Meliorato de ordine Predicatorum (1), & presbitero Joanni de Gambara ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Succenſa eſt quaſi ignis inopinate prevaricationis impietas, que non ſolum vepres & ſpinas devorat, carnalibus ſcilicet operibus ſervientes, ſed quaſi cedros Libani jam conſumit, nonnullos ſcilicet regularis ordinis profeſſores preſertim ſedi apoſtolice immediate ſubjectos, quorum correctioni prementibus undique curis univerſalis Eccleſie, per ſe nequit, ut expedit, Romanus pontifex imminere. Verum quoniam a capite membra nutrimenta ſuſcipiunt, & membra ſuo tenentur capiti deſervire, ut mutuis vegetata ſubſidiis in ſua poſſint integritate perſiſtere, vobis de quorum religione, zelo, & ſinceritate confidimus, Monaſteria exempta Ordinis Sancti benedicti, & Canonicos regulares cujuſcumque profeſſionis vel ordinis, humiliatos quoque & hoſpitalia Cremonenſis, Brixienſis & Pergamenſis civitatum & dioceſum, Monaſteriis Ciſtercienſis Ordinis,

(1) Alios etiam ex Ordine Prædicatorum in hanc rem Gregorius elegit. Habemus enim in hujus Ordinis *Bullario* harum ipſarum litterarum exemplar, quas eodem anno ac die *Fratri Joachim Sanctæ Mariæ, & Jordano Ordinis Prædicatorum Prioribus, & Gandulpho fratri ejuſdem Ordinis Paduan* Pontifex dedit. Similes alias Gregorii literas anno MCCXXXII. datas commemorat Fleury (*Hiſt Eccleſ. T. XVII. Lib. LXXX. num. XXXIV.*)

dinis, & Monialium pauperum inclusarum (2) dumtaxat exceptis, omni anno donec nobis placuerit, semel vel pluries sicuti videritis expedire, privilegiis eorum & indulgentiis nequaquam obstantibus, committimus visitanda; presentium auctoritate in virtute obedientie districte precipiendo mandantes, quatenus omni mora, gratia & timore postpositis, corrigatis appellatione remota intrepide ac efficaciter tam in capite quam in membris quecumque videritis corrigenda, contradictores & rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, correctionibus factis in generali capitulo in suo robore duraturis. Rescribatis autem que feceritis plene nobis, qui ad hoc auctore Deo vobis dabimus consilium & auxilium opportunum. Si vero circa hujusmodi animas redemptas sanguine Nazareni, fueritis, quod non credimus, negligentes, Deus ultionum dominus ac redemptor, requiret ea de manibus vestris in die animadversionis extreme, quando creatura armabit se ad ulciscendam injuriam creatoris. Nos quoque negligentiam hujusmodi non poterimus sine dissimulatione transire. Quod si non omnes iis exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Dat. Anagnie secundo Non. Sept. Pontificatus nostri anno primo.

Sigill. ut sup.

Pri-

(2) Hoc scilicet nomine Franciscanæ Sanctimoniales indicantur, quod & paupertatem profiterentur, atque ædibus clausæ viverent. Eodem nomine designantur in Gregorii IX. literis an. MCCXXXIII. datis apud P. Bonavillam (*Notizia Cronol. de' Frati Minori Part. II. Cap. 2.*)

Privilegium quod Archiepiſcopus Mediolani cogat fratres Ordinis Humiliatorum ad obſervationem regule.

1227. 16. Dec. Ex Bibl. Braid.

GRegorius Epiſcopus Servus Servorum Dei venerabili Fratri Archiepiſcopo Mediolanen. (1) Salutem & apoſtolicam benedictionem. Dilecti filii prepoſiti & miniſtri humiliatorum de Lombardia tranſmiſſa nobis petitione monſtrarunt, quod cum tibi dederimus in mandatis, ut omnes qui in Lombardia ac Marchia (2) humiliatos ſe dicunt, monere ac inducere procurares, quod regulam ſeu vivendi formam approbatam a fel. rec. Innocentio papa predeceſſore noſtro, & humiliatorum Ordini traditam profiterentur pariter & ſervarent; & qui nollent hoc facere, nomine, habitu, loco, & poſſeſſionibus humiliatorum relictis tranſirent ad aliquem alium de Ordinibus approbatis, eos ad alterum predictorum per cenſuram eccleſiaſticam, ſi nollent mandatis tuis acquieſcere, compellendo (3), nondum ſuper hoc mandatum apoſtolicum impleviſti. Quocirca fraternitati tue firmiter precipiendo mandamus, quatenus uſque ad primo venturum feſtum reſurrectionis Dominice mandatum noſtrum juxta traditam tibi formam exequi non omittas, ita quod diligentia tua poſſit exinde commendari. Alioquin dilectis filiis fratribus Al.

(1) Henrico Septalæ de quo ſup. pag. *166*.

(2) Quid hoc loco *Marchia* ſignificet, non ſatis intelligo. Hæc enim vox primo ad provinciæ fines deſignandos, teſte Cangio, adhibita eſt. Mox etiam provinciam peculiarem aliquam denotavit. Hinc *Marchia Mediolani*, *Marchia Genuæ* aliaque hujuſmodi apud Muratorium occurrunt (*Antiquit. Ital. T. I. col.* 271 273.). At quamnam potiſſimum Marchiam hic appellari dicemus? Itaque veriſimilius fortaſſe Lombardiæ fines hic denotari arbitrabimur.

(3) Haſce Gregorii literas, quas hic ab illo innui audimus, nanciſci haud licuit.

priori Ordinis fratrum predicatorum Mediolan. & Al. Parmen. eiuſdem Ordinis, & magiſtro Olderico canonico ſancti ſtefani in brolio Mediolan. nos noveris injunxiſſe, ut ipſi ex tunc predictum mandatum diligenter & fideliter exequantur. Dat. Lateran. XVII. Cal. Jan. Pontificatus noſtri anno primo.

Sig. ut ſupra.

Privilegium domus de braida de divinis offitiis in Oratorio ſuo a quocumque Sacerdote ambroſiano audiendis.

1229. 10. Jan. Ex Bibl. Braid.

GOffridus miſeratione divina tit. ſancti Marci presbiter Cardinalis apoſtolice ſedis legatus (1), dilectis in Chriſto filiis Alberto ejuſque confratribus & toti congregationi domus ſite in braida olim de guercio nunc veſtra, ſalutem in Domino. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem prebere conſenſum, & vota, que a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Cum igitur venerabilis pater Mediolanenſis archiepiſcopus (2) vobis ſui capituli accedente conſenſu, licentiam & auctoritatem conſtituendi oratorium in veſtro proprio fundo de braida duxerit concedendam, ſtatuens ut illud amodo liberum habeat cimiterium, & nulli tributo vel oneri ſit ſubjectum ullo tempore, excepta una libra cere, quam nomine cenſus

(1) Goffridus Caſtilionæus patria Mediolanenſis, antea patriæ Eccleſiæ Cancellarius, Cardinalis deinde a Gregorio IX. juſſus, atque in Inſubriam Legatus, denique poſt Gregorii obitum ad Pontificiam Sedem evectus, ac Cœleſtinus IV. appellatus, quam Sedem tamen vix XVII. diebus obtinuit. Vide Ciacon. & Oldoin., Saxium in *Serie Archiep. Mediol. T. II. pag.* 685. Julin. *Memor. T. VII. pag.* 414. 426. 555.

(2) Philippum, ni fallor, intelligit, cujus literas commemoravimus pag. 149. Niſi forte alias hac de re literas Henricus Septala dedit, qui per hoc tempus Mediolanenſi Eccleſiæ præerat.

fus & in fubjectionis fignum in festo fancte Marie de feptembri decrevit dari ejus ecclefie annuatim, concedendo ut a quocumque vobis placuerit Sacerdote, dummodo Ambrofianus fit (3), audire poffitis divina officia in eodem tamquam patroni & ejufdem oratorii fundatores; nos veftris precibus benignum impertientes affenfum, conceffionem ipfam, ficut jufte ac provide facta eft, auctoritate, qua fungimur, confirmamus & prefentis fcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noftre confirmationis infringere, vel ei aufu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare prefumpferit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum petri & pauli apoftolorum ejus, & apoftolice fedis fe noverit incurfurum. Dat. Mediolani anno Dominice Incarnationis MCCXXIX. IV. Idus Januar.

Sigillum deest.

(3) Hinc videmus quanta effet Mediolanenfium Archiepifcoporum cura, ne quid ab Ambrofiano ritu alienum in Sacris faciendis admitteretur. Religiofi ipfi Coetus ritu eodem olim utebantur, & Humiliatos noftros an. MCCLXXXVIII. tantummodo ad Romanos ritus acceffiffe oftendimus Differt. III. num. XII.

Privilegium quod non debeant fratres iftius domus folvere Epifcopo Cenfum occaxione ofpitii.

1229. Id. Jul. Ex Biblioth. Braid.

IN Nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis MCCXXIX. die Dominico, decimo die ante kalendas augufti Indictione fecunda. Fr. Beltramus de campifio frater & findicus ecclefie Humiliatorum extructe apud papiam fupra ticinum (1) ex parte domini Cardinalis dedit & prefentavit Domino Alberto prepofito ecclefie fancti ftefani in brolio Mediolan. literas figillo cereo Domini Cardinalis figillatas, quarum tenor talis eft. Goffridus

(1) S. Simonis domus, ni fallor, hic indicatur. Vide que diximus fup. pag. 6.

priori Ordinis fratrum predicatorum Mediolan. & Al. Parmen. eiusdem Ordinis, & magistro Olderico canonico sancti stefani in brolio Mediolan. nos noveris injunxisse, ut ipsi ex tunc predictum mandatum diligenter & fideliter exequantur. Dat. Lateran. XVII. Cal. Jan. Pontificatus nostri anno primo.

Sig. ut supra.

Privilegium domus de braida de divinis offitiis in Oratorio suo a quocumque Sacerdote ambrosiano audiendis.

1229. 10. Jan. Ex Bibl. Braid.

GOffridus miseratione divina tit. sancti Marci presbiter Cardinalis apostolice sedis legatus (1), dilectis in Christo filiis Alberto ejusque confratribus & toti congregationi domus site in braida olim de guercio nunc vestra, salutem in Domino. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, & vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum igitur venerabilis pater Mediolanensis archiepiscopus (2) vobis sui capituli accedente consensu, licentiam & auctoritatem constituendi oratorium in vestro proprio fundo de braida duxerit concedendam, statuens ut illud amodo liberum habeat cimiterium, & nulli tributo vel oneri sit subjectum ullo tempore, excepta una libra cere, quam nomine census

(1) Goffridus Castilionæus patria Mediolanensis, antea patriæ Ecclesiæ Cancellarius, Cardinalis deinde a Gregorio IX. jussus, atque in Insubriam Legatus, denique post Gregorii obitum ad Pontificiam Sedem evectus, ac Cœlestinus IV. appellatus, quam Sedem tamen vix XVII. diebus obtinuit. Vide Ciacon. & Oldoin., Saxium in *Serie Archiep. Mediol. T. II. pag.* 685. Julin. *Memor. T. VII. pag.* 414. 416. 555.

(2) Philippum, ni fallor, intelligit, cujus literas commemoravimus pag. 149. Nisi forte alias hac de re literas Henricus Septala dedit, qui per hoc tempus Mediolanensi Ecclesiæ præerat.

ſus & in ſubjectionis ſignum in feſto ſancte Marie de ſeptembri decrevit dari ejus eccleſie annuatim, concedendo ut a quocumque vobis placuerit Sacerdote, dummodo Ambroſianus ſit (3), audire poſſitis divina officia in eodem tamquam patroni & ejuſdem oratorii fundatores, nos veſtris precibus benignum impertientes aſſenſum, conceſſionem ipſam, ſicut juſte ac provide facta eſt, auctoritate, qua fungimur, confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum petri & pauli apoſtolorum ejus, & apoſtolice ſedis ſe noverit incurſurum. Dat. Mediolani anno Dominice Incarnationis MCCXXIX. IV. Idus Januar.

Sigillum deeſt.

(3) Hinc videmus quanta eſſet Mediolanenſium Archiepiſcoporum cura, ne quid ab Ambroſiano ritu alienum in Sacris faciendis admitteretur. Religioſi ipſi Coetus ritu eodem olim utebantur, & Humiliatos noſtros an. MCCLXXXVIII. tantummodo ad Romanos ritus acceſſiſſe oſtendimus Differt. III. num. XII.

Privilegium quod non debeant fratres iſtius domus ſolvere Epiſcopo Cenſum occaxione oſpitii.

1229. Id. Jul. Ex Biblioth. Braid.

IN Nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis MCCXXIX. die Dominico, decimo die ante kalendas auguſti Indictione ſecunda. Fr. Beltramus de campiſio frater & ſindicus eccleſie Humiliatorum extructe apud papiam ſupra ticinum (1) ex parte domini Cardinalis dedit & preſentavit Domino Alberto prepoſito eccleſie ſancti ſtefani in brolio Mediolan. literas ſigillo cereo Domini Cardinalis ſigillatas, quarum tenor talis eſt. Goffridus miſe-

(1) S. Simonis domus, ni fallor, hic indicatur. Vide quæ diximus ſup. pag. 6.

miſeratione divina tit. S. Marci presbiter Cardinalis (2) apoſtolice ſedis legatus, dilecto in Chriſto fratri prepoſito ſancti ſtefani in brolio Mediolan. ſalutem in domino. Dilecti filii prepoſitus & fratres eccleſie humiliatorum apud papiam ſupra ticinum ſua nobis petitione monſtrarunt, quod cum hoſpitale ſancte Juſtine (3) nuper eis a domino papa libere ſit collatum, & a longis retro temporibus ab omni exactione pecunie ſit exemptum, nec uſque ad hoc tempus ab epiſcopo ſeu capitulo papienſi ſuper hoc fuerit moleſtatum, nunc primo dictum capitulum occaſione talie, quam communi papienſi ſe aſſerunt ſoluturos, quamdam imponentes pecunie quantitatem ipſos ſuper hoc indebite aggravant & moleſtant. Et licet ipſi ex hoc ſentientes indebite ſe gravari, noſtram audientiam appellarint, dictum tamen capitulum hujuſmodi appellatione contempta in eos interdicti & excommunicationis ſententiam contra juſtitiam protulerunt. Ideoque diſcretioni veſtre, qua fungimur, auctoritate mandamus, quatenus ſi res ita ſe habet, revocato in ſtatu debito, ſi quid poſt hujuſmodi appellationem inveneritis temere attemptatum, audiatis, ſi quid fuerit queſtionis, & quod canonicum fuerit, ſtatuatis, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui nominati fuerint, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram eamdem cogatis veritati teſtimonium perhibere. Datum Cervie Id. Julii (4).

In-

(2) Idem ille, de quo paullo ante diximus.

(3) De hoc hoſpitali aliquid innuimus Vol. I. Differt. V. num XXV.

(4) Goffridus Januario menſe hujus an. MCCXXIX. Mediolanum advenerat, Chalco, ceteriſque Mediolanenſibus hiſtoricis teſtibus. Majo menſe adhuc in Inſubria morabatur; Synodum enim XII. Cal. Jun. Laude Pompeja habuit. Videtur autem non multo poſt hinc diſceſſiſſe, cum has literas Cerviæ, quæ Æmiliæ eſt urbs, dederit Idibus Jul. At errorem profecto in Ciaconii opus irrepſiſſe arbitror, cum ait Goffridum Gregorii literis hoc anno XV. Cal. Febr. ad Albertum Priorem Eccleſiæ Sedis Epiſcopalis B. Mariani datis ſubſcripſiſſe. Goffridus enim IV. Id. Jan. jam Mediolanum advenerat, ut ex ejuſdem literis paullo ante prolatis conſtat.

Interfuerunt teſtes rogati Dominus petrus berloccus filius quondam gulfredi, & magiſter Oldericus filius quondam petribelli, & dominus aliprandus mazalis filius quondam rubei, omnes canonici ſupraſcripte eccleſie ſancti ſtefani.

Ego Ricobonus filius quondam Alberti de bribia de burgo foris porte romane notarius & Imperatoris miſſus (5) interfui & rogatus ſcripſi.

(5) De Imperatoriis Miſſis V. infr. Monum. an. MCCXXX. 21. Febr. annot. 16.

Privilegium pro Eccleſia domus braide que hedificata fuit MCCXXIX. primo Junii.

1230. 20. Febr. Ex Bibl. Braid.

UNiverſis preſentes litteras inſpecturis Petrus de Mediolano (1) ſacroſancte Romane eccleſie vicecancellarius ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis nos vidiſſe duo publica inſtrumenta in una carta pecudina contenta per manum Gulicioni filii quondam Oldonis Cumini (2) civitatis Mediolan. notarii ſcripta & confecta, & ſcripta ejus parabola per Girardum filium Petrobelli de vergano notarium Sacri palatii de parochia ſancti Protaſii ad monachos, quorum tenores tales ſunt.

In Nomine Domini anno Dominice Incarnationis 1230. die mercurii, nono die ante Kal. Mart. Indictione tertia in preſentia infraſcriptorum teſtium, Dominus Henricus Dei gratia ſancte Mediolanen. eccleſie Archiepiſcopus (3) ſua auctoritate, & ex officio,

(1) Petrus Peregroſſus Mediolanenſis, Nicolao III. Pontifice, S. Rom. Eccleſiæ Vicecancellarius, ac deinde Cardinalis, de quo plura alia erunt nobis ad an. MCCLXXXVIII. dicenda.

(2) V. infra annotat. 17.

(3) Henricus Septala, qui jam ab an. MCCXVI. Mediolanenſem Eccleſiam re-

ficio, & voluntate, & presentia presbiteri Guillelmi ecclesie sancti Eusebii site in braida guercii (4), & Anselmi, & Mangiaferri, qui dicuntur cagapisti (5), qui pro se ibi erant, & Guifredo filio quondam Anselmi cagapisti, ut apparet per publicum instrumentum a me visum & lectum, factum anno 1230. die veneris septimo die ante Kal. Febr. Indictione tertia per Antelmum filium Landulfi cagapisti notarium, qui Anselmus & Mangiaferrus promiserunt obligando omnia sua bona pignori quilibet in solidum fratri Pagano (6) ministro domus Humiliatorum de Braida Guercii, recipientem ad partem illius domus, quod omni tempore facient heredes quondam Jacobi cagapisti esse tacitos & contentos in omnibus infrascriptis (7), vel si contravenerint illi heredes, & taciti & contenti non permanserint, & de jure in aliquo obtinuerint contra fratres & sorores predicte domus de predicta ecclesia de novo constituta (8) in predicta domo de braida, vel occasione predicte ecclesie, quod restituent & dabunt predicto pagano

gebat, quique hoc ipso anno MCCXXX. XVI. Cal. Octobr. fatis concessit. V. Sax. *Ser. Archiep. Mediol. T. II. pag. 640. &c.*

(4) Notissima Mediolanensis Ecclesia, e Braidensis Ecclesiæ regione posita; cujus parochiali jure Braidensis domus ipsa obnoxia erat, antequam Ecclesiam haberet; qua de caussa, Ecclesia ipsa ab Humiliatis exstructa, certas conventiones hinc inde statui oportuit.

(5) Gerardus Cagapistus juris scientia inter Mediolanenses celeberrimus fuit XII. sæculo. Ex ejusdem familia ii omnes prodiisse videntur, quos hic appellatos videmus, Anselmi duo, Mangiaferrus, Anselmus, Landulfus & Jacobus.

(6) Fr. Paganus de Vedano, ni fallor, indicatur, qui in alio etiam monumento anni MCCXXVII. commemoratur, de quo Vol I. Differt. VI. P. I. num. II. sermo fuit.

(7) Ex his verbis certissime mihi colligere videor S. Eusebii Ecclesiam ad Cagapistos patronatus, ut ajunt, jure pertinuisse. Qua enim, rogo, de caussa necesse erat, ut Cagapisti illi, qui hoc loco nominantur, pro Jacobi Cagapisti hæredibus fidejuberent, fore ut ab his conditiones inter Humiliatos & S Eusebii presbiterum statutæ ratæ haberentur, nisi ad eosdem hæredes in Ecclesiam illam juspatronatus spectaret; ac suspicio proinde oriri posset, ne initis conventionibus repugnarent?

(8) Ex his potissimum vocibus Vol I Diss. VI. P. I. num. IV. an. tantum MCCXXIX. Braidensem Ecclesiam exstructam fuisse conjecimus.

gano ad partem fratrum & ſororum prediſte domus & ipſis fratribus & ſororibus libras trigintatres tertiolorum (9) cum omnibus expenſis, quas dicta domus fecerit pro ipſis denariis exigendis & petendis; quas libras trigintatres tertiolorum dicta domus dedit presbitero illius eccleſie ſancti Euſebii ad partem illius eccleſie pro conſultatione, ſive cambio, ſeu in ſcontro & compenſatione illius dampni & intereſſe, quod dicta eccleſia ſancti Euſebii patitur, vel pati videtur, vel pati poſſet occaſione predicte eccleſie de novo conſtitute in predicta domo de Braida; ſeu pro eo quod predicti fratres & ſorores cum eorum familia ſe ſubtraunt predicte eccleſie ſancti Euſebii, in cujus parochia reſident, ratione funerum, vel oblationum, vel aliorum que fient (*forte fierent*) ſuo ſacerdoti & parochiano ſuo tempore, ſecundum quod dictus Archiepiſcopus jam ante decreverat (10), & preſentia, & voluntate, & conſenſu Bellini de Greppa & Anna de Barni, & Ottonis de Buixio, & Petri de Cerro, & Chriſtiani de Muzano vicinorum predicte eccleſie ſancti Euſebii, & qui pro ſe & pro aliis vicinis ejuſdem eccleſie erant, ut apparet per cartam unam factam per Jacobum filium Airoldi de Garbaniate notarium (11) 1230., & preſentia & voluntate fratris Pagani miniſtri illius domus, & fratris Ottonis de Caſtilliono fratris ejuſdem domus, ſtatuit & ordinavit, uti quilibet vicinus & vicina predicte parochie ſancti Euſebii, qui non ſit de ordine Humiliatorum, qui tamen non eſſet hereticus, vel a Domino Archiepiſcopo vel Capitulo Mediolanen. inhibitus, ne in cimiterio ſepeliretur, poſſit ſe ordinare ſepeliendum in eccleſia predicta de Braida, & ibi ſepulcrum eligere & habere; ita tamen quod presbiter dicte eccle-

(9) Egimus de hiſce nummis hoc ipſo Vol. pag. 118.

(10) Hocce Henrici Archiepiſcopi decretum non habemus.

(11) Jacobus hic de Garbagnate idem forte eſt, qui an. MCCXXXVII. Mediolanenſis Conſul fuit V. Julii. (*Memor. T. VII. pag.* 514.)

clesie sancti Eusebii, si ibi erit & adesse potuerit & voluerit funerationi seu obsequiis cujuslibet vicini & vicine, qui ibi taliter elegisset sepulturam, requiri debeat & adesse (12), & si presbiter non esset in illa ecclesia; & si adesset, & requisitus interesse nollet vel non posset funerationi predictorum vicinorum & vicinarum, quod nihilominus debeat & possit eo taliter absente sepeliri in ipsa ecclesia de Braida, vel si predictus presbiter, qui esset pro tempore in dicta ecclesia sancti Eusebii, aliquo vicino vel vicina, qui non esset de ordine Humiliatorum, sepulturam ibi eligente, ut supra legitur, non requireretur, ut supra dictum est, vel ipso vicino vel vicina, vel fratribus ipsius domus hoc volentibus quod non requireretur & non interesset, quod nihilominus tantumdem habere debeat predictus presbiter, quantum haberet si interesset funerationi. Pro aliis vicinis, qui essent de ordine Humiliatorum (13), salvum sit jus ipsis Humiliatis de Braida seu ecclesie sue secundum tenorem privilegii concessi eis per Dominum Archiepiscopum. Preterea statuit & ordinavit dictus Dominus Archiepiscopus, quod predictus frater Paganus pro domo sua debeat habere predictas libras trigintatres, quas habitura est predicta ecclesia sancti Eusebii pro predicta compensatione, ut supra dictum est, hinc ad tres annos, nisi infra tres annos repertum fuerit fictum ad utilitatem ipsius ecclesie sancti Eusebii; quod fictum si repertum fuerit, teneatur dictus frater Paganus pro domo sua,

(12) Parochialis juris sepulturam esse, omnes norunt. Hinc cum Braidensibus Humiliatis concessum fuisset, ut exteros etiam homines tumulare iis liceret, id saltem cautum est, ut Parochus ad funus ipsum advocaretur. Enimvero cum Innocentius IV., ut deinde videbimus, an. MCCXLVI. facultatem hanc Humiliatis omnibus fecit, verba illa addidit: *Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, e quibus mortuorum corpora assumuntur*. Quo loco *justitiæ* nomine, id quod ex *justitia* competit significari, per Ecclesias vero, *e quibus mortuorum corpora assumuntur*, Parochiales esse ostendit Van-Espen (*Jur. Eccles. Univ. Par. II. Tit. XXXVIII. Cap. V.*) qui de tota hac re erudite disputat.

(13) Scilicet tertii Ordinis.

sua, & ipsa domus dare & solvere teneatur predictas libras trigintatres tertiolorum in solutione ficti de eis empti, & pro ipsis denariis, si per predictos tres annos tenuerint, solvere teneantur predicto presbitero sancti Eusebii modia tria frumenti quolibet anno, vel pro parte trium annorum, si minus tribus annis eos denarios tenuerint. Post tres annos vero, si dilatatum fuerit ipsum fictum emi ad partem predicte ecclesie sancti Eusebii, dicta domus de braida habere & tenere debeat predictos denarios sine aliqua prestatione predicti ficti, vel aliqua prestatione, donec ipsum fictum emptum fuerit ad partem predicte ecclesie sancti Eusebii; & tunc ipsa domus de braida dare & solvere teneatur dictos denarios in solutione predicti ficti; & in carta emptionis illius ficti contineri debeat, quod dicta domus solvit predictos denarios in eo ficto pro dicta ratione & compensatione. Et pro predictis denariis, quos soluturi sunt, ut supra legitur, & pro aliis que superius leguntur ab hodie in antea, sit ipsa domus & fratres & sorores ejusdem domus absoluti & absoluta ab omni onere, prestatione, & expensis, quas hinc retro facere consueverant & tenebantur predicte ecclesie sancti Eusebii vel occasione illius ecclesie vel aliquo alio modo in presbitero illius ecclesie. Ipse vero frater Paganus pro predicta domo, consensu & auctoritate fratrum suorum, pro quibus ibi erat, ut dixit, remisit istis vicinis omne jus eligendi presbiterum in ipsa ecclesia (14), & omne jus vicinie; & similiter liceat Cagapistis, scilicet Anselmo & Mangiaferro & Guifredo & eorum familiis masculis & feminis eligere sepulturam in ipsa ecclesia de braida, sicut licet vicinis predicte parochie sancti Eusebii. Actum in civitate Mediolani super pala-

(14) Parochi electionem sæpissime ad Parochianos ipsos olim pertinuisse plurimis exemplis docemur. Ut externa omittam, V. Julin. *Memor. T. IV. pag.* 339. 340. 383. 404. *T. V. pag.* 48. 478. 491. *&c.* Quin etiam hujusmodi mos alicubi adhuc servatur.

palacium vetus dicti Domini Archiepiscopi, & inde plures carte uno tenore scribendi rogate sunt. Interfuerunt pro notariis Ambrosius Percossus, & Jacobus de Garbaniate. Interfuerunt testes Petrus beneficialis ecclesie sancti Protasii ad Monachos, filius quondam Benzonis de Cassino, & Ambrosius filius quondam Mussonis Guandarinarii canonicus ecclesie sancti Laurentii; & Landulfus filius Redulfi de Castro Seprio (15), & Albertonus filius quondam Alberti Savoredi, & Aicardus filius quondam Bedulfi de Zibidi, & Bonacosa filius quondam Petri de Era omnes cives Mediolani. Ego Jacobus filius Airoldi cognomine dicti de Garbignate de Braida Guercii notarius, & missus domini Ottonis Imperatoris (16) interfui & subscripsi. Ego Ambrosius filius quondam Jacobi qui dicebatur Percossus de parochia sancti Protasii ad Monachos civis Mediolani notarius domini Henrici Regis interfui ut supra & subscripsi. Ego Guilicionus filius quondam Oldonis Cumini, qui habito in platea Cuminorum (17) civitatis Mediolani nota-

(15) Redulphus de Seprio inter præcipuos Sepriensis comitatus incolas numeratur in charta an. MCXLVIII. apud Julin. *T. V. pag.* 485.; ac forte ille ipse, qui hic Landulphi pater dicitur.

(16) Quanta olim esset Regiorum Missorum dignitas atque auctoritas satis explicant Muratorius *Antich. Ital. T. I. Diss. IX.* ac Cangius in Lexico ad hanc vocem. Regia illi scilicet auctoritate pollebant, ut de pluribus caussis cognoscerent, fraudes prohiberent, &c. Eorum tamen auctoritas paullatim imminui cœpit, eosque Friderico I. Imperatore omnino sublatos arbitrantur Muratorius idem, ac Julinius Memor. *T. VI. pag.* 442. Videmus hic tamen hac ipsa ætate Missos Regios nominari, quos tamen non alia quam Notariorum auctoritate præditos fuisse existimo. Jacobus de Garbaniate Othonis Missus dicitur, Othonis scilicet IV., qui anno MCCXVIII. obierat; reliqui duo Henrici VI. Missi dicuntur, qui jam ab anno MCXC. e vivis excesserat. Sed hujus scilicet appellationis honorem ubi acceperant, eodem semper fruebantur, quamvis Imperator ille obiisset, a quo acceperant.

(17) Nobilissima erat inter Mediolanenses Cuminorum familia, ex qua plures in Julinianis Commentariis proferuntur *T. III. pag.* 478. *T. V. pag.* 497. *T. VII. pag.* 138. Iis autem duos hosce addere licebit, quos hic nominatos videmus, Guilicionum & Oldonem. At plateam hanc Cuminorum nusquam alias commemora-

notarius domini Henrici Imperatoris tradidi & ad scribendum dedi & subscripsi. Ego Girardus filius Petribelli de Vergano civitatis Mediolani de parochia sancti Protasii ad Monachos notarius sacri palatii, parabola (18) Guilicioni Cumini subscripsi.

In Nomine Domini. Anno Dominice Nativitatis 1230. die Jovis Indictione tertia in presentia infrascriptorum testium manifesti & confessi & protestati fuerunt fratres Benedictus de Ovinago, & Petrus de Ovinago, & Omiabene de Modoetia, & Pascalis de Pascalibus, & Bernardus de Tritio, & Petrus de Carate, & Martinus de Ovinago, & Petracius de Albiate, & Albertus de porta Romana, & Rolandus de Plaxencia, & Girardus de Dexio, & Miranus de la Cruce, & Petrus de Binago, & Anselmus de Mucciano, & Guillelmus de Barni, & Ardicus de Conomano, & Balzenus Onderadi, & Otto de Paderno, & Guillelmus de Corcomano, & Antonius de Carate, & Ambrosius de Miriciano, omnes fratres & humiliati predicte domus de braida guercii, quod predicti frater Paganus minister predicte domus, & frater Otto fecerunt, & ordinaverunt, & consensum tribuerunt predictis omnibus, que superius leguntur, eorum parabola, consensu, & voluntate, & ea omnia suo nomine, & nomine capituli & universitatis illius domus approbaverunt, & confirmaverunt, & rata & firma habuerunt, & rata & firma suo nomine & predicte universitatis cum predictis fratribus Pagano & Ottone omni tempore promiserunt predictis Bellino, & Cristiano, & Anrico, & Petro eorum nomine & ad partem predicte vicinie, in iis que pro ipsa vicinia superius scripta sunt, & Jacobo de Garbaniate recipienti ad partem dictorum Anselmi & Mangiaferri & Guiffredi, qui dicuntur Cagapisti & eorum familiarum in iis, que pro eis scripta sunt, & mentio facta est superius. Actum in Civitate Mediolani

tam vidi, nec facile quo loco esset statuere possumus.

(18) V. pag. 110. not. 7.

intus domum illius braide in parlatorio illius braide, & inde plures carte uno tenore fieri rogate sunt. Interfuerunt testes Rogerius filius quondam Arderici de la turre, & Airoldus filius quondam Gandulfi Ranfredi, & Romanus filius quondam Martini de Incino omnes cives Mediolani. Ego Guilicionus filius quondam Oldonis Cumini, qui habito in platea Cuminorum civitatis Mediolani notarius domini Henrici Imperatoris tradidi, & ad scribendum dedi & subscripsi. Ego Girardus filius Petribelli de Vergano civitatis Mediolani de parochia sancti Protasii ad Monachos notarius sacri palatii parabola Guilicioni Cumini subscripsi.

In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus, & sigilli nostri munimine roborari. Dat. Rome apud Sanctum Petrum die Mercurii tertio Martii an. Dom. 1279. Indictione septima, pontificatus domini Nicolai pape tertii anno secundo.

Pendet sigillum cereum sed infractum.

Literæ Gregorii IX. ad Humiliatos Omnium SS. de Fossato alto.

1231. 15. Jan. Ex Cod. Puric.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Præposito & Fratribus Ecclesiæ Omnium Sanctorum de Fossato alto Laudensis Diœcesis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Libertates Ecclesiarum, quas ab aliis defensare tenemur, requisiti debemus Apostolico Munimine confovere, ut Ecclesiasticæ Libertatis beneficio liberiùs perfruantur, & minùs super hoc possint pravorum Hominum molestiis agitari. Sanè Bonæ Memoriæ . . . . Albanensis tunc electus Apostolicæ Sedis Legatus (1) piè considerans quòd octoginta Religiosæ Personæ inter Viros & Mulieres in Ecclesia vestra Divinis

(1) Gerardus de Sessa, ni fallor, indicatur, de quo vide, quæ superius diximus pag. 154.

nis sunt obsequiis mancipatæ, quæ passim pauperes & peregrinos transeuntes recipiunt, & eis necessaria subministrant, per Litteras duxit, sicut & easdem inspeximus, providendum ne per Episcopum Laudensem vel Commune Civitatis aut aliam Personam pro expensis exigatur aliquid ab eadem, reservato sibi in dicta Ecclesia prædicto Episcopo, de consensu Capituli sui, tantum unius libræ cereum annuatim, confirmationem Præpositorum suorum, nulla tamen ab eis obedientia præstita vel petita, Clericorum Ordinationes; & quod Fratres extraneis ad Episcopum conquerentibus in ejus præsentia respondebunt, sicut in ipsius Ecclesiæ Privilegiis & Instrumentis publicis dicitur contineri. Unde Nos devotis vestris supplicationibus inclinati quæ per eumdem Legatum & Episcopum piè ac providè facta sunt in hac parte, Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis Scripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc Paginam Nostræ Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum. Datum Laterani 18. Cal. Februarii, Pontificatus Nostri Anno quarto.

Literæ Gregorii IX. ad Humiliatos eosdem.

Circa an. 1231. Ex Cod Puric.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præposito & Capitulo Ecclesiæ Omnium Sanctorum de Fossato Alto Laudensis Diœcesis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est Nos facilem præbere consensum, & vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu consequente complere. Eapropter, Dilecti in Domino Filii, vestris justis precibus inclinati, Ecclesiam Sanct.

Geor-

Georgii (1) sitam propè Ecclesiam vestram, cum omnibus possessionibus & pertinentiis suis, quam Bonæ Memoriæ A. (2) Laudensis Episcopus, Capituli ejus accedente consensu, pia vobis liberalitate concessit, sicut ea omnia Ecclesia vestra justè possidet ac quietè, ut in Instrumento inde confecto pleniùs continetur, Vobis & per Vos ipsi Ecclesiæ Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis Scripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc Paginam Nostræ Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis verò hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum. Dat. . . . . Cal. Januarii, Pontificatus Nostri, Anno. (3).

(1) Vide quæ supra adnotavimus pag. 9.

(2) Ardericus Laudensis Episcopus, qui S. Georgii Sacellum Humiliatis concessit. V. infer. Monum. an. MCCXXXIII. 15. Aug.

(3) Omnes temporis notæ desunt, sed videntur hæ literæ eodem fere tempore ac superiores datæ fuisse.

Gregorii IX. licentia prestandi & exigendi juramentum.

1232. 8. Jul. Ex Biblioth. Braid.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis de Lombardia & de Marchia prepositis & fratribus humiliatorum, salutem & apostolicam benedictionem. Devotionis vestre supplicationibus inclinati prestandi ac exigendi juramentum cum necessitas aut utilitas probabilis id exegerit, vobis auctoritate presentium licentiam indulgemus (1). Nulli ergo omnino

(1) Videtur has literas Gregorius scripsisse ut Humiliatos molestiis, quas juramenti caussa patiebantur, liberaret.

nino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Spoleti VIII. Id. Julii (2) Pontificatus nostri anni sexto.

(2) Gregorius Calendis Junii. Roma discesserat, quo die Urbs horrido terræ motu quassari cœpit, qui mensem integrum tenuit. V. Pagium in Vita Gregor. IX. num. 26. Per aliquot porro menses nunc Reate, nunc Spoleti sedem habuit.

Excerpta ex monumento inscripto.

1233. 25. Aug. Ex Tabul. Episcop. Lauden. sic inscripto:

TEstes producti in questione que fuit inter dominum O. episcopum laudensem (1) *& prepositum & fratres domus omnium sanctorum* (2) *super subjectione ipsius domus, & ecclesie sancti georgii.*

In nomine domini probare intendit Zanebellus de mellese sindicus prepositi & capituli ecclesie omnium Sanctorum nomine & vice ipsius ecclesie in causa quam habet cum domino O. dei gratia laudensi episcopo coram domino archipresbitero modoetiensi subdelegato ab episcopo parmensi, quod prepositus ipsius ecclesie & alii prepositi omnes qui fuerunt in ecclesia omnium Sanctorum a tempore hedificationis illius ecclesie infra steterunt & fuerunt in administratione & prepositura illius ecclesie absque aliqua missione in possessionem vel quasi preposituree sue dignitatis illius ecclesie facta per supradictum dominum episcopum vel antecessores illius domini episcopi.

Item

(1) Othobellus Suffientinus Laudensis Episcopus indicatur, qui ab an. MCCXXIX. ad an. MCCXLIII. Laudensi Ecclesiæ præfuit. V. Cl. P. Zachariæ *seriem Episcop. Laudens. pag. 217. & sequ.*

(2) Eadem quæ de Fossadolto dicebatur, de qua V. sup. pag 180.

Item probare intendit, quod ipsi prepositi sive ipsa ecclesia ab ipso tempore infra quo fuit hedificata, steterit & fuerit absque aliqua procuratione ex debito data in ipsa ecclesia sive pro ipsa ecclesia omnium sanctorum prefato domino episcopo vel antecessoribus suis vel ejus notariis.

In nomine domini amen. Testes Zanebelli de mellese sindici domini prepositi & domus omnium sanctorum vice & nomine illius domus contra dominum O. dei gratia laudensem episcopum nomine suo & episcopatus MCCXXXIII. die veneris XV. die augusti.

Dominus Ugo frater & alias prepositus ecclesie seu domus omnium sanctorum juratus...... & dixit, quod dominus prepositus lafrancus (3) fuit prepositus in dicta ecclesia omnium sanctorum ante se testem, nec credit nec scit quod ipse dominus prepositus lafrancus foret positus in possessione vel quasi vel in cathedra sue prepositure per episcopum laudensem nec per notarium, & quod prepositus lafrancus fuit primus prepositus in dicta ecclesia; & dixit quod ipse testis fuit prepositus dicte ecclesie post ipsum dominum prepositum lafrancum, & nec scit nec credit similiter de se quod dominus episcopus laudensis interfuisset nec ejus notarius, neque quod eum in possessionem vel quasi posuisset, neque in sedem sue prepositure illius ecclesie. Item dixit quod nec credit nec scit, quod dictus dominus episcopus aut ejus notarius fuisset presens, quando fuit factus vel inductus in possessionem vel quasi vel in cathedram dominus dom Ubertus, qui nunc est prepositus illius ecclesie; nec scit nec credit quod aliquis notarius domini episcopi suprascripti interfuisset ad predicta vel in predicta confirmatione. Item dixit quod nec credit nec scit, quod per se nec per alios prepositos, qui fuerunt ante se vel

(3) Idem ille scilicet, qui Romam ad Innocentium III. missus est, ut suorum leges Pontificia auctoritate comprobarentur.

vel modo est fuit fuisset (*ita*) facta aliqua procuratio vel data ex debito a se vel a dictis aliis prepositis domino episcopo laudensi, qui modo est, nec suis antecessoribus seu notariis suis quantum pro dicta ecclesia omnium sanctorum. Interrogatus si posset aliquis prepositus esse missus in possessionem vel quasi dicte ecclesie. Respondit posset esse, tamen non credit fuisse. Interrogatus quot anni sunt, quod ipse est frater suprascripte domus. Respondit quod credit firmiter quod sunt XXX. anni & plus. Interrogatus quot anni sunt quod hec ecclesia fuit edificata. Respondit quod credit esse annos XXXI. & plus quod fuit edificata. Interrogatus quot prepositi fuerint in dicta ecclesia a tempore edificacionis infra. Respondit tres tantum, scilicet prepositum lafrancum, qui fuit primus prepositus in dicta ecclesia, & ipse testis qui fuit secundus, & dominus Ubertus, qui est modo prepositus. Interrogatus si illa procuratio, que fuit facta a septem annis infra, que fuit prestita suprascripto domino episcopo habenti secum dominum presbiterum petrum bradam & magistrum frugerium canonicos fuit prestita ex debito. Respondit quod tantum pro ecclesia sancti georgii facta fuit per se ipsum & non pro suprascripta ecclesia omnium sanctorum; & dixit quod semel tantum dedit ex debito ei domino episcopo commedere pro suprascripta procuratione pro ecclesia tantum beati georgii. Interrogatus si fratres dicte domus consueverunt obedire suprascripto domino episcopo in justitia facienda extraneis. Respondit quod sic consueverunt. Interrogatus si frater anricus, qui fuit frater hujus domus seu ecclesie fuit conquestus domino episcopo de eo domino Ugone tunc preposito suprascripte domus. Respondit sic fuit, tamen dixit, quod nullo tempore fuit frater suprascripte ecclesie. Interrogatus si ipse testis tunc obedivit suprascripto domino episcopo in his que statuit in ipsa causa predicti fratris anrici; Respondit posset esse, tamen non recordatur. Interrogatus si domina Marta spazamensa soror tunc dicte domus fuit

conquesta domino episcopo suprascripto de se teste tunc preposito suprascripte ecclesie; Respondit quod non recordatur, & dixit quod dicta domina martha non erat nec aliquo tempore fuerat soror suprascripte ecclesie.

Frater Vitalis remisso sacramento dixit quod ipse testis est frater suprascripte domus & ecclesie anni sunt XXXIII. & plures, & fuit de primis qui fuerunt ad dictam ecclesiam, & dixit quod dicta ecclesia fuit edificata anni XXXIII. & plures sunt, & nomquam vidit nec audivit, quod dominus episcopus laudensis haberet aliquid facere nec aliquod jus in dicta ecclesia, nisi unum cereum, qui datur ei pro censu annuatim. Et dixit quod suprascripta ecclesia est libera & franca sine contradiccione aliqua, & de hoc habet bona privilegia dicte ecclesie facta & concessa de libertate dicte ecclesie a domino papa Innocentio, ut credit, quod fuit dominus papa Innocentius, qui fecit & concessit ei dicta privilegia (4), & dixit quod nescit nec audivit dici, quod prepositi dicte ecclesie fuissent positi in possessione vel quasi prepossiture sue dignitatis illius ecclesie per dominum episcopum laudensem vel ejus antecessores seu notarium. Dixit tamen, quod quando dominus prepositus lafrancus obiit, tunc fuit ad corpus suum dominus ardericus (5) tunc episcopus laudensis, sicut alii homines, sed non venit quod aliquid haberet ad faciendum in confirmatione vel possessione vel quasi dicte prepossiture facte, quando dominus frater ugo fuit tunc prepositus. Interrogatus quomodo scit, quod dicta ecclesia est libera & franca, & quod dominus episcopus laudensis non habet aliquod jus in ea, quod facere ex debito teneantur pro ipsa ecclesia preter dictum cereum. Respondit

(4) Innocentii III. literas indicare videtur, quas supra pretulimus pag. 151.

(5) Ardericus antea Canonicus ac Laudensis Ecclesiæ Cathedralis Præpositus, tum deinde Episcopus ab an. MCLXXXIX. ad an. MCCXVII. V. Zachar. *Ser. Laud. Episc. pag.* 224. & *seqq.*

dit ſicut ſemper habet auditum. Interrogatus ſi pro eccleſia ſanCti georgii faciunt & fecerunt fratres & prepoſiti dicte eccleſie aliquid ex debito. Reſpondit ſic, quod quando veniunt cardinales, vel quod dominus epiſcopus facit vel taliat aliquod fodrum pro ſua eccleſia, quod taliat eccleſie ſupraſcripte pro Eccleſia ſancti georgii ſuam partem de eo debito vel de ipſa talia. Interrogatus ſi frater anricus ſacerdos fuit frater dicte eccleſie & ſtetit ad ipſam eccleſiam pro fratre. Reſpondit quod audivit dici, quod fecerat profeſſionem dicte eccleſie, & quod ſteterat apud dictam eccleſiam pro fratre, tamen parum dicitur ibi ſtetiſſe; ſed ipſe teſtis tunc non erat apud ipſam eccleſiam, nec vidit ipſum fratrem anricum ad dictam eccleſiam, neque facere profeſſionem, quia ipſe teſtis eo tempore iverat extra dictam domum, quia per plures annos ſtetit inter bergamum & bononiam ad ſuas domos que ſunt in illis civitatibus. Interrogatus ſi dictus frater anricus conqueſtus fuit domino O. epiſcopo laudenſi de domino fratre Ugone olim prepoſito dicte eccleſie. Reſpondit quod audivit dici quod habuit verba cum eo, ſed neſcit illud quia non erat domi predicte tunc. Interrogatus ſi domina Martha ſpazamenſa fuit ſoror dicte eccleſie, & ſi fecit profeſſionem, & pro ſorore ſtetit in dicta domo ſeu eccleſia. Reſpondit quod ipſa domina Marta fecit donacionem de ſuis rebus in predictam eccleſiam, & parva puella erat, & parum ſtetit in ea eccleſia; dixit tamen quod non fuit ad ipſam donacionem, neque ad cartam donacionis vel profeſſionis faciendam, ſed ſicut ipſe dici audivit, quod de ipſa donacione facta fuerat carta a teſtibus; & dixit quod ipſa Martha penituit ſe & ivit laudam ad domum ſuam, & voluit ſe maritare, & quod certum quod dabatur ei pro ſupraſcripta eccleſia pro diſpendio & alimentis ſtando ipſa laude ad domum ſuam cum matre ſua; & dixit quod nexit quod illa conqueſta fuerit de domino prepoſito Ugone coram domino epiſcopo laudenſi, quia de eo non recordatur; dixit tamen quod dici audivit, quod

fecerat preconizari per civitatem Mediolani, quicumque vellet eam accipere in uxorem quod se nubere volebat, tamen nescit illud pro certo; sed multam brigam dedit ipsi domino Ugoni preposito, & ipsi ecclesie, & aliud nescit. Interrogatus quot prepositi fuerunt in dicta ecclesia, respondit tres jam nominatos supra.

Frater Joannes, qui fuit de verona, remisso ei Sacramento dixit voluntate propria die veneris XV. die augusti, quod sunt anni XXIIII. quod ipse est frater dicte ecclesie omnium sanctorum, & semper dici audivit quod dicta ecclesia omnium sanctorum est exempta, & quod nullum dacium vel condictum dat nec prestat domino episcopo laudensi, nec suis antecessoribus dedit nec prestavit; nisi quod scit quod datur domino episcopo laudensi, & dari consuetum est per ipsam ecclesiam cereus unus unius libre cere in omni vigilia seu festivitate sancti baxiani, & dixit quod recordatur bene, quod vidit dominum ardericum episcopum laudensem & dominum ambroxium (6) & dominum episcopum Jacobum de Cerreto (7), & dominum O. modo episcopum, & nonquam vidit nec audivit, quod peterent aliquod jus in ipsa ecclesia nec in possessione vel quasi, neque in missione alicujus possessionis alicujus prepositi, qui fuisset in dicta ecclesia, vel in eo qui modo est, & semper vidit stare eos prepositos, videlicet dominum presbyterum ugonem, qui fuit prepositus, & dominum ubertum, qui modo est in administratione hujus ecclesie, & non vidit ex debito facere aliquod servitium domino

(6) Ambrosius de Cornu anno MCCXVIII. Laudensis Episcopus inauguratus, eodem anno e vivis excessit.

(7) Jacobus de Cerreto, Cistertiensis Monachus, anno MCCXVII. Laudensi Ecclesiæ præfectus est. Hunc antequam inaugurateur, fatis concessisse scribit Ughellius in Episc. Laudens. Cum tamen hic inter Laudenses Episcopos numeretur, qui Episcopali jure in Humiliatorum Ecclesiam uti potuissent, videtur saltem ad breve tempus sedem illam tenuisse.

mino episcopo laudensi, vel alicui episcopo, nec eorum missis, nisi forte ex gratia; &c.

Soror Flora de castello, que est magistra (8), remisso sacramento dixit suprascripto die veneris, quod hec ecclesia edificata est XXXIII. anni sunt hodie in ista die, & dixit quod ipsa testis fuit de primis sororibus que fuerunt ab inicio ad edificationem suprascripte ecclesie, & dixit, quod hec ecclesia omnium sanctorum stetit multum ad edificandum, videlicet a festivitate beati johannis bautiste usque hodie; quia dominus episcopus ardericus, qui tunc temporis erat episcopus laudensis volebat quod hec ecclesia deberet esse sub ejus providencia & forcia, & ob hanc causam ita stetit . . . . quia nollebant concedere fratres & sorores concedere (*ita*) domino episcopo aliquam potestatem in dicta ecclesia ex aliquo debito, quia dominus quondam lanfrancus prepositus hujus ecclesie dicebat, quod bonum habebat privilegium edificandi hanc domum, & ecclesiam quocumque volebat sine consensu & auctoritate domini episcopi suprascripti; & dixit quod nomquam audivit dici, quod ille dominus ardericus episcopus habuissent & habere deberent aliquam partem in prepositura illius ecclesie vel missione in possessione illius dignitatis prepositure dicte ecclesie, nisi tantum ad confirmandum facta ellectione per fratres tantum & sorores dicte ecclesie, & non consuevit venire aliquo tempore dominus episcopus vel ejus antecessores, quod aliquid fieret ei per prepositum ipsius ecclesie ex debito; tamen per gratiam faciebat ei semper servicium & honorem tamquam patri & domino suo reverendo in christo; dixit tamen, quod datur ei semper in festo sancti baxiani cereus unus, sed dixit quod dici audivit quod ille dominus episcopus ardericus redde-

(8) Magistræ aut Ministræ nomine illa apud Humiliatos vocabatur, quæ Monialibus ceteris præerat, quamvis eas domos incolerent, quæ viris, ac mulieribus communes erant.

reddebat fratribus dicte ecclesie dictum cereum pro dilectione quam habebat in dicta domo, sed bene poterat tenere illum si volebat, & quando volebat. Interrogata si possent predicta fuisse facta ipsi domino episcopo vel ejus antecessori aut notario, quin sciret, Respondit; non, quia tantum tres prepositi fuerunt in hac ecclesia ab edificatione infra, videlicet dominus prepositus lafrancus, dominus ugo prepositus, & dominus ubertus, qui modo est prepositus. Item dixit quod ecclesia sancti georgii ante edificationem hujus ecclesie erat domini episcopi arderici cōdā, & dixit quod quadam vice iverat ad dictam ecclesiam, & tunc dominus prepositus & fratres & sorores illius ecclesie prociderunt se & supplicaverunt pedibus illius rogantes eum ut dei amore daret eis dictam ecclesiam sancti georgii, & tunc ipse dominus episcopus misericordia motus amore dei concessit eis dictam ecclesiam sancti georgii. Interrogata si aliquid ex debito debebant vel dare consueverant ipsi domino episcopo vel ejus successoribus. Respondit quod nexit quia postea dominus prepositus lafrancus misit romam pro ipsa ecclesia & aliis negociis, ut dici audivit, sed nexit quomodo factum illud fuisset. Interrogata si a septem annis infra dominus Ottobellus nunc episcopus una cum presbitero petro de bradis & magistro frugerio canonicis suis fuit ad dictam ecclesiam, & si illa procuracio que tunc fuit sibi data in ipsa ecclesia fuit ex debito, vel saltem si aliqua procuracio debetur ei pro ecclesia sancti georgii ex debito, respondit quod possunt esse anni IIII. vel tres in festivitate beate Marie Magdalene quod ipse dominus episcopus, & dicti canonici sui fuerunt ad dictam ecclesiam, & quod tunc predicavit in dicta ecclesia, & iterum venit in vigilia dicte festivitatis, & in alia die recessit, & fecerunt ei servicium & honorem tamquam domino; tamen nexit quod illa procuracio, vel quod ei factum fuit, quod foret factum ex debito vel gratia. Interrogata de aliis capitulis dixit nihil amplius scire, nisi quod dixit, quod audivit dicere quod frater

frater anricus habuit causam coram domino Episcopo cum suprascripto preposito Ugone similiter & domina Martha.

In alia charta separata ejusd. archivii.

Ego Andreas corvus (9) clericus plebis de cavenago procurator domini O. episcopi & episcopatus laudensis in causa quam videtur sibi movere ubertus prepositus omnium sanctorum laudensis diocesis coram vobis magistro rufino canonico XII. apostolorum, cui causa videtur esse commissa, constitutus in presentia vestra propono has infrascriptas exceptiones contra rescriptum (10), quod videtur per ipsum prepositum ad vos impertitum, & contra personam impertientis. In primis dico impertitorem esse excommunicatum, unde dico rescriptum non tenere nec vos debere procedere secundum tenorem talis rescripti. Item dico predictum rescriptum fuisse impertitum tacita veritate & suggesta falsitate, qua expressa & qua tacita non habuisset supradictum rescriptum. Tacuit enim domino pape, quod predictus dominus episcopus excommunicaverat eum occasione cujusdam capelle, pro qua tenetur idem prepositus eidem episcopo obedire; unde quia idem prepositus denegat ipsi episcopo obedientiam & reverentiam, idcirco ipse dominus episcopus innodaverat eum prepositum vinculo excommunicationis; quod si narrasset & dixisset domino pape, non concessisset litteras sub tali forma; unde dico tale rescriptum falsum esse, & ipsum puniendum tamquam falsarium. Suggessit quoque falsitatem, quia dixit domino pape, quod impediebat officium visitationis, & propter illud officium excommunicatum eum; quod falsum est; quod si tacuisset rescriptum non esset sibi concessum in tali forma, & ita debet carere ipso rescripto impertito, & vos non debetis procedere occasione talis rescripti. Va-

(9) Idem hic Andreas Corvus nominatur in Laudensi monumento an. MCCXXI quod protulit P. Zacharia in *Serie Episcop. Laud.* pag. 225., diciturque *Episcop. Canevarius*.

(10) Gregorii IX. literas intelligit an. MCCXXX. XVIII. Cal. Febr. datas, quas supra protulimus.

Varisiensis domus S. Martini fundatio.

1233. 16. Maji Ex Tabul. Monial. S. Martini Varis.

IN nomine domini. Anno dominice Incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo tertio, die lune, sextodecimo die madii, Indictione sexta. In presentia infrascriptorum testium. Coram domino fratre petro de paida (*lege* Padua) ordinis pauperum minorum, in seprio & cumano episcopatu & in pluribus partibus istius ordinis prelato (1) & ipso laudante & approbante, & coram domino codemallio de pustella potestate burgi de Varisio (2) & . . . . & christophano ejusdem burgi consulibus & eis approbantibus & suum decretum interponente, ad honorem Dei, & biatissime virginis Marie, & que dicenda est de virginibus, inserto sic nomine (3), per prefatum dominum fratrem petrum ad secundum ordinem (4) eo constituendum, francischus de fossato de burgo Varisio, voluntarie & viva voce, & alta multum, obtulit dedit & contradidit dominium & possessionem ad dictum ordinem

(1) Miror Petri hujus de Padua Ord. Minorum nullam esse apud Wadingum mentionem. Primus Varisiensis S. Francisci Ecclesiæ lapis ab eo jactus est circa annum MCCXLI., ut ex monumento ibidem asservato constat, quod publici juris fecit Cl. Julinius (*Mem T. VIII. pag 6*). At ex documento nostro Minores aliquot ante annis Varisii fuisse colligere videmur. Sui Ordinis sociis in Seprio, quæ Mediolanensis agri pars est & in Novocomensi diœcesi atque alibi commorantibus Petrus præerat.

(2) Clarissimus sæculo XII. inter Mediolanenses fuit Codemallius de pusterla, anno MCLIX. in Cremensi obsidione miserrimum in modum cæsus, ut videre est apud Othonem Morenam in Histor. Rer. Laudensium. Quem hic Varisiensem Prætorem videmus eodem prænomine appellatum, probabile est ex nobilissima ejusdem familia genitum fuisse.

(3) Obscura prorsus loquendi ratio, quæ sic explicanda videtur; domum scilicet illam, cujus hic origo describitur, in Deiparæ honorem *de Virginibus* appellandam esse. Enimvero ita factum fuisse ostendimus VOL. I. Diss. VII. P. I. num. 47.

(4) Nempe Humiliatorum.

dinem conservandam in ser giroldum ponzonum (5), & ugonem ser raineri de busti, & bernardum Caldirarium de Massenago fratres penetentie (6) plebatus de Varisio, Recipientes nomine & ad partem omnium illorum tam masculorum quam feminarum, qui in predicto ordine habitant usque in infinitum ad habendum & tenendum & possidendum proprietario nomine sedimine de sancto Martino, in quo consueverat habitare in contrata de sancto Martino cum area & orto & omni utilitate ipsi sedimini adjacente, cui est a mane super totum Varisii de gibelloto, a meridie magni de gibelloto, a sero via, a monte varisii de sapia cum superiore & inferiore, & fine, & accessione, & jure, & actione, ingressu & regressu, & regressibus & omnibus utilitatibus ipsi sedimini & curie adjacente ad presens dedit eis de ipso sedimine corporalem possessionem, & dominio, ut de cetero dedicati ipsi or-

 dini,

(5) Giroldus hic ipse videtur deinde huic domui praefuisse. Etenim in charta an. MCCLIX. X. Apr. apud Varisienses S Martini Humiliatas habemus: *Frater Giroldus Minister domus congregationis virginum de sancto martino*.

(6) Plures erant Regularium hominum coetus saeculo XIII. qui *Fratres de Poenitentia appellabantur*. Ac primo illi, qui alio etiam nomine *Fratres de Sacco*, seu *Saccati* dicebantur, de quibus videndus Helyottus (*Hist des Ord. Relig T. III. cap XX.*) Praeterea tertii Ordinis Franciscani Fratres seu qui proprias aedes incolerent, seu qui claustralem vitam ducerent hoc nomine appellatos fuisse & Pontificeum literae apud Wadingum *T. II pag. 601. ec.* & Helyottus *T. VII Cap XXIX.* testantur. Eadem denique appellatione designatos fuisse humiliatos, etsi cetera deessent, hoc monumento evincitur. Dubitare tamen possumus alterius ne an tertii Ordinis Humiliatis nomen hoc conveniret. Equidem arbitror tres hosce Humiliatos ad tertium Ordinem pertinuisse, qui deinde hac domo collecti alteri Ordini nomen dederint. Video enim illos appellari *plebatus*, seu plebis, *de varisio*, quae loquendi ratio illud ni fallor indicat, certam nullam domum illis fuisse, quam si habuissent, ab eadem omnino nomen duxissent. Itaque cum in suis singuli domibus viverent, ut eorum coetus ab aliis quoquomodo distingueretur, illos appellari audimus *plebatus de varisio*. Certe alterius Ordinis Humiliatos numquam ego *Fratres de Poenitentia* dici animadverti. Contra Guidonem de Subinago tertii Ordinis Humiliatum, Fratrem de Poenitentia appellari videmus apud Julin. (*Memor. T. VII. pag. 539.*)

dini, & eorum conſentientes & (*cui*) dederint habeant & teneant, & poſſideant, & faciant exinde ſuum utile. Quidem & inſuper promiſit & guadiam dedit obligando omnia ſua bona prout obligavit ſe defendendum iſtud ſediminem ab agentibus pro ſuis datis & factis & obligationibus, ſuis expenſis & damnis; & ceſſit eis ad preſens habitatoribus ipſorum domus omnia jura & actiones & raciones reales, exceptiones, & replicationes ſibi competentia & competentes in integrum in dicto ſedimine, & ejus occaxione. Et hoc totum fiat titulo obligationis & pietate Dei, & miſericordia & remedio anime ſue, & in manu & poteſtate . . . . ando ſe velle in iſtum ordinem permanere, & ſe ipſi dedicare, & Deum ſervire. Et ſi non valet ipſius titulo, inſtituit valere & tenere titulo donationis ad preſente die & hora. In omnia revocabiliter non obſtante aliquo jure & privilegio ſeu ſtatutas conſuetudo, que poſſit vel alegare poſſet. Pro ſtatuendo & obſervando omnibus capitulis dictus franciſchus oſculatus eſt biatiſſimam crucem, quam idem dominus frater petrus presbiter de padua, & predicti ordinis prellatus manu tenebat, preſente domino prepoſito de lezoduno (7), & prinoto dado de aplano, & albergando filio mei Rugerii notarii. Et teſtes ſer rugerius de ſer malguardato de bimio ſuperiori, & albergandus filius ſer guillelmi de canali, & Jacobus filius quondam ſer Jacobi de bimio, & ſer ardizonus filius quondam ſer ardizoni de induno, qui ſtat in loco beſugio, & alii plures, & etiam plurium locorum numerabilium.

Ego Mapheus notarius filius quondam bergonzii de burgo Variſio juſſu Johannis belli filii quondam albergandi prinadi, qui habebat penes ſe imbreviaturas quondam Rugerii prinadi avi ſui, & qui ſucedebat bona dicti Rugerii, & qui a me mapheo notario legebat dictas imbreviaturas, ſcripſi,

Be-

(7) Vulgo *Leggiuno* pagus ac plebs ad Seprium pertinens.

Berardi Modoetienſis Archipresb. Literæ, quibus Humiliatis Modoetienſis domus S. Agathæ Eccleſiæ conſtruendæ facultatem facit.

Edit. a Juſinio *Memorie T. VII. pag.* 591.

Circa an. 1233. 17. Oct. Ex Tabul. Capit. Modoet.

Privilegium quod prepoſiti abſolvere poſſint ab excomunicationibus intrantes religionem humiliatorum.

1236. 20. Febr. Ex Bibl. Braid.

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis prepoſitis ordinis humiliatorum ſalutem & apoſtolicam benedictionem. A nobis humiliter poſtulaſtis, ut cum plures eorum, qui de ſeculo ad veſtri ordinis obſervantias convertuntur, ſe confiteantur talia commiſiſſe, propter que ipſo facto excommunicationis laqueum incurrerunt, nec poſſunt, niſi auctoritate Romani Pontificis abſolutionis beneficium obtinere, ſuper hoc providere paterna ſollicitudine dignaremur, ne occaſione ſue abſolutionis a converſionis propoſito revocentur. Cum igitur favorem religio mereatur, & utilitas diſpenſationem inducat, auctoritate preſentium indulgemus, ut talibus, eis dumtaxat, qui in conventualibus domibus veſtri ordinis admittuntur, juxta formam Eccleſie, illis exceptis quorum exceſſus adeo eſt difficilis vel enormis, quod merito ad ſedem apoſtolicam ſint mittendi, abſolutionis beneficium impendatis, proviſo tamen, ut quibus damna vel injurias intulerunt, congrue ſatisfiat. Dat. Viterbii X. Cal. Martii, Pontificatus noſtri anno nono.

Gregorii IX. Sigillum ut ſupra.

Privilegium Villelmi Archiep. Mediolanen., ficut concedit licentiam fratribus & fororibus fecundi ordinis habendi cæmeteria.

1236. 12. Oct. Ex Cod. Puricell.

VIllielmus miferatione divina Sanctæ Mediolanenfis Ecclefiæ Archiepifcopus (1) dilectis filiis univerfis Ecclefiarum Prælatis & Clericis, ad quos litteræ hæ pervenerint, falutem in Domino, & in omnibus fpiritum boni confilii & fortitudinis. Noveritis nos nuper recepiffe litteras a Summo Pontifice in hunc modum:

Gregorius Epifcopus fervus fervorum Dei venerabilibus fratribus Archiepifcopo Mediolanen. & Suffraganeis fuis falutem & apoftolicam benedictionem. Congruam officii noftri profequimur actionem, viris religiofis exhibendo nos in fuis petitionibus favorabiles, & benignos, cum plantare facram Religionem & fovere plantatam modis omnibus debeamus. Cum igitur ex parte præpofitorum & miniftrorum Ordinis Humiliatorum nobis fuerit humiliter fupplicatum, ut in locis fecundi Ordinis habendi Religiofos Sacerdotes (2), *qui fratribus & fororibus eorum ecclefiaftica facramenta miniftrent, & Cæmeterium ad opus fratrum & fororum ipfarum præfertim (eum non expediat ut mulieres religiofæ per vicos hac occafione difcurrant* (3)) *licentiam eis concedere dignaremur,*

(1) Guillelmus Ruzzolius anno MCCXXX. ad Mediolanenfem Sedem evectus. Anno MCCXLI. e vivis ereptus. V. Saxii *Ser. Archiep. Mediol. T. II. pag. 682. ec.*

(2) Ex ipfis fcilicet fecundi Ordinis Humiliatis. Neque enim erat, cur ad exteros Sacerdotes advocandos facultatem Gregorius concederet. Hoc ipfum fpectant Innocentii IV. literæ an. MCCXLVI. XIII. Nov. datæ, quas mox proferemus.

(3) Ex his Gregorii verbis, ac præterea ex innumeris aliis monumentis colligimus, eam fuiffe apud Humiliatas Virgines claufuræ rationem, ut inde exire juftis de cauffis liceret. V. Vol. I. Differt. VII. initio.

remur, nos de vestra fraternitate plenam in domino fiduciam obtinentes, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus in prædictis locis vestrarum Civitatum & diocesium postulata concedere procuretis, proviso tamen quod Ecclesiæ vicinæ consuetis oblationibus non fraudentur (4), *& alias sui dispendium non incurrant, cum sic velimus istis in his, quæ secundum Deum postulant, providere, ut Ecclesiarum ipsarum justitiam non lædamus. Dat. Viterbii decimoquinto Calend. Febr. Pontificatus nostri anno nono.* Hinc est quod nos reverenter & devote mandata apostolica, sicut tenemur, adimplere volentes, postulata ab ipso Domino Papa a nobis libenter concedimus, secundum quod in prædictis litteris continetur. Reddantur litteræ. Dat. anno Dominicæ Incarnationis 1236. duodecimo die mensis Octobris.

(4) Vide monumentum allatum pag. 173.

Jacobi Veronensis Episcopi literæ, quibus in domo de Jebeto, olim Humiliatis concessa, Canonicorum S. Marci leges servari imposterum jubet.

Edit. a Blancolinio *Chiese di Verona T. IV. pag.* 808.

1239. 25. Aug.

Ardingi Episcopi Florentini literæ, quibus Humiliatis S. Donati ad Turrim ædem attribuit.

Editæ sunt a Cl. Lamio in Ephemer. literar. an. MDCCLVI. XIV. Maji, & post illum a P. Richa S. J. Vol. VI. Eccles. Florentin.

1239. 26. Sept.

Pri-

Privilegium Innocentii IV. ficut primus Magifter Ordinis fuit ab Ordine electus & poftea confirmatus.

1246. 13. Oct. Ex Cod. Puric.

INnocentius Epifcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Præpofitis, Prælatis, Miniftris, & univerfis Fratribus & Sororibus Ordinis Humiliatorum falutem & Apoftolicam benedictionem. Acceptæ Deo & hominibus Religionis veftræ divifionis periculum ab inimici aftutia formidantes, & folliciti fervare juxta confilium Apoftoli unitatem Spiritus in vinculo pacis, ut quafi unum corpus unum caput habentes, uni Deo & Domino poffitis eo perfectius quo communius defervire, quofdam ex fratribus veftris dudum cum veftris litteris ad noftram præfentiam deftinaftis, per quos fuit nobis ex parte veftra humiliter fupplicatum, ut vobis quafi acephalis, ac Religioni veftræ velut naviculæ abfque prora projecta in maris fluctibus conftitutæ, providere de uno capite Præpofito vel Magiftro de benignitate Sedis Apoftolicæ curaremus, fub cujus regimine valeretis Deo, & Sanctæ Romanæ Ecclefiæ ficut rectius fic utilius famulari. Nos autem devotionem veftram paternæ dilectionis ofculo intuentes, & Religionem veftram cupientes in Deo promovere, etfi expreffæ petitioni veftræ non annuerimus illa vice, profpectius tamen vobis duximus confulendum, ut videlicet unius ex Fratribus noftris vos commendaremus cuftodiæ, cujus fulti patrocinio, & confilio gubernati tam in hoc quam in aliis poffetis firmius figere greffus veftros, & defideria veftra nobis & Fratribus noftris familiarius & plenius exhibere. Qua utique follicitudine Ven. fratri noftro O. Epifcopo Portuenfi (1) com-

(1) Otho Candidus feu Blancus Guillelmi III. Montisferrati Marchionis filius S. R. E. Cardin. hic indicatur, de quo plura apud Ciaconium & Oldoinum in Vita Gre-

commissa & ab eo reverenter suscepta, idem sollicita meditatione attendens vos ad unum caput habendum vestrum unanimem duxisse consensum, & perpendens nihilominus nostri consensus beneplacitum non procul a vestra petitione remotum, vos in generali Capitulo constitutos per suas literas animavit, ut ad providendum vobis de uno capite sicut canonice ac utiliter, sic etiam intrepide curaretis. Vos autem ejusdem confortati consilio dilectum filium Fr. Bertraminum tunc Præpositum S. Lucæ Brixiensis (2), cui de vitæ honestate ac scientia competenti laudabile testimonium perhibetur, elegistis concorditer in Præpositum vel Magistrum, impositionem nominis nostro arbitrio relinquentes. Quam electionem una cum electo nostro conspectui presentastis, humiliter supplicantes, processum vestrum a nobis de solita clementia confirmari. Nos autem tum personæ tum processus meritis per eumdem Episcopum plenius intellectis, quod per vos in hac parte factum est ratum habentes, & si quis fuit in eodem processu defectus supplentes de plenitudine potestatis, electionem de dicto Præposito celebratam in Magistrum vestrum Generalem de Fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, quod idem & successores ipsius Magistri totius Ordinis Humiliatorum vocentur ab omnibus, concedentes. Quocirca Universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictum Magistrum, per cujus industriam speramus vestrum ordinem utiliter & salubriter gubernari, & tam circa spiritualia quam temporalia, laudabilibus annuente Domino proficere incrementis, in Patrem & Pastorem animarum vestrarum suscipientes, devote ipsi obedientiam & reveren-

gorii IX. Porro celeberrimi hujus Cardinalis ac Portuensis Episcopi rebus gestis hoc etiam addendum, quod primus Ordinis Humiliatorum Patronus constitutus fuerit.

(2) De primo hoc Humiliatorum Magistro, qui plerumque tamen non Beltraminus sed Beltramus dicitur, sermo fuit Vol. I. Diss. IV. num. 2. ec.

verentiam impendatis, ipsius monitis & mandatis salubriter intendendo. Alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Deo usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Lugduni (3) III. Id. Octobr. Pontificatus nostri anno quarto.

(3) Innocentius jam ab anno MCCXLIV. Friderici II. Cesaris arma metuens Lugdunum secesserat.

Privilegium quod possumus uti sagimine a festo Sancte Crucis usque ad festum omnium Sanctorum, & a nativitate Domini usque ad Septuagesimam.

1246. 13. Oct. Ex Bibl. Braid.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & fratribus ac sororibus primi Ordinis humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Cum in vestris actibus prestare obsequium intendatis omnium redemptori, nos vestre petitionis precibus inclinati, quod a festo sancte crucis usque ad festum omnium sanctorum, & a nativitate Domini usque ad Septuagesimam, vobis liceat uti condimento saginimis, prout vobis a pascha usque ad festum sancte crucis secundum vestrum ordinem est concessum, contraria consuetudine non obstante, auctoritate presentium indulgemus (1). Nulli ergo omnino hominum

(1) Saginimis facultatem Gregorius IX. an. MCCXXVII. XXV. Maji Humiliatis jam fecerat. Sed forte hactenus iis tantum mensibus uti illo consueverant, qui Paschales dies ac S. Crucis festum intercedunt. V. quae hanc in rem adnotavimus pag. 159.

num liceat, hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum petri & pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Lugduni X. Cal. Novemb. Pontificatus nostri anno quarto.

Innocentii IV. Sigillum consuetum.

Privilegium Innocentii IV. sicut demonstrat non esse nisi unam regulam in primo & secundo Ordine observandam cum multis gratiis.

(*Has literas jam edidit Blancolinius* (Chiese di Verona Lib. VI. pag. 214.); *sed cum non pauca in illas menda typorum, ut arbitror, errore irrepserint, eas hic iterum edendas censuimus*).

1246. 30. Oct. Ex Cod. Puric.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro & universis fratribus & sororibus primi & secundi Ordinis Humiliatorum tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Ex ore Domini sententia est prolata, ut qui se humiliat exaltetur, & alibi reperitur, quod Sapientia humiliati exaltare debeat caput ejus. Quibus cælestis sapientiæ illuminati doctrinis, & ab eodem Domino humilitatem edocti, qui humilium exhibuit se doctorem, ut Humiliati dicamini a veritate rei, sortiri etiam vocabulum elegistis. Nos quoque, qui tales exemplo ejusdem Domini Jesu Christi (cujus vices licet immeriti gerimus) amplexamur libenter in visceribus charitatis, Religioni vestræ paterno congratulantes affectu, ejus promotioni accomodare intendimus, & desideriis vestris aures benevolas aperimus. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis supplicationibus clementer annuimus, & Ecclesias atque domos pro-

professionis primi & secundi Ordinis vestri, in quibus Divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus in Ecclesiis & domibus vestris, & Regula tam primi Ordinis quam secundi Humiliatorum per Sedem Apostolicam approbata perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque Ecclesias, domos, seu loca & possessiones, & quæcumque bona Ordo vester juste ac legitime possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; Ecclesias & Domos quas habetis in civitate Cumana cum pertinentiis suis; Ecclesias & domos, quas habetis in Papia, in Laude, in Placentia, in Parma, in Cremona, in Brixia, & Mediolano cum pertinentiis earum; Ecclesias & domos, quas Vercellis habetis cum pertinentiis suis; Ecclesias & domos quas Alexandriæ habetis cum pertinentiis suis; Ecclesias & domos quas Veronæ habetis cum pertinentiis suis, nec non alias Ecclesias & domos vestras, cum pertinentiis earumdem, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usagiis (1), & pascuis, in busco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de fructibus hortorum aliarumque possessionum, quæ sunt infra clausuras domorum vestrarum, & de artificiis, quæ propriis manibus exercetis, de pratis quoque & molendinis vestrorumque animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Sed vos potius decimas,

(1) Usagium, ut Cangius explicat, est jus aliqua re utendi, ac de nemoribus præsertim dici consuevit.

mas, quæ a laicis in feudum perpetuum possidentur, ab ipsis cum Episcopi Diæcesani consensu redimere de concessione nostra præsentis privilegii auctoritate possitis, redemptas pacifice possidere. Ad hæc tibi, Magister, & Præpositis domorum Ordinis vestri præsentium auctoritate concedimus, ut laicos litteratos, qui apud eos habitum susceperint regularem, in Clericos valeant tonsurare, dum tamen fuerint ipsi Præpositi Sacerdotes. Liceat quoque vobis Clericos & Laicos liberos & absolutos a sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum & sororum vestrarum post factam in locis vestris professionem, fas sit de eisdem locis sine licentia Præpositi vel Prælati discedere (2). Discedentes vero absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Ecclesias autem si quæ Religionis vestræ formam recipere forte voluerint, nisi arctioris vitæ vel Religionis existant, recipere vobis sit licitum, & in propriis fundis vestris Ecclesiam ædificare de novo, ita quod aliis non præjudicetur Ecclesiis, & Episcopi Diæcesani vobis super iis consensus accedat. Sepulturam quoque locorum vestrorum liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint (nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publici usurarii) nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, e quibus mortuorum corpora assumuntur. Venditiones vero, commutationes, investituras & impignorationes possessionum vestrarum, quæ de consilio Capituli vestri, vel majoris & sanioris partis ipsius, licite factæ fuerint, ratas haberi volumus & inviolabiliter observari. Præsentis

Cc 2 quo-

(2) Innocentius III. literis suis ad primi Ordinis Humiliatos datis an MCCI. edixerat, ne quis illorum ad alios Religiosorum hominum cœtus transiret, *nisi arctioris religionis obtentu*. At exceptionem hanc ipsam ab Innocentio IV. hic tolli videmus.

quoque privilegii pagina tum Præpositis, quam Prælatis vestris indulgemus, ut cum Diaconibus & Subdiaconibus possint Missarum solemnia celebrare (3). Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis divina officia celebrare. Chrisma vero, Oleum Sanctum, Consecrationem altarium, seu basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Sacros Ordines fuerint promovendi, a Diæcesano suscipietsi Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque volueritis Catholicum adire Antistitem, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat. Statuimus etiam, ut in Ordine vestro unus sit Magister, qui universo Ordini provideat & intendat; universis quoque domibus primi & secundi Ordinis, atque Conventibus tertii Ordinis, ubi per se ipsum potuerit, quolibet anno, aut per idoneas personas in generali capitulo electas, officium visitationis impendat; & quæ statuenda vel corrigenda repererit, statuat & emendet secundum Deum & vestri Ordinis instituta per Sedem Apostolicam approbata; cujus electionem & depositionem ad eos, qui ad hoc in Capitulo generali electi fuerint, secundum tenorem constitutionum vestrarum volumus pertinere. Visitationis quoque & correctionis ipse Magister super universum Ordinem tam in spiritualibus quam in temporalibus plenariam obtineat potestatem. Semel vero ad minus in anno celebrabitis capitulum generale, in quo prædictus Magister cum Definitoribus electis in ipso capitulo secundum institutiones vestri Ordinis, ea quæ ad reformationem, statum, & profectum Ordinis pertineant,

sine

(3) Vide quæ in hanc rem adnotavimus pag. 143. Vides hic tamen Mortariensis Ecclesiæ mentionem omitti.

sine contentione seu contradictione qualibet, salubriter & utiliter studeant pertractare. Institutiones vero regulares factæ in ipso capitulo generali, nisi per aliud simile capitulum aliter ordinetur, sint in suo robore duraturæ. Ad majorem quoque Ordinis vestri pacem conservandam districtius prohibemus, ne aliquis Ordinis vestri in iis quæ ad disciplinam & instituta Ordinis spectant, audeat contradicere, seu etiam appellare. Sed si quisquam appellare tentaverit, nihilominus illi, quorum interest, regularem disciplinam exercere debebunt. Obeunte vero vel regulariter amoto Præposito alicujus domorum vestrarum, nullus illi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, sed de communi Fratrum consilio unus Fratrum quasi arbiter assumatur, qui tres ex fratribus, duos videlicet Clericos, & alium fratrem probatæ vitæ & religionis expertæ nominet electores, qui Fratrum voluntates inquirant (4), & eum in quem universi consensus, vel majoris partis consilii & sanioris, secundum arbitrium eorumdem, vota convenerint, dum tamen sit Clericus, in præpositum sibi eligant & prælatum, & electus a Magistro Ordinis approbetur. Si forte aliquid commiserit, per quod ab administratione sit merito removendus, de consilio quattuor priorum Præpositorum ab eadem, si sponte cedere noluerit, poterit amoveri. Auctoritate quoque Apostolica inhibemus, ut nullus Episcopus vel quælibet alia persona, regularem electionem Præpositi vel Prælati Ordinis vestri impediat, aut de instituendo vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, se aliquatenus intromittat. Cum vero aliquis secundum præmissam formam electus fuerit in Præpositum, & per Magistrum Ordinis approbatus, Diocesano Episcopo præsentetur, a quo absque examinationis scrutinio confirmetur, ac curam animarum recipiat ab eodem. Prohibemus insuper ne alicui Eccle-

sia-

---

(4) In memoratis Innocentii literis *triduanum* etiam *jejunium* indicebatur, quod hoc loco non indicitur.

siasticæ sæcularive personæ fas sit in domibus vestris contra statuta Lateranensis Concilii taleas exigere, vel quaslibet alias vobis injustas & iniquas exactiones imponere. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem tenere, capere, vel interficere seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat Ecclesias vestras temere perturbare, aut eorum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Volumus etiam ut nullus per privilegia hactenus Ordini vestro ab Apostolica Sede concessa, quicquam possit huic privilegio in aliquo derogare, auctoritate Apostolica in omnibus semper salva. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a Corpore Sacratissimo, & Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eisdem locis sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

In Circulo: Notas fac mihi Domine vias tuas.

† Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

† Ego Petrus tit. S. Marcelli Presb. Cardin. SS.

† Ego Frater Joannes tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Cardin. SS.

† Ego

† Ego Frater Hugo tit. S. Sabinæ Presb. Cardin. SS. (5)

† Ego Otto Portuensis & S. Rufinæ Episcopus SS. (6)

† Ego Willelmus Sabinensis Episcopus SS.

† Ego Octavianus S. Mariæ in Via lata Diac. Cardin. SS. (7)

† Ego Petrus S. Georgii ad Vellus amœnum (*lege* aureum) Diac. Cardin. SS.

† Ego Joannes S. Nicolai in Carcere Tullianensi Diac. Cardin. SS.

† Ego Ul. S. Eustachii Diac. Cardin. SS. (8)

Datum Lugduni per manum Magistri Marini S. R. E. Vicecancellarii tertio Cal. Novembris Indictione quinta, Incarnationis Dominicæ 1246. Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ quarti anno quarto.

---

(5) Hugo de S. Charo, seu de S. Theoderico, qui primus ex Ordine Prædicatorum, Ciaconio teste, Cardinalis est renunciatus, vir literis æque ac pietate celeberrimus.

(6) Idem ille, quem in Innocentii literis paullo ante editis commemoratum vidimus.

(7) Octavianus Ubaldinus celeberrimus ea ætate Cardinalis, & militari etiam gloria insignis ob Pontificias copias non semel felici exitu ductas.

(8) Willelmus, seu Guillelmus Fliscus indicatur, cujus elogium V. apud Oldoinum in Innoc. IV. Hic deinde Humiliatorum Protector, ut ajunt, fuit.

Privilegium Innocentii IV. sicut grave (*ita*) erat Fratribus secundi Ordinis Regula primi Ordinis concessa, ideo dispensati sunt a jejunio tempore æstatis, præter solemnia jejunia, & sexta feria a Pentecoste usque ad S. Michaelem.

1246. 30. Oct. Ex Cod. Puric.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Fratribus & Sororibus secundi Ordinis Humiliatorum Salutem & Apostolicam benedictionem. Unigenitus Dei filius, cujus vestigia

ſtigia pro noſtræ poſſibilitatis modulo cupimus imitari, dum legem olim rudi populo traditam veniens in mundum Evangelica manſuetudine temperavit, jugum ſuave ſuis pro duritia legis ponens, non reputavit ex hoc ſe legem ſolvere ſed implere; cujus exemplo inſtruimur, quod ſi aliquando in alicujus Sanctæ Religionis propoſito vel regula, pro varietate perſonarum & temporis aliquid immutamus, dum vel difficilia ad modum faciliorem reducimus, vel gravia mitigamus, aut obſcura lucidius aperimus, non Religionem intendimus diminuere ſed augere. Sane in regula veſtra olim primis fratribus veſtri Ordinis adhuc paucis & rudibus, conditionem, difficultates, onera Ordinis & vires Fratrum parum expertis, ab Apoſtolica Sede conceſſa, quædam continebantur difficilia & confuſa, quæ vos jam per experientiam radio cognitionis plenius illuſtrati vidiſtis non poſſe abſque gravi incommodo tolerari. Quare ſuper his humiliter ſupplicaſtis, vobis per Sedem Apoſtolicam miſericorditer provideri. Nos vero intellectis quibuſdam Capitulis in prædicta regula contentis, quæ vobis experimento gravia didiciſtis, circa ea devotioni veſtræ, quæ coram Deo in innocentia cordis deſiderat ambulare, paterna cupientes diligentia providere, ut abſque difficultatis ambiguæ & impedimenti obice, profeſſionis curſum poſſitis greſſu intrepido conſummare, præſentium auctoritate volumus atque concedimus, ut non obſtante quod in ipſis Capitulis amplius vel contrarium continetur, quolibet anno in ſingulis domibus veſtris unus electus a Capitulo tres de Fratribus illius Conventus eligat, qui diligenter votis Fratrum omnium inquiſitis, eligendi unum de Fratribus in Prælatum, quem magis de conſilio majoris ſeu ſanioris partis Capituli idoneum reputaverint, habeant poteſtatem (1).

Item

(1) Nihil de Prælati electione in Humiliatorum legibus ab Innocentio III. approbatis ſtatuebatur; ſed in ejuſdem literis anno MCCI. ad primi Ordinis Humiliatos datis, Præpoſiti eligendi ratio indicitur. Eadem porro fere eſt, quam hic ad Prælatum eligendum ſtatuit Innocentius IV.

Item quod in Horis Canonicis tam diei quam noctis, secundum condenda vestri generalis Capituli instituta, laudem Domino reddere valeatis (2). Nec non quae vobis pia devotione fidelium collata fuerint, possitis percipere, ac libere retinere; ad fictam nihilominus terras vestras, cum expedire visum fuerit, concedentes (3). Quodque a Pentecoste usque ad festum S. Michaelis, nisi sextis feriis, & jejuniis ab Ecclesia institutis, non teneamini jejunare (4); ab eodem festo usque ad Adventum Domini, & ab Octavis Nativitatis Dominicae usque ad Septuagesimam, in secunda, quarta, & sexta feria, jejunia devotius servaturi. Et quod a festo Resurrectionis Dominicae usque ad festum S. Michaelis, post trium hebdomadarum decursum possitis vobis facere radi barbas, & tondi (l. tonderi) capillos (5), Capitulis aliis, quae in praefata regula continentur in suo Ordine duraturis. Nulli ergo

(2) Quod ad Divinas horas pertinet, satis in Humiliatorum legibus explanatum videtur. Sed forte dubitatio aliqua suborta erat, quam Generali Conventui definiendam Innocentius permittit.

(3) Id scilicet Humiliatorum legibus cautum erat, ne praedia aliis locarent, *nisi hoc fiat*, additur, *discretione & licentia communis capituli*. Quam cogendi conventus necessitatem tollere hic Innocentius videtur.

(4) Humiliatorum enim legibus, ut vidimus Vol. I. Dissert. III. num. VII. hoc etiam tempore trinum in hebdomada jejunium indicebatur. Id porro alterius Ordinis Humiliatis, qui labore manuum victum sibi quaererent, grave profecto erat. Itaque Gregorius IX. literis suis ad Braidensem Rectorem datis, quas pag. 158. commemoravimus, illius arbitrio jam permiserat, ut subditos suos, quotiescumque id fieri oporteret, jejunii lege solveret.

(5) Semel tantummodo in mense per Humiliatorum leges id licebat, ut ostendimus Vol. I. loc. cit. Porro tum radendae barbae, tum crinibus tondendis certos statosque fuisse dies apud veteres Monachos innumeris exemplis docemur. Quam in rem erudite prae ceteris disputat Martene *de Antiquis Monachorum Ritibus Lib. V. Cap. VI.* Conversi tantummodo seu Laici Monachi barbam alebant. Hinc in Statutis Ordinis Praemonstrat. *Dist. IV. Cap. XI.* haec habentur: *In Ecclesiis vero, in quibus Conversi sunt adeo rebelles, quod nolunt cappas griseas, & barbas ordinatas habere, de cetero non recipiantur Conversi, donec recepti cappas griseas receperint, & barbas habuerint ordinatas*. Qua de caussa Fratres Barbati illi appellabantur, Cangio teste (*Glossar. Med. & Inf. Latin. T. I. col. 957. edit. Ven.*).

omnino hominum liceat paginam hanc nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni tertio Calend. Novemb. Pontificatus nostri anno quarto.

Privilegium Innocentii IV. sicut Dominus Magister, & Præpositi Ordinis absolvere possunt excommunicatos intrantes in Ordinem.

1246. 8. Nov. Ex Cod. Puric.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro & Præpositis Ordinis Fratrum Humiliatorum Salutem & Apostolicam benedictionem. Auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut si contigerit aliquos Ordinis vestri Religionem intrare volentes, in Canonem latæ sententiæ (1) incidisse, ne pium eorum propositum possit ullatenus impediri, si eos ad Sedem Apostolicam laborare oporteat, eis absolutionis beneficium impendatis, dummodo damna passis & injuriam satisfaciant competenter, nisi forte usque adeo eorum fuerit gravis & enormis excessus, quod sint merito ad Sedem Apostolicam transmittendi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni sexto Id. Novemb. Pontificatus nostri anno quarto.

Pri-

(1) In Canonem incidere idem esse Cangius ait, ac in Canonem Pœnitentialem incidere, seu legibus pœnitentiæ ab Ecclesia indictis obnoxium fieri. Hoc autem loco expresse de excommunicationis pœnam sermonem esse, facile patet.

Privilegium de construendis Ecclesiis in secundo ordine.

1246. 13. Nov. Ex Bibl. Braid.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei Magistro ordinis humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Multorum relatione fideli gaudentes accepimus, quod religiose domus secundi ordinis tui, divina eis favente clementia, dilatate sunt rebus, multiplicate numero & personis, & donis nihilominus spiritualibus magis ac magis in domino confortate. Propter quod in exsolvendis omnipotenti Deo pro receptis beneficiis dignis, quantum est possibile, actionibus gratiarum, nec non pro conservando sancte religionis eis a domino inspirate devotius famulatu, convenit eis sanctorum patrum vestigia imitari. Legitur enim quod Noe cum filiis & uxoribus de arca egressus, illa dulci a Domino benedictione accepta: *Egredimini super terram, crescite & multiplicamini super eam:* in signum devote venerationis edificavit altare Deo, & obtulit super illud. Sic Abraham, sic Isaac pluries fecisse dicuntur, cum eis prospera Dominus providebat. Jacob quoque pergens Aram, cum in loco quodam dormisset, & vidisset in somnis scalam, cujus cacumen celum tangebat, & Dominum innixum scale sibi dicentem audisset: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui;* & alia plura, que feruntur ibidem, in eodem loco lapidem legitur erexisse in titulum, & fudisse oleum super eum, quem locum Bethel, idest domum Domini appellavit, nobis insinuans ipso facto, quod ubi sancte religionis scala, qua celum ascendatur, evecta conspicitur, illic in decorem ipsius, & titulum materialis fabrice domus Domini, quam ipse Dominus domum orationis vocavit, illico erigatur, ut non sit absque titulo sacra Domus sanctis operibus mancipata. Sane intelleximus, quod plereque prefati secundi ordinis tui

domus, licet satis magne sint in eis congregationes, Ecclesiarum tamen nondum sunt titulis honorate; quedam vero etsi ecclesias habeant, sacerdotibus tamen carent, sicque oportet fratres & sorores vel divinis carere officiis, aut prodire in publicum, & turbis secularibus admisceri, pro ipsis officiis audiendis, in sue religionis & honoris dispendium, & non absque periculo forsitan animarum (1). Nolentes igitur tante Religionis loca sanctis & piis operibus mancipata manere ulterius gloriosis Ecclesiarum signaculis immunita, vel pro ministrorum defectu segniter indecora, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus in locis fratrum secundi ordinis, in quibus nondum sunt constructe Ecclesie, domorum facultate ac personarum qualitate pensata, Ecclesias edificari facias, prout tibi expedire videbitur, diocesani super hoc requisito auxilio & consensu, & tam in illis, quam aliis locis ejusdem ordinis, in quibus sunt ecclesie fabricate, per Sacerdotes habitos (*ita*), a fratribus conventus in dicendis horis canonicis adjuvandos, divina procures officia celebrari (2), quo acceptius ab eis Deo exhibeatur obsequium, ipsorum cotidie per hoc magis augeatur devotio, & sancte religionis cultus honore ibidem polleat ampliori. Dat. Lugduni Idib. Novemb. Pontificatus nostri anno quarto.

Sigillum de more.

Pri-

(1) Quæ ad Humiliatarum Monialium clausuram pertinent, attulimus Vol. I. Differt. VII. num. VI. Vide etiam sup. pag. 196.

(2) Externos Sacerdotes intelligit; quod enim ad Humiliatos ipsos alterius Ordinis sacris initiatos pertinet, id nonnisi an. MCCLVI. Alexandro IV. jubente effectum est, ut ex ejus litteris constabit.

Privilegium quomodo Episcopi curent denunciare excomunicatos rebelles ordinis.

1146. 4. Dec. Ex Bibl. Braid.

INnocentius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus & aliis ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem. Cum, sicut dilecti filii magister & fratres ordinis humiliatorum nobis significare curarunt, contingat interdum, nonnullos de ordine ipsorum vel animi levitate vel alia de causa minus rationabili post factam in ipso professionem exire, nos volentes exeuntium saluti ac honestati, & fame ipsius ordinis paterna sollicitudine providere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus illos, quos dicti magister & fratres vobis ex causis hujusmodi de ordine predicto exisse, & ab eodem magistro excommunicatos propter hoc nuntiabunt, nisi postquam a vobis admoniti fuerint diligenter ad domos proprias redire curaverint, ibidem, ut tenentur, regulariter moraturi, tamdiu excommunicatos publice nuntietis, & faciatis ab omnibus arctius evitari, donec ad domos proprias humiliter revertantur. Dat. Lugduni secundo nonas decemb. pontificatus nostri anno quarto.

Ego Miranus filius quondam Petri de Ro (1) de bradia guercii notarius authenticum hujus exempli vidi, & legi, & ut in eo continebatur, sic & in isto legitur preter litteras plus minusve.

Ego

(1) Petri de Ro, seu de Raude, quae nobilissima est inter Mediolanenses familias, meminit Cl. Julinius (*Memor. T. VI.* 498.) atque idem forte est, qui hic commemoratur. Quare eo validius communis apud eruditos opinio confirmatur, clarum olim fuisse Tabellionum officium, itaut Muratorio teste (*Dissertazioni sopra le Antich. Ital. T. I. Diss. XII.*) nobilibus tantum hominibus alicubi committeretur.

Ego Mainfredus filius quondam Jacobi de garbagnate de braida guercii notarius authenticum hujus exempli vidi & legi, & ut in eo continebatur, sic & in isto legitur preter litteras plus minusve.

Ego Jacobus (2) filius quondam airoldi de garbagnate de braida guerzii notarius hoc exemplum ab autentico exemplavi, & ut in eo continebatur autentico, sic & in isto legitur exemplo preter litteras plus minusve.

(2) Aut hic aut superior alius Jacobus de Garbagnate idem est forte, qui anno MCCXXXVIII. Mediolanensis Consul fuit. V. Julin. *Memor. T. VII. pag. 514.*

Locatio bonorum quorumdam domui Humiliatorum S. Mariæ de Ottaciis Mediol.

1247. 30. Jan. Apud Cl. D. Carolum March. Trivultium.

IN nomine domini. Anno dominice Incarnationis millesimo ducent. Quadragesimo septimo die mercurii penultimo die mensis yanuarii, Indictione quinta, investiverunt per massaritium ad benefatiendum & non ad devastandum Jacobus & ubertus fratres qui dicuntur de dairago de porta Vercellina dominum fratrem amizonem Marrum prepositum Sancte Marie canonice site super terram de greganis (1) in predicta porta, & fratres dalmaxium,

(1) Suspicari forte quis posset eam, hic Humiliatorum Mediolanensium domum indicari, quæ *Domus de la Canonica*, seu *S. Mariæ Matris Domini* appellabatur, de qua egimus Vol. I. pag. 344. Sed hæc ad Portam Novam pertinebat; quæ vero in hac charta memoratur, ad Vercellensem. Itaque certum est domum *S. Mariæ de Ottaciis* designari, de qua eodem Vol. pag. 334. diximus; quod etiam hinc confirmatur, quod videmus proximam illam fuisse Parochiali ædi *S. Joannis supra murum*, ut paullo post in hoc ipso monumento dicitur. Canonicæ autem nomine hæc etiam distinguitur, quod hac interdum appellatione primi Ordinis domus designari solebant, ut monuimus Vol. I. pag. 8. Dicitur etiam *sita super terram de greganis*, quod forte locus ille ad Greganos olim pertineret, cujus Mediolanensis familiæ nomen occurrit apud Julin. (*Mem. T. VI. pag. 165.*)

xium, & guilielmum, & petrum, &ællioratum, & jacobum, & Ottonem, & Martinum, & albertinum omnes fratres & canonicos illius Canonice nomine illius Canonice, Nominative de petia una terre jacentis justa ipsam Canonicam in parrocchia Sancti Johannis supra murum, cui coheret ad supertotum a mane & a meridie & a sero illius canonice, a monte protaxii de protaxiis, & illorum de Machacunis, & domus que fuit quondam amizonis de casciano & heredum quondam beltrami de garegniano, sicut diffinitur per cruces factas in muro altiore illius canonice domus ex parte meridiei, & cum omni suo jure accessiandi usque in platea, que ibi est inter domos feneti rubei, & guilielmi & pagani fratrum qui dicuntur maximutti de samarate. Eo tenore quod suprascripti prepositus & fratres cum suis successoribus habere & tenere debeant predictam petiam terre a kalendis Martii & usque ad annos duodecim proximos nomine illius canonice, & facere exinde nomine massaricii quicquid voluerint, & eis utile fuerit nomine illius canonice, sine lexione dicte petie terre, ad hoc ut apud dictam canonicam non pejoretur, sed melioretur, nec diffigetur, sed infigetur, bona fide. Et de qua petia terre dicti jacobus & ubertus confessi fuerunt suprascriptis preposito & fratribus nomine illius canonice bene esse soluti ad cognitum solidorum vigintinovem tertiolorum in anno. Remota exceptione non numerate & accepte solutionis; & que terra dicti jacobus & ubertus interim debent defendere & guarentare eisdem preposito & fratribus nomine illius canonice omnibus suis expensis & damnis sine damno & dispendio illius canonice, & suorum successorum &c. *Mittimus sequentia, quod & nihil memorabile continent, & multa etiam vetustate corrosa sunt.* Actum in ipsa Canonica: pro notario dictus ubertus de dairago affuit. Intersuerunt ibi testes fr. guido filius quondam guifredi porcelli, & girardus filius quondam uberti de . . . . . de gallarate, & frater ambrosius filius quondam anselmi grossi omnes de porta vercelina noti contrahentum.

Ego

Ego petrus notarius filius angelli de morgora de burgo porte cumane jussu suprascripti metelli Scripsi.

Privilegium Innocentii IV. quod fratres primi, secundi & tertii Ordinis non debeant cogi ad exercenda sæcularia officia.

1247. 7. Jun. Ex Cod. Puric.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro & Præpositis Ordinis Humiliatorum salutem & Apostolicam benedictionem. Devota humilitas, a qua Ordo vester denominationem accepit, & humilis vestra devotio promeretur, ut petitionibus vestris, & iis potissimum, quæ consonant honestati, favorem benivolum impendamus. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod potestates & Rectores civitatum, castrorum, ac aliorum locorum Lombardiæ fratres vestros primi, secundi, & tertii Ordinis frequenter ad exercenda sæcularia officia pro sua voluntate compellunt in vestri Ordinis, nec non vestrarum domorum, quarum negotia propter hoc coguntur omittere, præjudicium & gravamen. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, auctoritate litterarum nostrarum duximus districtius inhibendum, ne aliqua secularis persona de cetero ad exercenda secularia officia vos compellat invitos. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni septimo Id. Jun. Pontificatus nostri anno quarto (1).

Astensis

(1) Similes hac de re literas hac ipsa die ad Mediolanensem Archiepiscopum Innocentius dedit, quarum autographum habemus in Bibliotheca nostra, sed illas proferre hic mittimus, quod jam in *Bullario Franciscanorum T. I. pag.* 551. edita sunt. De *sæcularibus* hisce *negotiis* quæ Humiliatis committebantur, fuse diximus Vol. I. Differt. V., ac plures aliæ Innocentii literæ hanc in rem edendæ supersunt.

Astensis Domus S. Quirici Fundatio.

1247. 9. Sept. Ex Tabul. Cathedr. Astens.

ANno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, indictione quinta, die nono mensis Septembris *presentia* (1) infrascriptorum testium. Ad honorem Dei & beate Virginis Marie Astensis Ecclesie, ac tocius Ordinis fratrum Humiliatorum *fuit constitutum* & ordinatum per Dominum Bonifacium Prepositum & Procuratorem seu electum Astensis Ecclesie (2) Volentibus . . . . Dominis Petro de Seuulina, Amideo de Pisenzana, & Magistro Henrico de Montegrosso Astensibus Canonicis *nomine & vice* dicte Ecclesie & Episcopatus ex una parte, & fratrem Anselmum de Bergolio de Ordine secundo Humiliatorum (3) per se & . . . . . . ordinantem ex altera, quod extra Civitatem Astensem (4), ubi dicitur ad rivum Mardayrolium iuxta Beale (5) Molandinorum *construatur* Domus Humiliatorum secundi Ordinis, & ibi fratres illius Ordinis debeant morari perpetuo, & Deo & . . . . Ita quod possint ibi construere, hedificare domos & Ecclesiam, & teneantur observare Ordinem Humiliatorum secundum . . . . Regulam & Institutiones eorum a Sede Apostolica approbatas. Ita videlicet, quod ille, qui erit pro tempore Prepositus in ipsa domo . . . . . honorem & reverentiam, quem

(1) Multa in hujus monumenti autographo vetustate corrosa legi haud potuerunt: Itaque ubi ex verborum contextione facile erat, quæ scripta fuissent, divinare, illa aliis characteribus excudenda curavimus.

(2) Bonifacius ex Comitibus de Coconato Astensis Episcopus an. MCCXLIII. electus, diu Episcopalem Sedem adire distulit, ut observat Ughellius, quod etiam ex monumento hoc nostro comprobatur.

(3) De Alexandrina hac Humiliatorum domo V. supr. pag. 61.

(4) Locus, ubi S. Quirici domus, de qua hic est sermo, constructa est, suburbanus olim erat, urbi deinde inclusus. V. sup. pag. 56. ubi etiam diximus, cur postea a S. Quirico nomen illa acceperit.

(5) Vocis hujus sensus mihi ignotus: forte error in apographum irrepsit.

quem & quam dicit privilegium eis a Sede Apostolica inductum (*forte* indultum) faciendum Diocesanis Episcopis . . . . . . exhibeant reverentiam. Specialiter autem sentencias excommunicationis & Interdicti latas ab Episcopo vel Capitulo Astensi . . . . . . Item privilegium de non dandis decimis de terris & possessionibus, in quibus Astensis Ecclesia decimas percipit exceptis . . . . hic que a Sede Apostolica inducta (*f.* indulta) sunt eis, nullo tempore impetrabunt. Et si de cetero impetratum fuerit, aut . . . . eo non utentur. Item si Capitulum maioris Ecclesie Astensis ad aliquod funus ad domum predictam sive Ecclesiam . . . . sine contradicione fratrum predicte domus valeant, & possint Missam celebrare ibidem, & medietatem oblationum . . . . Canonicis placuerit. Item predicta domus & fratres ibi commorantes debeant dare & dabunt annuatim in *Assumptione B. Virginis* Marie Astensi Capitulo libram unam incensi super altare eiusdem Ecclesie. Preterea Astensis Episcopus, sive aliqui . . . . debent dicere vel facere in ipsa Domo, unde fratres eiusdem gravari possint, aut eorum Religionem vel Officia . . . . . . nec debent, cum possint etiam aliquid angarie, vel perangarie, seu ratione collecte, sive talie, aut aliqua . . . . exigere ab ipsa domo, nec a fratribus commorantibus in eadem; & si peterent, illi de ipsa domo non teneantur occasione aliqua . . . . contingeret predictam domum & Ecclesiam removeri de loco predicto, terra illa reddeat ad decimationem antiquam sicut *fuerat ante* hedifficationem, & liceat ipsis fratribus, & possint hedificare domum, & Ecclesiam ubicumque voluerint extra murcs civitatis *sine contradictione* & requisitione Episcopi & Capituli Astensis. Infra autem muros Civitatis non possint Ecclesiam hedifficare *sine Episcopi* vel Capituli Astensis licentia speciali. Domum autem sine Ecclesia possint habere, facere, & hedifficare ubicumque voluerint sine contraditione alicuius. Et ita, sicut superius ordinata sunt, predi-

predictus Dominus Bonefacius vice & nomine Astensis *Ecclesie* predictis fratribus Anselmo per se & successores suos predicto nomine predictis conventionibus & pactionibus fuerunt *concordata* predicta omnia pro se & successoribus suis inviolabiliter observare. Item per hoc instrumentum dictus Dominus Prepositus *Bonefacius* Procurator Astensis Ecclesie commisit & dedit auctoritatem predicto Domino Petro Canonico Astensi, ut cum Ecclesia . . . . primarium lapidem benedicat, & ponat vice & nomine eiusdem Bonefacii & Ecclesie Astensis. Et de hoc fuerunt precepta mihi Notario infrascripto duo vel plura eiusdem tenoris instrumenta. Actum Ast in Claustro de Dom. (6). Ibi fuerunt . . . . . Cochanito Canonicus Sancte Marie Vercellensis, Gibaldus de Valperto Notarius, Dominus Burmus Judex, Jacobus Balla, Henricus . . . . . . Clericus Ecclesie Sancti Petri de Strata, & Presbiter Bonus Joanes Ecclesie Sancti Pauli Astensis: Et ego Ghisulfus . . . . interfui & voluntate predictorum sic scripsi.

(6) Forte legendum *Dei domus*, quæ altera erat Humiliatorum Astensium domus.

Privilegium Innocentii IV. sicut Clerici antecedere debent Laicos, licet Laici prius in Ordine sint.

1248. 8. Febr. Ex Cod. Puric.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Magistro Ordinis Humiliatorum salutem & Apostolicam benedictionem. A primordio surgentis Ecclesiæ prælata Laicis fuit militia clericalis, quæ per supernæ virtutis auxilium semper proficiens ad honoris & dignitatis augmentum, hunc ubique Ordinem & decorem obtinuit, quod Clerici cum divinis laudibus specialiter sint adscripti, reverentiam receperunt a Laicis, & sicut

officio sic & loco præfuerunt eisdem, quantacumque ipsi Laici fuerint sublimitate præditi seu virtute præclari. Digne itaque si per inconsultæ voluntatis arbitrium ad hoc prorumpat temeritas aliquorum, ut honorem debitum velit adimere Ministris Domini, debet ipsorum præsumptio prompta resistentia cohiberi, per quam limpidæ mentis agnoscant oculis, quod dum Ordo Clericalis extollitur, divini gloriæ nominis deservitur. Ex tua siquidem, fili Magister, ac dilectorum filiorum universorum Præpositorum Ordinis tui petitione colligimus, quod licet in eodem Ordine sit statutum, & a longis temporibus observatum, ut Clerici ejusdem Laicos in Ecclesia, Capitulo, Refectorio, & ubique præcedant, orta tamen inter Clericos & Laicos domus S. Michaelis de Alexandria (1) ipsius Ordinis quæstione, nos ipsam ad petitionem Laicorum domus ejusdem, S. Andreæ & de Gileto Abbatibus Cisterciensis Ordinis, Januensis & Aquensis Diœcesis (2) commisimus terminandam; qui contra statuta præfati tui Ordinis venientes, per iniquam definitivam sententiam decreverunt, quod fratres prædictæ Domus Clerici vel Laici, qui prius Ordinem intraverunt, præcedant alios; propter quod grave in eodem Ordine scandalum generatur. Cum autem in cunctis Ordinibus vigere pacem, & servari concordiam cupiamus, quod hujusmodi sententia non obstante, præfatum statutum in eadem domo, ac aliis universis & singulis ejusdem Ordinis, facias inviolabiliter observari, contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, tibi auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei,

(1) De hac Humiliatorum domo egimus sup. pag. 61.

(2) De S. Andrea Cisterciensium Cœnobio, quinto circiter a Genuensi urbe lapide consule quæ diximus Vol. I Differt. IV num. 22.

Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni ſexto Id. Febr. Pontificatus noſtri anno quinto.

Privilegium quod archiepiſcopus non ſinat aggravare fratres ſuper fodris & collectis.

1248. 14. Dec. Ex Bibl. Braid.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Archiepiſcopo Mediolanen. (1) ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum magiſtri & fratrum Ordinis humiliatorum in Lombardia nobis eſt intimata querela, quod licet ipſi de collectis, que clericis Lombardie Eccleſie Romane nomine imponuntur, partem pro rata, que contingit eoſdem, ſolvere ſint parati, nihilominus tamen ipſi ab impoſitoribus collectarum ipſarum ultra partem ipſos contingentem in exhibendis collectis eiſdem contra juſtitiam aggravantur. Quare humiliter petierunt ſibi per hoc de benignitate ſedis apoſtolice miſericorditer provideri. Quocirca fraternitati tue per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, predictos magiſtrum & fratres ſuper premiſſis a prefatis impoſitoribus contra juſtitiam aggravari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Dat. Lugduni nono kal. Jan. (2) Pontificatus noſtri anno ſexto.

Sigil. de more.

Pri-

(1) Mediolanenſem Eccleſiam per id tempus regebat Fr. Leo de Perego ex Ord. Minor. Hanc, cum Metropolitanæ Eccleſiæ Canonici de eligendo Archiepiſcopo diſſentirent, remque ipſius arbitrio permiſiſſent, ſe ipſum Archiepiſcopum renunciaſſe, & veteres hiſtorici tradiderunt, & Cl. Saxius confirmare videtur. Sed ex Innocentii IV. literis an. MCCXLIV. IX. Januar. datis, ac in *Bullario Franciſcano* editis, quas etiam commemorat Cl. Julinius (*Mem. T. VIII pag.* 16.) ſatis conſtat eligendi Archiepiſcopi poteſtatem Gregorio de Montelungo Cardinali ac Pontificio Legato factam fuiſſe, eumque in Leonem dignitatem illam contuliſſe.

(2) In Codice Puricelliano, quo harum literarum exemplar continetur, dies IX. Cal. Jun. adnotatur.

Privilegium quod fratres non possint sine licentia ad alium Ordinem transire.

1249. 19. Jan. Ex Bibl. Braid.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis ministro & fratribus domus de braida mediolanen. ordinis humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Intimantibus vobis accepimus, quod cum tam a legatis sedis apostolice, quam communi mediolanen. hoc precipue adversitatis tempore (1) nonnullis de fratribus vestris diversa officia committantur (2), eorum aliqui, ut ipsa valeant evitare, ad alias religions se transferunt, ministri sui non petita licentia vel obtenta. Cum igitur ex translatione hujusmodi domus vestra non modicum in spiritualibus & temporalibus dicatur incurrere detrimentum, nos paterna sollicitudine super hoc providere volentes, auctoritate presentium districtius inhibemus, ne quis professorum vestrorum, instanti presertim guerra durante, absque nostra vel generalis magistri vestri licentia se ad aliam religionem transferre, nec quisquam illum recipere quoquomodo presumat, aliqua sedis apostolice indulgentia, quibuslibet cujusque ordinis, quod alterius ordinis fratres, prelatorum suorum non petita licentia vel obtenta, recipere valeant, non obstante. Nulli ergo omnino homi-

(1) Sævissimis bellis per id tempus ardebat Insubria, urbibus invicem diffidentibus, atque aliis Friderici II Cæsaris partes tuentibus, oppugnantibus aliis. V. Muratorii Annales, ac Mediolanenses Historicos, ubi horum temporum historiam explicant.

(2) Superiore scilicet anno MCCXLVIII., ut diximus Vol. I. Diss. V. num. XIV. Mediolanensis Prætor edixerat, ut tabulæ, quibus eorum nomina continebantur, qui Mediolanensi populo quidpiam deberent, apud Braidenses Humiliatos deponerentur. Non hæc tamen munera spectare Pontifex hoc loco videtur; neque enim gravia adeo erant, ut Humiliatos alio confugere oporteret. Graviora illa fortasse indicat, quæ eadem Dissertat. num. XIX. XX. recensuimus, quæque paullo post ab Innocentio ipso commemorati videbimus.

minum liceat hanc paginam nostre inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum petri & pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Lugduni decimoquarto kal. Febr. Pontificatus nostri anno sexto.

Sig. de more.

Collatio facta per Innocentium pp. in fratres de contegnaga de Ecclesia SS. Faustini & Jovittæ Brixien. abeuntibns fratribus Predicatoribus.

1249. 30. April. Ex Tab. S. Barthol. de Contegnaga Brixiens.

INnocentius episcopus servus servorum dei venerabili fratri.... Episcopo Brixiensi (1) salutem & apostolicam benedictionem. De dilectis filiis fratribus ordinis predicatorum constitutis in ecclesia sanctorum Faustini & Jovitte Brixien. accepimus, quod de ipsa se transferre volunt ad aliam, in qua divinis obsequiis immorentur (2). Cum autem Clerici seculares, qui olim in ipsa degebant ecclesia, ut asseritur, viam sint universe carnis ingressi, & dilecti filii... Minister & fratres ac sorores ordinis secundi humiliatorum Brixien. habitationem nimis artam habere dicantur, ita quod ibidem nec residere commode, nec ad votum divinis possunt laubibus desudare, nos eos sue devotionis obtentu favore benivolo prosequentes fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus postquam dicti prior & fratres se de loco prefato transtulerint, ipsum & ortum etiam, quem ibidem habere noscun-

(1) Brixiensis Episcopus erat per id tempus Azo de Turbiado.

(2) De hac PP. Ord. Prædicatorum profectione V. Gradonici Brix. Sacr. pag. 267. Ad novam scilicet S. Dominici ædem, quam adhuc incolunt, per id tempus commigrarunt. V. Monumentum an. MCCL. 23. Jul.

noscuntur, prefatis ministro, & fratribus & sororibus sine dilationis ac difficultatis obstaculo, si expedire videris, conferas & assignes, faciens ab eisdem prius dictis priori & fratribus satisfactionem de sumptibus, quos fecerunt in edificiis, exhiberi. Dat. Lugdun. II. Kal. Maii Pontificatus nostri anno sexto.

Licentia predicandi.

1249. 11. Aug. Ex Bibl. Braid.

INnocentius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis & episcopis, ad quos littere iste pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem. De singulorum salute vigi li solertia cogitantes, illa libenter procurari cupimus., per que animabus valeat profectus, Deo propitio, provenire. Hinc est quod nos universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dilectis filiis fratribus ordinis humiliatorum, quibus ad hoc litterarum scientia & eloquentia suffragantur, predicandi populo publice verbum Dei in vestris civitatibus & diocesibus licentiam concedatis (1). Dat. Lugduni tertio Id. Aug. Pontificatus nostri anno septimo.

Sigill. de more.

Admo-

(1) Quæ pertinent ad concionandi munus apud Humiliatos, protulimus Vol. I Differt. V. num. XXVIII., ubi etiam Mediolanensis Synodi an. MCCLXXXVII. decretum hac de re editum recitavimus.

Admonitio quam facit dominus papa legatis lombardie, videlicet domino D. Cardinali & domino D. G. electo Tripolitano, quod ipsi non gravent nos taliis nec aliis exactionibus.

1249. 12. Aug. Ex Bibl. Braid.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis O. sancte marie in via lata diacono Cardinali (1), & G. de Montelungo Tripolitano electo (2) apostolice sedis legatis, salutem & apostolicam benedictionem. Licet dilecti filii Magister, prepositi, & fratres ordinis humiliatorum in paupertate viventes, victui suo necessaria de labore manuum suarum acquirant, ipsi tamen, prout accepimus, nuntios sedis apostolice, cum eos ad domos eorumdem fratrum declinare contingit, benigne recipiunt, ipsos honorifice pertractantes. Cum autem dignum sit, ut prefatos fratres propter hoc, & etiam sue devotionis merito prosequamur benivolentia gratiosa, discretionem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus memoratos fratres habentes pro nostra & apostolice sedis reverentia propensius commendatos, in procurationibus & collectis non gravetis eosdem. Dat. Lugduni secundo Id. Aug. Pontificatus nostri anno septimo.

Sig. de more.

(1) Octavianus Ubaldinus indicatur, de quo V. pag. 207.

(2) Gregorium de Montelongo designat, de quo paullo ante fuit sermo.

Privilegium quod fratres primi Ordinis possint audire Confessiones secundi ordinis & eis administrare divina Sacramenta.

1249. 12. Aug. Ex Bibl. Braid.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistro & universis prepositis Ordinis humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Ut fratres vestri Ordinis per confessionem & penitentiam de commissis suis valeant mundare conscientias, & sub observatione mandatorum Domini liberius delectari, presentium vobis auctoritate concedimus, ut vos & fratres presbiteri providi & discreti ejusdem Ordinis possitis fratrum & sororum secundi Ordinis vestri confessiones audire, ac injungere ipsis pro commissis penitentiam salutarem, & ministrare alia ecclesiastica sacramenta sine juris prejudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum petri & pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Lugduni secundo Id. Aug. Pontificatus nostri anno septimo.

Sig. de more.

Executio privilegii domini G. legati in favorem Ordinis humiliatorum domino archiepiscopo mediolani comissa.

1249. 12. Aug. Ex Bibl. Braid.

INnocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Archiepiscopo Mediolanen. (1) salutem & apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum magistri & fratrum ordinis humiliatorum petitio nobis exhibita continebat, quod dilectus filius

(1) Leoni de Perego, de quo paullo ante sermo fuit.

filius G. de Montelungo Tripolitanus electus tunc notarius noster apostolice sedis legatus (2), comperto, quod potestates, rectores, & alii qui preerant civitatibus, castris, & aliis locis sue legationis, ecclesias, prelatos, clericos, & personas ecclesiasticas indebitis exactionibus aggravabant, tam de spetiali mandato nostro, quod super hoc receperat, quam auctoritate legationis sibi commisse, duxit deliberatione provida statuendum, ut nulli potestates, consules, seu quocumque nomine censeantur civitatum, locorum, & terrarum existentium intra terminos ipsius legationis rectores, ecclesias, vel ecclesiasticas personas seu loca religiosa fodris, talliis, vel exactionibus aliquibus aggravare presumant, quedam alia nihilominus provide statuendo que redundant in augmentum ecclesiastice libertatis (3); prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Quare iidem humiliter petebant a nobis, ut statuta hujusmodi apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur ipsorum supplicationibus inclinati statuta eadem, prout provida sunt, & in favorem cedunt libertatis predicte auctoritate apostolica duximus confirmanda. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus predictos magistrum & fratres, non permittas super iis contra confirmationis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, dummodo ultra

(2) Celeberrimus per ea tempora exstitit Gregorius de Montelongo Sedis Apostolicæ in Insubria Legatus, Tripolitanus electus, ac deinde ad Aquilejensem Sedem elatus. Plura de illo habes apud Ughell. in Patriarch. Aquilejens., Murator. in Italiæ Annal. ad hæc tempora, Julinium *Memor. T. VIII. &c.*

(3) Has leges a Gregorio de Montelongo latas in Ambrosiani hujus Cœnobii tabulario servari, easque in S. Eustorgii templo die XXV. Sept. an. MCCXLV. latas fuisse affirmat Julinius *T. VIII. pag.* 18.

tertiam vel quartam aliqui extra suam diecesim auctoritate presentium ad judicium non trahantur. Dat. Lugduni secundo Id. Aug. Pontificatus nostri anno septimo (4).

Sig. de more.

(4) Paullo post, nempe XV. Cal. Sept. literas alias ad Humiliatorum Magistrum Innocentius dedit, quibus eadem Gregorii legati decreta confirmat, quæ cum iisdem fere verbis conceptæ sint, ab illis edendis abstinemus.

Privilegium de uno modo cantandi & legendi.

1249. 3. Novemb. Ex Bibl. Braid.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro ordinis humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Per sedem apostolicam statutum esse dicitur, ut unus modus cantandi & legendi in divinis officiis in ordine humiliatorum debeat observari. Sed sicut accepimus id in quibusdam domibus ipsius ordinis minime observatur, propter quod generatur scandalum in ordine supradicto (1). Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus statutum hujusmodi auctoritate nostra facias in omnibus domibus predicti ordinis observari, aliqua consuetudine non obstante, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Lugduni tertio nonas novemb. pontificatus nostri anno septimo (2).

Sig. consuetum.

Pri-

(1) Jam a primis temporibus peculiares fuisse Humiliatorum in sacris faciendis ritus, ostendimus Vol. I. Differt. III. num. XI. &c. Hic vero Mediolanenses Humiliatos designare Pontifex videtur; hi enim Ambrosianos ritus sequebantur. Alias hac de re literas Alexandri IV., & Honorii IV. inferius edemus.

(2) In Puricelliano Codice *anno primo* legitur. Sed errorem ibi latere, hinc colligimus, quod altero tantum sui Pontificatus anno Innocentius Italia excessit.

Privilegium quod poteſtas mediolani non debeat moleſtare fratres de braida de avventariis.

1249. 4. Novemb. Ex Bibl. Braid.

INnocentius episcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio nobili viro poteſtati mediolanen. (1) ſalutem & apoſtolicam benedictionem. In tuum honorem redundare dinoſcitur eccleſias & eccleſiaſticas perſonas diligere, ac eas in ſuis libertatibus confovere. Sane dilecti filii prelatus & fratres domus de braida mediolanen. ordinis humiliatorum gravem ad nos querimoniam deſtinarunt, quod tu a quampluribus fratribus ipſius domus poſt factam ibidem profeſſionem de bonis, que dicte domui obtulerunt (2), collectas contra juſtitiam exigis & extorques, pretendens, quod extimatio bonorum eorumdem fratrum in inventariis civitatis mediolani ſcripta fuit (3), antequam dicti fratres intrarent ordinem ſupradictum. Quare dicti prelatus & fratres nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere ipſis ſuper hoc miſericorditer curaremus. Cum autem te non deceat eoſdem prelatum & fra-

(1) Mediolanenſis prætor hoc anno, ut Mediolanenſes hiſtorici teſtantur, erat Supramons de Lupis Bergomenſis.

(2) Frequens hæc erat inter Humiliatos veteres conſuetudo, ut cum ordini nomen dabant, aut religioſa vota emittebant, ſe ſuaque ſimul Ordini ipſi dicarent. V. in hoc ipſo Volumine pag. 13.

(3) Anno primum MCCXL. cenſus Mediolani inſtitutus eſt, Flamma teſte: *Tempore iſtius Pagani* (de Turre) *primum adventarium inſtitutum eſt*. V Julin. *Memor. T. VII. pag* 545 Sed potiſſimum anno MCCXLVII. urgeri res cœpit. Itaque hoc anno MCCXLIX. videntur jam omnium Civium bona in cenſum relata fuiſſe. Superiore autem anno, ut Reſpublica ære alieno liberaretur, decretum fuerat, ut civibus omnibus, pro bonorum ratione, vectigal imperaretur, ne ipſis quidem Preſbiterorum aut Clericorum patrimoniis exceptis. Quod forte in cauſſâ fuit, ut & illa Humiliatorum bona, de quibus Innocentius hoc loco agit, eodem vectigali mulctanda Mediolanenſis Prætor exiſtimaret. V. Julin. *Memor. T. VIII. pag.* 41.

& fratres molestare in aliquo, sed propter sue religionis favorem ab aliis potius defensare, nobilitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ob reverentiam apostolice sedis & nostram ab eorumdem prelati & fratrum super hoc molestatione desistas. Dat. Lugduni secundo non. novemb. pontificatus nostri anno septimo.

Sig. de more.

Philippi Florentini Episcopi Literæ, quibus Humiliatis S. Donati ad Turrim S. Luciæ ædem concedit.

1250. 6. Febr.

Editæ sunt ab Ughellio T. III. Ital. Sacr. in Episc. Florent.

Jacobus Tornaquincius & filii Humiliatis Florentinis domum vendunt.

1250. 30. Maii Ex Monum. ap. Cl. Mannium.

IN Dei nomine Amen. Anno ab incarnatione ipsius millesimo ducentesimo quinquagesimo inditione octava, tertia Calendas Junii. Actum in Ecclesia, & Monasterio Sancti Salvatoris de Vaiano districtus Pratensium. Dominus Jacobus Judex Filius olim Mainerij Tornaquinci (1), & Follerius, & Lotterius Fratres eius Filii paterno consensu, atque iussu cuiuslibet eorum se suaque bona omnia, & singula in solidum obligantes in omnibus, & pro omnibus, & singulis infrascriptis servandis, & de supplendis, & faciendis, die presenti vendiderunt, concesserunt, & de-

(1) Tornaquinciorum familia jamdiu apud Florentinos conspicua. Illam commemorat Ammiratus *Famiglie Fiorent.* pag. 198.

& dederunt jure proprio Fratri Ruffino de Ordine Fratrum Humiliatorum Priori Ecclesie Sancti Donati a Torri de Conventu Sancti Michaelis de Ripaiola (2) de Alexandria ementi, & accipienti vice, & nomine, & utilitate dicte Ecclesie Sancti Michaelis, & Domni Amici Dei gratia Prepositi dicte Ecclesie, & ipsius Successori, & cui, vel quibus dederint, vel concesserint in perpetuum Fratrum videlicet, quandam petiam terre, & r. cum domo in ea, & super ea existente posita prope, vel quasi iuxta Civitatem Florentie inter Ecclesiam, & Canonicam Sancti Pauli, & Ecclesiam Sancte Lucie, confines cuius terre, & r. dicti Venditores tales esse confitebantur. A primo latere via publica, secundo terra, que fuit olim Jacobi Altogradi, & nunc est dicte Ecclesie Sancte Lucie, fovea Communis in medio; tertio dicte Ecclesie, & Canonice Sancti Pauli, & Uguccionis Fratacozze, fovea Communis in medio; quarto vero latere scilicet ex parte fluminis Arni, via, que tendit per Insulam dicti fluminis Arni. Item vendiderunt & concesserunt jure libellario eidem Fratri Ruffino ementi, & accipienti . . . . domum, & super quandam domum sive domunculam, cum solo, & edificio suo, & omni fabbrica posita iuxta domum ipsam superius confinatam in Populo Sancti Pauli, qui tales fines habere dicebatur. A primo via; secundo predicta terra supra vendita; tertio, & quarto dicte Ecclesie, & Canonice Sancti Pauli iuxta predictos fines, vel si qui alii veriores dantur confin . . . . predicta terra, & res, & in totum cum predicta domo in eadem terra, & super ea existente; & preter eam domum, sive domunculam, & eius solum, & hedificium cum omnibus ingressibus, & egressibus eorum, & cum omnibus ipsarum pertinentiis, adiacentiis *&c.* *&c.*

Testes ad hec rogati omnia supradicta Dominus Ugo Dala pisciana, & Bonaguida Medicus.

Rane-

(2) Videtur legendum de *Brogolio*. V. sup. pag. 61.

Ranerius Melliorelli.

Boninsegna &c. Judex, & Notarius.

Guido Hondei.

Melliorellus Ranierij Melliorelli.

Et Ugho Gori Guanalducci.

✠ Ego Aldobrandinus Notarius Filius olim Cambij hec omnia olim rogata, & publicata a Vivanio Judice, & Notario, & verum iam completum per Arrighum C. . . . . publicum Notarium per ipsius Viv. Commissionem, & eiusdem Viv. Subscriptione, atque commissione mihi facta a dicto Viv. de suis inbreviaturis morte prevento publicavi, scripsi, & in publicam formam redegi.

Mandatum ad Episcopum Brixiens. Innocentii pp. eo quod ipse Episcopus differret fratribus de Contegnaga dare Ecclesiam SS. Faustini & Jovite Brixien.

1250. 23. Jul. Ex tabul. S. Barthol. de Contegnaga Brixien.

INnocentius episcopus servus servorum dei Venerabili fratri . . . Episcopo Brixiensi (1) salutem & apostolicam benedictionem. Sua nobis . . . . Magister, fratres, & sorores domus secundi ordinis humiliatorum prope Ecclesiam sanctorum Faustini & Jovite Brixien. petitione monstrarunt, quod nos intellecto quod . . . . prior & fratres ordinis predicatorum in ipsa ecclesia immorantes de dicta ecclesia se transferre volebant ad aliam, in qua possent divinis obsequiis commodius immorari, tibi nostris dedimus litteris in mandatis, ut postquam iidem prior & fratres se de loco transferrent eodem, locum ipsum & ortum, quem dicti

(1) Erat is Azzo de Turpiado, quem paullo ante commemoravimus.

dicti prior & fratres ibidem habebant, si expedire videris, conferre & assignare curares Magistro, & fratribus & sororibus supradictis; & licet eis domum & ortum predicte ecclesie de consensu eorumdem prioris & fratrum se ad aliam ecclesiam transferentium (2) assignaris, ecclesiam tamen eandem noluisti prefatis Magistro, fratribus, & sororibus assignare pro eo quod de ipsa in eisdem litteris expressa mentio non fiebat. Quare memorati Magister, fratres, & sorores nobis humiliter supplicarunt, ut eis conferri prefatam Ecclesiam de pietate solita mandaremus. Nos igitur attendentes, quod eadem Ecclesia poterit per eos salubriter gubernari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, prefatam Ecclesiam cum possessionibus & pertinentiis suis, aliquo censu Brixiensi Ecclesie in recognitionem dominii reservato, nominatis Magistro, fratribus, & sororibus conferas & assignes, Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Lugdun. X. Kal. Augusti Pontificatus nostri anno octavo.

A tergo hæc habentur : *Petat procurator exequutioni mandari hoc mandatum, non obstante rescripto sub alia forma nuper obtento ab eo, qui se dicit prepositum Ecclesie, & qui institutus est contra mandatum* (3).

(2) Anno MCCLI. novum S. Dominici Brixien. Cœnobium perfectum fuisse docet Gradonicus *Brix. Sacr* pag. 267. Ex hoc tamen monumento colligimus aut citius id contigisse, aut ad novas ædes commigrasse Dominicanos, antequam illæ perficerentur.

(3) Ex hisce verbis colligimus contentionem aliquam inter Brixiensem Episcopum, atque Humiliatos exortam hac in caussa fuisse; & Præpositum ab Episcopo illi Ecclesiæ datum, quamvis eidem proximas domos Humiliati incolerent. Contentionem hanc ipsam innuit Gradonicus *Brix. Sacr. pag.* 271.

Innocentii IV. Literæ quibus Ecclesiam SS. Trinitatis Mediolan. Humiliatis confirmat.

1250. 10. Aug. Ex Bull. Minor. Convent. T. I. pag. 553.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis .... Magistro & Fratribus Ordinis Humiliatorum Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane vestra petitio nobis exhibita continebat, quod Venerabilis Frater noster .... Mediolanensis Archiepiscopus diligenter attendens, quod Ecclesia SS. Trinitatis tunc Ordinis S. Benedicti sita juxta suburbium Portæ Cuman. Civitatis Mediolanensis (1) eidem Archiepiscopo immediate subjecta, propter incuriam habitantium in eadem adeo erat in spiritualibus & temporalibus deformata, quod non poterat in ordine suo commode reformari, Ecclesiam ipsam cum Ecclesia S. Mariæ in Campo ad dictam Ecclesiam Sanctæ Trinitatis pleno jure spectante Mediolanensis Diœcesis cum omnibus juribus, possessionibus, & pertinentiis suis, prout ad eumdem spectabat Archiepiscopum, sui Capituli accedente consensu, vobis & Ordini Humiliatorum duxit deliberatione provida conferendam, statuens ut idem Ordo Humiliatorum ibidem perpetuis temporibus inviolabiliter observetur, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Vestris igitur supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem Archiepiscopo provide factum est, ratum & gratum habentes, id auctorita-

te

(1) De hac Humiliatorum domo, ac de Ecclesia S. Mariæ de Campo, quæ in his literis nominatur, sermo fuit Vol. I. pag. 343. Miror autem neutram ex hisce Ecclesiis umquam in Mabillonii Annalibus Ord. S. Benedicti commemorari. Forte non multo antea fuerat iisdem concessa.

te Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni XIII. Kal. Septemb. Pontificatus nostri anno octavo.

Arderici de Soresina Modoetiensis Archipresb. literæ, quibus Humiliatis Modoetiensis domus de Medio Vico Ecclesiæ construendæ facultatem facit.

1250 2. Dec. Ex Tabul. Capit. Modoetien.

Edit. a Julinio *Memor. T. VIII. pag.* 655.

Innocentii IV. literæ ne Humiliati transfugæ recipiantur.

1250. 13. Aug. Ex Bibl. Braid.

Mittimus has Innocentii literas proferre, quod illæ jam editæ sint tum a Cl. P. Zaccaria in Itinere Literar. per Ital. P. I. Cap. I. pag. 17., *tum in* Bullario Franciscano *T. I. pag.* 551. *Hic tamen dies* 15. *Aug. adnotatur, ibi dies* 2. *At in autographo nostro adnotatur* 2. *Id. Aug.*

Privilegium de dispensatione utendi sagimine secundum ordinem cum illis qui non consueverunt.

1250 27. Aug. Ex Bibl. Braid.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro ordinis humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Tua petitio nobis exhibita continebat, quod contingat interdum aliquos ad ordinem humiliatorum transire, qui ex

voto vel promissione antea tenebantur astricti, quod sagimine non uterentur (1). Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere ipsis super hac re de benignitate sedis apostolice curaremus. Tuis igitur supplicationibus inclinati tibi & successoribus tuis auctoritate presentium indulgemus, ut cum talibus qui dictum intraverunt ordinem, vel intraverint etiam in futurum, postquam professionem fecerint in eodem, dispensare possitis auctoritate nostra, ut sagimine licite uti valeant, secundum ipsius ordinis instituta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum petri & pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Lugduni decimo Kal. Septemb. pontificatus nostri anno octavo.

Sig. de more.

---

(1) Vide quae de sagiminis usu adnotavimus sup. pag. 159.

Innocentii IV. literæ, quibus confirmatur transactio inita inter FF. Ord. Præd. S. Eustorgii, & Fratres Humiliatos.

1251, 25. Jun.

Ex Bullar. Ord. Præd. T. I. pag. 195. Collat. cum autograph. in tabul. S. Eustorg.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prædicatorum Mediolanen. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque, sicut Nobis exponere curavistis, inter vos

ex

ex parte una, & Ministrum & Fratres Humiliatorum medii (1) Ordinis, qui habitant in suburbio Ecclesiæ S. Laurentii majoris extra Portam Ticinam (2) Mediolanen. super quodam Fundo, & ædificiis inibi constructis ex altera, orta fuisset materia quæstionis, tandem, mediantibus bonis viris, amicabilis inter partes compositio intervenit, prout in Instrumento super hoc confecto plenius continetur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, compositionem ipsam, sicut sine pravitate provide facta est, & ab utraque parte sponte recepta, & hactenus pacifice observata auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; Tenorem ipsius Instrumenti de verbo ad verbum præsentibus inseri facientes, qui talis est. In Nomine Domini anno à Nativitate ejus Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo primo (3), Die Mercurii, Quintodecimo die ante Kal. (4) Junii, Indictione Nona, in præsentia Cardinalis filii quondam Cerudilaxii, qui stat in Brayda Cuergii (l. Guercii) de porta nova, & Jacobi filii quondam Joannis de Melgate (5) de Burgo S. Laurentii

(1) Idem est ac *secundi ordinis*.

(2) Legendum *Ticinensem*. Porro de hac Humiliatorum domo sermo fuit Vol. I. pag. 321. & pag. 345.

(3) Innocentius IV. anno MCCXLIII. VIII. Cal. Jul. Pontifex renunciatus est; hinc anno MCCLI. VII. Cal. Jul., quo tempore hæ literæ datæ sunt, nonum Pontificatus annum numerabat. Videbimus tamen octavum annum nominari. Sed optime animadvertit Cl. P. Bremond in suis ad has literas annotationibus, a die consecrationis Innocentium annos suos numerasse. Consecratio autem III. Cal. Jul. peracta. V. Ciacon. in Innoc IV.

(4) Cl. P. Bremond suspicatur errorem librarii vitio hic irrepsisse. Ipse enim legit *XV. Idus Jun.*, quæ certe numerandi ratio inusitata est, ac præterea, si sic loqui liceret, dies XV. ante Id. Jun. diei Mercurii non congrueret. At in Innocentii literis non Idus sed Calendæ Junii nominantur. Porro cum reperimus: *ante Cal.*, jam alias monuimus, Calendas ipsas excludendas esse. Itaque dies XV. ante Cal. Jun. in diem XVIII. Maji recidit, ac proinde in Mercurii diem, cum anno MCCLI. Dominicalis litera esset A.

(5) Legendum suspicor *de Melzate*. Joannes enim de Melzate occurrit ap. Julinium (*Memor. T. VII. pag.* 207.) ad an. MCCVI.

rentii majoris de Porta Ticinensi, & Anselmi filii quondam Girardi de Ripa, qui stat in Resegaria; Cum multæ, & variæ quæstiones verterentur, seu verti sperarentur inter Fratrem Ægidium Parmen. Priorem Fratrum Prædicatorum S. Eustorgii Mediolanen. (6), & Fratrem Matthæum de, Tebaldis de Bononia, & Fratrem Rolandum Placentinum, & F. Guidotum de Brivio suo nomine, & illorum Fratrum Prædicatorum, & omnes illos Fratres Prædicatores, & Fratrem Anselmum Corbum superstantem superstantiæ (7) ejusdem Ecclesiæ S. Eustorgii ex una parte, & Fratrem Arnoldum de Vedano Ministrum Humiliatorum medii Ordinis, qui habitare consueverunt Modoetiæ in Domo, quæ dicitur communis Fratrum Humiliatorum, qui nunc habitant in suburbio S. Laurentii majoris extra Portam Ticin., & Fratres ejusdem Domus, quorum nomina sunt hæc: F. Petrus de Olda, & F. Jacobus Capellus, & F. Junius de Belestate, & F. Joannes Bellus de Gergni, & F. Brunetus de Trivuri, & F. Guillelmus de Calcaxollis, & F. Ardericus de Tricio, & F. Griffus, qui nunc dicitur Benedictus ex altera parte occasione emptionis cujusdam petiæ terræ, cum Domibus, & ædificiis in ea positis, quam prædicti Humiliati emerunt prope hortum dictorum Fratrum Prædicatorum, immediate positæ inter Domum ipsorum Fratrum Prædicatorum, & Civitatem Mediolanen., cui terræ cohæret ad supertotum a mane superstantiæ S. Laurentii, quam tenet Jacobus de Bagana, a meridie Fratrum Prædicatorum, seu superstantiæ S. Eustorgii, a sero via, a Monte Hospitale Sanctæ Fidei, quod tenet Monasterium Gratasolia (8), & in qua Domo prædicti Humi-

(6) S. Eustorgii Ecclesiam anno MCCXX. adierunt PP. Ord. Prædicatorum, postquam per annum fere apud S. Nazarii habitaverant. V. Mediolanenses Historicos, & præsertim Julinium *T. VII. pag.* 356. *T. IX. pag.* 85.

(7) *Superstans* quid sit ex ipsa voce intelligimus: significat enim, qui operi cuicumque præest. At vero *superstans superstantiæ* ille esse videtur, qui iis omnibus, qui operi præsunt, Præfectus sit.

(8) Gratasollia locus est non multum Mo-

miliati proposuerunt facere continuam residentiam, & Deo deservire. Quam venditionem dicti Fratres Prædicatores dicebant posse revocare, seu revocari facere per dictum superstantem dictæ Ecclesiæ Sancti Eustorgii, cum ipsa terra, super qua dicta ædificia sunt, sit illius Ecclesiæ, sive superstantiæ, & per eam Ecclesiam, sive superstantiam ad libellum, sive in Emphiteosim teneretur, & vendita sit, superstante illo illius Ecclesiæ non requisito, nec de ipsius consensu, vel voluntate tacita, vel expressa, nec aliqua denuntiatione præmissa; & dicebant prædicti Fratres Prædicatores, non licere ibi ædificare, nec fenestras habere in ipsa domo, nec quæ fiet, vel posset fieri aliquo tempore, nec aliqua foramina, nec aliquid in fraudem fenestrarum vel foraminum contra Domum, seu hortum ipsorum Fratrum Prædicatorum a meridiana parte, nec licere eis facere Canonicam majoris Ordinis (9) nec licere eis convocare prædicationem, cum per hoc prædicationes Prædicatorum Fratrum impedirentur, cum eorum officium, & studium proprie in prædicatione consistat, & ipsi jamdudum sedem suam elegerint apud Ecclesiam supradictam S. Eustorgii, quorum officium, seu Religio, ex supervenienti facto aliquorum non debet aliquatenus impediri. Super quibus omnibus placuit prædictis partibus volentibus meliora providere, ad infrascriptam transactionem pervenire, & ad infrascripta pacta, seu transactiones pro Christiano statu utriusque partis, & Religione prædictorum Fratrum Prædicatorum, & Humiliatorum, conservanda, & ut omnis

---

diolani distans Ticinum versus. Ibi olim Monachorum Vallis Umbrosæ Monasterium fuit, S. Barnabæ sacrum, cujus apud Julinium mentio *T. V. pag.* 477. ubi de ejus origine differit, *pag.* 526. *&c.* Optime autem animadvertit memoratus auctor *T. IX. pag.* 57. Domum hanc hospitalem, quæ hic S. Fidei dicitur, eamdem probabiliter esse, quæ plerumque S. Barnabæ ad S. Eustorgium dicitur; quæ appellatio hinc probabiliter ducta, quod S. Barnabæ Monasterio superius memorato obnoxia illa esset.

(9) Scilicet primi Humiliatorum Ordinis domum; quæ Canonicæ nomine interdum appellabatur.

omnis materia scandali amoveatur omnino, infrascriptas conventiones, & omnia infra dicta, ex causa transactionis inter se fecerunt. In primis quod in aliquo ædificio, vel muro existente nunc in prædicta terra, vel quod de cetero fiet per ipsos, vel per eorum successores, non debeat fieri aliqua fenestra, vel aliqua apertura versus hortum prædictorum Fratrum Prædicatorum a meridiana parte per quod possit respici in dictum hortum, & quæ factæ sunt debeant obturari, & obturatæ teneri de muro. Luxellos (10) autem super tecta possint habere, ita quod non sit licitum ipsis Humiliatis, nec eorum successoribus in prædicta terra, vel ædificio facere Canonicam, vel Domum majoris Ordinis; Ita quod non sit licitum ipsis Fratribus Humiliatis, nec eorum Successoribus convocare prædicationes, & quod dicti Fratres Prædicatores non debeant per se, nec per superstantes dictæ Ecclesiæ, venditionem dictæ domus revocare, vel revocari facere, sed in prædictis pactis, & conventionibus debeant esse taciti, & contenti. Quare prædictus F. Ægidius Prior Ordinis Fratrum Prædicatorum, & ipsi Fratres Prædicatores cum eo, & prædictus Anselmus Corbus superstans dictæ Ecclesiæ ex una parte, & prædictus F. Arnoldus de Vedano Minister dictorum Fratrum Humiliatorum, & ipsi Fratres Humiliati cum eo, de mandato, & voluntate, & auctoritate, & consensu Fratris Beltrami Gochore (11) Magistri totius Ordinis Humiliatorum, & de mandato, & voluntate, & consensu Fratrum Mirani Ministri de Brayda, & Tucebelli (12) Ministri de Sancta Agatha de Modoetia, Prælatorum, & Anzianorum aliorum Fratrum Humiliatorum ex altera parte, vicissim per-

(10) *Luxellos* interpretatur P. Bremond cænaculares fenestras, eas scilicet quæ in superiore tecti parte patent.

(11) Zochoram, seu Zotoram a Mediolanensibus historicis illum appellari diximus Vol. I. pag. 100.

(12) Leg. *Tutobelli*, ut in pluribus aliis Monumentis legimus.

permiserunt, & guadiam dederunt, obligando omnia Bona utriusq. Domus pignori, quod prædicta omnia, & singula attendent, & observabunt, & adimplebunt omni tempore suis expensis, & damnis, & sine damnis, & expensis partis volentis attendere, & observare prædicta, & quod dicti Fratres Humiliati cum prædictis Fratribus Prædicatoribus dabunt opem & operam efficacem, quod hæc omnia supradicta confirmentur per Summum Pontificem, & per Dominum Fratrem Leonem venerabilem Archiepiscopum Mediolanen., salvo tamen ipsius Ecclesiæ S. Eustorgii, sive superstantiæ omni jure ficti & feudi; quæ habent ad requirendum contra dictos Fratres Humiliatos pro dicta terra, & ejus occasione, & salva terra, quam dicta superstantia, sive Dominus Gerardus de Bernate habet extra murum horti dictorum Fratrum Prædicatorum versus Civitatem Mediolani, scilicet inter murum, & dictos Humiliatos. Hoc acto, & expressim dicto per speciale pactum inter eos, quod si dicti Fratres Humiliati alienarent dictam terram, quod promissio, & obligatio cum suis pactionibus, sive transactionibus sit irrita, & inanis, & quod Investitura, sive confirmatio venditionis facta prædictis Humiliatis per ipsum superstantem sit nullius valoris, & momenti, & pro nulla penitus habeatur. Quibus omnibus peractis eodem die, & in præsentia F. Girardi, filii supradicti Joannis de Bernate, & Anselmi filii quondam Girardi Raphaelis de Crema, & Ambrosii, filii quondam Jacobi de Ogio, testium, prædictus Prior, & prædicti Fratres Matthæus, & F. Rolandus Placentinus, & F. Guidotus de Brivio, & omnes alii infrascripti FF. Prædicatores, nomina quorum sunt hæc. F. Albarinus. F. Jacobus de Modoetia. F. Amizo; F. Guillelmus de Cruce. F. Rolandus Placentinus; F. Guido de Oprena, F. Guillemus de Vercellis; F. Guarnerius, F. Lanfrancus, F. Gisulphus, F. Bonacursus, F. Dominicus, F. Bartholomæus Bononiensis, F. Ægidius Bononiensis, F. Ardigellus, F. Stephanus de Pirovano, F. Gualdefredus Lector, F. Beltramus

Villanus, F. Stephanardus (13); F. Jacobus de Cugano, F. Guidotus de Brivio, F. Gregorius, F. Joannes Gremensis, F. Theoldus, F. Joannes de Vigniani, F. Lotherius, F. Bonifaciollus, F. Jacobus Novariensis, F. Raymundus de Cimiliano, F. Castellanus, F. Gabriel, F. Rodulphus, F. Matthæus Bononiensis, F. Marchisius, F. Pax, F. Joannes de Opreno (14) F. Omarius, F. Chunradus Vercellensis, F. Umbertus Bononiensis, F. Philippus de Balsamo, F. Alexander, F. Humilis, F. Girardus de Arengo, F. Giroldus, F. Matthæus Mediolanensis, F. Guillelmus Vercellensis, F. Andreas, F. Stephanus de Meda. F. Lanfrancus Bougonus, F. Beltramus Rana, F. Aliprandinus, F. Guifredus, F. Jacobus de Cimiliariis, F. Miranus, F. Jacobus de Casate, F. Bonacursus Brixiensis (15) approbaverunt, & laudaverunt, & ratum, & firmum habuerunt totum contractum, & prædictam Concordiam, & pactum, & transactionem. Insuper dixerunt, & protestati fuerunt quod de sua voluntate propria, & de eorum consensu celebratus fuerat ille contractus totus, & voluntate totius Capituli illorum Fratrum Prædicatorum, licet non potuissent ibi interesse omnes, exceptis Priore prædicto, & F. Matthæo, & F. Rolando, & F. Guidoto, qui cum eo erant quando celebratus fuit ille contractus in Capitulo Humiliatorum prædictorum de Modoetia, & præsente F. Jacobo de Varena Præposito Domus de Porta Orientali pro secundo Notario ibi rogato, & vocato, unde tot Instrumenta fieri uno tenore sunt rogata, quot erant necessaria

(13) Stephanardus de Vicomercato probabiliter hic indicatur, de quo sermo est ap. PP. Quetif & Echard Script. Ord. Præd. *T. I. pag.* 460. Illius Poema Historicum de rebus ab Othone Vicecomite gestis editum est T. III. Anecdot. Bibl. Ambros., tum Vol. IX. Script. Rer. Ital. E vivis excessit an. MCCXCVII.

(14) Hujus etiam mentio occurrit apud PP. Quetif & Echard *T. I. pag.* 470.

(15) Videmus hic maximo numero fuisse ad S. Eustorgii Prædicatores, quorum LVII. hoc loco numerantur. Circa annum autem MCCLXXXVIII. Flamma auctore, CL. Cœnobium illud constabat.

fatia & præsentibus istis omnibus testibus, qui fuerunt ad prædicta Capitula more solito ad sonum Campanæ convocata. Ego Frater Jacobus Præpositus Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ Notarius interfui, & subscripsi. Ego Riboldus filius quondam suprascripti Beltrami Morenæ de Matto Civis Mediolanensis de porta Ticinensi de Vicinia S. Laurentii majoris Notarius Sacri Palatii rogatus, & jussu istius (*forte* suprascripti) F. Beltrami Magistri totius ordinis Humiliatorum, & utriusq. partis tradidi, & scripsi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis &c. Datum Januæ VII. Kalendas Julii. Pontificatus nostri Anno octavo (16).

(16) V. sup. not. 3.

Innocentii IV. Literæ, quibus Humiliatos tertii Ordinis a militia immunes esse jubet.

1251. 4. Aug. Ex Bull. Francisc. Vol. I. pag. 576.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus .... Archiepiscopo Mediolan. & .... Episcopo Papiensi (1) Salutem & Apostolicam Benedictionem. Favore Religionis dilectorum Filiorum Magistri & Fratrum Humiliatorum Tertii Ordinis Mediolan. inducimur, ut eorum petitionibus, per quas illorum status habeatur tranquillior, benignius annuamus. Cum igitur non sit conveniens vel honestum, ut guerrarum, vel aliorum sæcularium negotiorum ipsi se immisceant periculis, quibus, ut dignis famulari obsequiis possint Patri luminum, terga dant. Nos suis precibus benignius inclinati ipsis aucto-

(1) Rodobaldus Cipolla Papiensi Ecclesiæ per id tempus præerat. Ughell. *Ital. Sacr. T. I. in Episc. Papiens.*

auctoritate præsentium indulgemus, ut per nullum omnino Potestatem, seu Commune, vel locorum aliquorum Universitates, eos vel eorum Ordinis Fratres in domibus propriis cum suis Familiis commorantes, ad sumendum arma, equos tenendos, vel ad eundum in cavalcatas (2) vel expeditiones, seu etiam ad juramenta præstanda (3) compelli de cetero valeant, vel etiam aggravari plusquam alii eorum concives in solvendis talleis vel collectis vel mutuis concedendis. Quapropter fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus memoratis Magistro & Fratribus super hoc efficaciter favoris præsidio assistentes non permittatis ipsos contra hujusmodi Indultum ab aliquibus molestari; Molestatores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; Constitutione de duabus dietis in Concilio generali edita non obstante. Datum Mediolani (4) II. Nonas Augusti Pontificatus nostri anno nono.

(2) Frequentissime apud Italos per hæc tempora vox hujusmodi usurpabatur ad militares incursiones designandas; hinc frequentissime apud Villanos historicos: *I Fiorentini cavalcarono* &c.

(3) De his diximus supr. pag. 166.

(4) Innocentius IV. hoc anno mense Aprili Lugduno digressus, Genuam venit, hinc Mediolanum, quam urbem ingressus 7. Julii duobus circiter mensibus tenuit.

Innocentii IV. Literæ, quibus Humiliatis tertii Ordinis ob vicinorum homicidia molestias inferri vetat.

1251. 5. Aug. Ex eod. Bull. Ibid.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus . . . Archiepiscopo Mediolanen., . . . & Episcopo Papiensi Salutem & Apostolicam Benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium desideriis favorem benevolum impertiri. Cum igitur sicut dilecti Filii . . . . Magi-

Magister & Fratres Tertii Ordinis Humiliatorum Mediolan. Nobis exponere curarunt, in locis aliquibus sit statutum, ut Parochiani Parochiarum in quibus fuerit homicidium perpetratum, nisi ipsum ceperint homicidam, certum bannum solvere teneantur (1), ipsosque Fratres non deceat, nec sit tutum captionibus aut rixis talibus immisceri, suæ super hoc quieti consuli misericorditer petierunt. Nos eorum in hac parte volentes gravaminibus præcavere, suis precibus inclinati, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis de cetero ad solutionem Banni alicujus occasione hujusmodi ipsos impellat. Quapropter Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Magistro & Fratribus contra aliquorum super hoc audaciam assistatis & defendatis, nec permittatis ipsos contra inhibitionem nostram ab aliquibus indebite molestari, Molestatores hujusmodi per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; constitutione de duabus dietis in Concilio generali edita non obstante. Quod si non ambo iis exequendis interesse potueritis, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Mediolani Nonis Augusti Pontificatus nostri anno nono.

(1) *Bannum* idem est interdum ac mulcta pecuniaria. Id porro ex his literis discimus, quod nusquam me legere memini, mulctam Paræciarum incolis indictam fuisse, qui homicidii in eorum paræcia perpetrati reum non comprehendissent.

Privilegium domini Pape ad capitulum Cisterciensium quod fratres ordinis in suo ordine non debeant recipi.

1251, 23. Aug. Ex Bibl. Braid.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Abbati & generali capitulo Cistertii salutem & apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum Magistri & fratrum Ordi-

Ordinis humiliatorum fuit propositum coram nobis, quod licet eis a sede apostolica sit indultum, ut nullus fratres ipsius Ordinis discedentes ab eo absque ipsius Magistri licentia possit recipere aut retinere sine speciali mandato sedis ejusdem faciente plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem (1) quidam tamen Abbates, & fratres Ordinis vestri fratres predicti Ordinis humiliatorum recipiunt in supradictorum Magistri & fratrum prejudicium, & Ordinis eorum non modicum detrimentum. Quia vero inter vestrum & ipsorum Ordinem decet haberi sincerissimam caritatem, universitatem vestram rogamus & hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pro divina & nostra reverentia taliter in vestro capitulo disponatis, quod aliquis frater ejusdem Ordinis humiliatorum in Ordine vestro contra tenorem ipsius indulgentie nullatenus admittatur; ita quod devotio vestra exinde digna laudibus, & gratiarum actionibus habeatur (2). Dat. Mediolani decimo Kal. Septemb. pontificatus nostri anno nono.

Sig. de more.

(1) Vide sup. pag. 203.

(2) Similes literas dederat olim ad Cistercienses Gregorius IX. ne Fratres Ord. Minorum reciperent, quas edidit Wadingus *Annal. Minor. T. II. pag.* 625.

Privilegium Innocentii IV. sicut nulla domus Ordinis vitare debeat visitationem Domini Magistri Generalis.

1251. 25. Aug. Ex Cod. Puric.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Magistro & fratribus Ordinis Humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Insinuastis nobis, quod Præpositi, Prælati, & fratres quarumdam domorum Ordinis vestri, licet juxta pro-

professionem emissam habitum vestrum deferant, & Regulam ejusdem Ordinis observent, tamen tibi, fili Magister, obedire, ac te ad visitationem & correctionem sicut ceteri prepositi & fratres prædicti Ordinis admittere denegant minus juste, in animarum suarum periculum, & ipsius Ordinis evidens detrimentum. Nos itaque vestris supplicationibus annuentes, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut Magister sæpedicti Ordinis, qui pro tempore fuerit, Præpositos, Prælatos, & fratres hujusmodi, quod sicut ceteri Præpositi ac fratres ejusdem Ordinis sibi obediant, ac eum ad debitam correctionem & visitationem admittant, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellat. Dat. Mediolani octavo Calendas Septemb. pontificatus nostri anno nono.

Joannis Episcopi Florentini literæ, quibus Humiliatos a S. Donati ad Turrim ad S. Luciæ transfert.

1251. 11. Sept.

Editæ sunt ab Ughellio Vol. III. Ital. Sacr. in Episc. Florent.

Privilegium quod fratres non compellantur ad pedagium exigendum vel ad aliquod offitium vel ad pensandam farinam.

1251. 22. Sept. Ex Bibl. Braid.

INnocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri archiepiscopo mediolanen. salutem & apostolicam benedictionem. Personis omnibus ecclesie Romane devotis, & illis precipue, que sub religionis habitu conditori omnium pia studeant con-

conversatione placere, te cupimus inveniri promptum in opportuni favoris gratia, que ipsis dignoscitur opportuna. Sane ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod potestas & commune mediolani fratres primi & secundi Ordinis humiliatorum officia publica seu communitatis gerere, ac exigere pedagia, & ad portam civitatis stare ut blada & farinas ponderent seu mensurent (1), per captionem bonorum suorum, per inhibitionem quod homines mercimonia cum ipsis non exerceant (2), neque molant in molendinis eorum pro sua voluntate compellunt. Cum itaque nos dictos fratres nullatenus velimus hujusmodi oneribus prorsus indecentibus aggravari, quia redundant in detrimentum libertatis ecclesiastice, & vergunt in damnum & injuriam ordinum predictorum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dictos potestatem & commune, quod eosdem fratres super premissis de cetero non molestent, & ablata eis occasione hujusmodi sine qualibet difficultate restituant, attentius moneas, & juxta officii tui debitum per censuram ecclesiasticam compellere non omittas. Quod si forte super hoc negligens fueris & remissus, dilecto filio archipresbitero Modociensi (3) Mediolanen. diocesis damus nostris litteris in mandatis, ut te ad id monitione premissa, auctoritate nostra, appellatione remota compellat; non obstante si tibi a sede apostolica sit indultum, quod suspendi, vel interdici, aut excommunicari non possis sine aliqua indulgentia,

---

(1) De hisce muneribus, quibus Humiliati fungi coacti sunt, satis diximus Vol. I. Differtat. V. num. XIX &c., ubi etiam vidimus aliorum pariter Religiosorum Cœtuum hominibus fuisse illa demandata.

(2) Lanæ scilicet & pannorum, quæ ab Humiliatis exercebantur.

(3) Modoetiensis Archipresbiter adhuc forte erat Ardericus de Soresina, qui an. MCCL. Humiliatis Modoetiensibus de Medio vico ecclesiæ construendæ facultatem fecit, cujus hac de re literas edidit Julinius (*Memor. T. VIII. pag. 655.*) Idem has etiam Innocentii literas a nobis editas protulit Ib. pag. 664., sed visum est eas hic iterum afferre, ut Pontificiæ literæ omnes ad hæc Humiliatorum munera pertinentur uno fere intuitu conspiciantur.

tia, de qua in litteris nostris plenam & expressam oporteat fieri mentionem. Dat. Brixie (4) decimo calendas Octob. pontificatus nostri anno nono.

Sig. de more.

(4) Innocentius post Idus Sept. Mediolano digressus, Brixiam contendit, ubi aliquamdiu substitit, ut ex literis hisce colligimus. V. Pagium in ejus vita, & Julin. (*Memor. T. VIII. pag.* 91.)

Tria privilegia Innocentii IIII.

1252. 13. Maji Ex Bibl. Braid.

IN nomine Domini. anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, die lune, decimotertio mensis Maii indictione decima in civitate mediolani in camera sita juxta ecclesiam Sancti Barnabe prope palatium archiepiscopatus mediolanen. (1) presentibus fratre Jacobo de besana de ordine minorum, & fratre Bartholomeo de padua de eodem ordine, & fratre Ottobello de gallarate de Ordine Humiliatorum capell. infradicti domini Archiepiscopi, omnibus rogatis testibus, dominus frater Leo (2) Dei gratia sancte mediolanen. ecclesie venerabilis Archiepiscopus, precepit mihi infrascripto Gualterio notario, ut autenticarem, & insinuarem (3), & in publicam formam redigerem ad perpetuam firmitatem & memoriam obti-

(1) Ædes hæc S. Barnabæ sacra commemoratur etiam in Calendario Sitoniano, & in charta an. MCXLII. apud Cl Julinium (*Memor. T. V. pag.* 123 & 402.) Ibi tamen posita illa dicitur *in domo Archiepiscopi*. In nostro autem monumento statuitur *prope palatium archiepiscopatus*. Sed forte hæ voces *prope palatium* &c. non ad Ecclesiam ipsam, sed ad *cameram* referendæ sunt, ut hæc juxta S Barnabæ Ecclesiam, ac proinde prope Archiepiscopi ædes sita esset.

(2) Leo de Perego ex Ord. Minor., de quo sup. pag. 221.

(3) *Insinuare* in chartis medii ævi idem est ac in acta publica referre. V. Cangium ad hanc vocem.

nendam, & ut eis fides adhibeatur omni tempore tamquam publicis inſtrumentis & originalibus, tres litteras bullis plumbeis domini Pape bullatas, ſanas & integras tam in bullis & filis, quam carta & litteris, & in nulla ſua parte vitiatas nec corruptas. Tenor prime talis eſt. *Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiſcopo mediolanen., & brixien. & papien. Epiſcopis* (4) *ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Meritis devotionis dilectorum filiorum magiſtri & fratrum ordinis humiliatorum inducimur, ut eos favore benivolo proſequamur, & ſuper iis, que digne cupiunt, habeamus providentie ſtudium efficacis. Hinc eſt, quod nos eorum ſupplicationibus inclinati, ut fratres primi & ſecundi Ordinis eorum communia negotia civitatum vel aliquorum locorum exercere, vel pedagia colligere minime teneantur, eis auctoritate apoſtolica per noſtras literas duximus indulgendum diſtrictius inhibentes, ne aliquis ex eiſdem fratribus ſe de premiſſis preſumat intromittere ſine ſpeciali mandato ſedis apoſtolice faciente plenam & expreſſam de indulgentia hujuſmodi mentionem. Quocirca fraternitati veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus non permittatis ab aliquibus dictos magiſtrum & fratres ſuper iis contra conceſſionis & inhibitionis noſtre tenorem indebite moleſtari, moleſtatores hujuſmodi per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Quod ſi non omnes iis exequendis poteritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Dat. Mediolani duodecimo Kal. Septemb. pontificatus noſtri anno nono* (5). Tenor vero ſecunde talis eſt: *Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili Fratri Archiepiſcopo mediolanen. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Perſone humiles divini nominis laudibus deſudantes non injuriis ſeu moleſtiis affici, ſed honore debent & gratia confoveri. Sane conqueſti ſunt nobis dilecti filii magiſter, prepoſiti, & prelati ordinis humiliatorum*

(4) Brixienſi Eccleſiæ per ea tempora præerat, ut jam diximus, Azzo de Turbiado. Papienſi vero, ut diximus, Rodobaldus Cipolla.

(5) V. ſup. pag. 244.

rum de Lombardia, *quod licet professores ejusdem ordinis*, *temporis faciente malitia*, *sunt afflicti gravibus nocumentis*, *& diversis premantur oneribus expensarum*, *tamen quidam potestates & communia Lombardie & precipue potestas & commune Mediolan. a domibus ipsius ordinis*, *que sunt eorum constitute districtu*, *quamdam nomine mutui pecunie summam exigunt*, *& extorquere nituntur* (6). *Cum autem pati nolimus*, *quod afflictis addatur afflictio*, *& humiliati sub potenti manu Domini trahentur* (forte *graventur*) *injuriis a potentia laicali*, *fraternitati tue per apostolica scripta mandamus*, *quatenus potestates & communia memorata*, *ut super hujusmodi exactione*, *extorsione pecunie*, *& aliis exactionibus indebitis fratres ejusdem Ordinis non molestent*, *monitione premissa*, *per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas*. *Dat. Lugduni secundo Id. Februar. pontificatus nostri anno octavo*. Tenor vero tertie talis est. *Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo mediolanen. & brixien., ac papien. salutem*, *& apostolicam benedictionem*. *Ex parte dilectorum filiorum Magistri & fratrum ordinis humiliatorum fuit propositum coram nobis*, *quod licet fratribus tertii Ordinis a sede apostolica sit indultum*, *ut arma portare seu aliquam guerram facere minime teneantur* (7), *potestates tamen & communia civitatum & aliorum locorum ab hujusmodi fratribus in suo districtu existentibus*, *pro eo quod ad exercitus non accedunt*, *collectas exigunt & extorquent*. *Nos itaque volen-*

(6) Exstat in Modoetiensium Canonicorum tabulario monumentum an. MCCLX. XVII. a Cl. Julinio editum (*Memor. T. IX. pag. 98.*), quod forte ad hanc ipsam pecuniæ mutuationem pertinet, quæ hic innuitur. Cum Modoetienses domus S. Agathæ Humiliati magnam olim pecuniæ vim Mediolanensi Reipublicæ mutuam dare coacti essent, pretiosa aliquot ditissimi illius thesauri vasa, qui a Theodelinda Regina Modoetiensi Ecclesiæ dono datus fuit, apud Humiliatos eosdem pignoris loco deposita fuerant. Anno vero MCCLXXVII. pecunia ex parte Humiliatis soluta thesauri ipsius partem Modoetiensi Ecclesiæ illi reddiderunt, ut ex memorato monumento colligimus.

(7) V. Innocentii ejusd. literas superius recitatas pag. 243.

tes ut de indulgentia hujusmodi fratribus ipsis fructus proveniat affectatus, eis auctoritate apostolica per litteras nostras indulgemus, ut iidem propter premissa nullam collectam solvere teneantur. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus non permittatis ab aliquibus dictos fratres super iis contra concessionis nostre tenorem indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes iis exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Dat. Mediolani duodecimo Cal. Septemb. pontificatus nostri anno nono.

Ego Gualterius filius quondam ser petri antillii burgi porte horientalis civitatis mediolani & scriba predicti domini Archiepiscopi rogatus interfui & autenticavi ut supra, & sicut in ipsis continebatur literis, ita & in hoc legitur instrumento, nihil dempto, addito, vel mutato, quod mutet sensum, vel variet intellectum, & ad scribendum dedi, & me subscripsi.

Ego petrus filius guillielmi magistri de sexto (8) burgi porte nove civitatis mediolani notarius jussu suprascripti Gualterii notarii scripsi.



Pri-

(8) Guillelmus de Sexto Petri pater idē forte est, qui in monumento an. MCCXXXIII. a Muratorio edito (*Antiquit. Ital. T. IV. pag. 331.*) commemoratur, atque Abbas cognomento vocari dicitur.

Privilegium quod episcopus novariensis debeat excomunicare Potestatem Mediolani.

1252. 12. Aug. Ex Bibl. Braid.

INnocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Novarien. (1) salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filii fratres (2) ordinis humiliatorum Mediolanen. civitatis & diocesis suam ad nos querimoniam destinarunt, quod potestas & commune Mediolanen. non attendentes, quod in clericos vel personas ecclesiasticas nulla est eis iurisdictio attributa, eosdem fratres ad suscipienda publica officia civitatis ipsius, & ad mutuandam pecuniam eidem communi pro sua voluntate compellunt in dictorum fratrum prejudicium & gravamen super quo petierunt sibi per sedis apostolice providentiam subveniri. Cum autem hec, si vera sint, que redundant in prejudicium ecclesiastice libertatis, nequeamus conniventibus oculis pertransire, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita predictos potestatem & commune, quod ab eorumdem fratrum super premissis compulsione ac molestatione omnino desistant, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota compellas, proviso ne in universitatem mediolanen. (3) excommunicationis vel interdicti sententiam proferas, nisi a nobis super hoc mandatum receperis speciale. Dat. Perusii (4) tertio Id. Augusti pontificatus nostri anno decimo.

Sig. de more.

Ven-

(1) Sigebaldus is erat, quem Lazarus Aug. Cotta in Museo Novariensi e Caballatia gente fuisse dicit.

(2) Extat harum litterarum exemplar in Codice Puricelliano, ubi hoc loco scribitur *fratres primi & secundi Ordinis*.

(3) Cod. Puric. *in universitate mediolanensi*.

(4) Hanc urbem, Pagio teste, (*Chron. Pontif in Innoc. IV.*) Innocentius tenuit ab ineunte Novemb. an. MCCLI. ad diem XIX. April. an. MCCLIII.

Venditio facta a fratre arnoldo & fratribus & sororibus domus humiliatorum que dicitur arderici lovoni sororibus de ranuce.

1253. 25. Apr. Ex Tabul. Capit. Canturiens.

IN nomine domini anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio quintodecimo die aprilis indictione undecima vendicionem ad proprium vel ad libellum, secundum quod res inventa fuerit, libere tamen & absolute ab omni ficto, censu, condicione onere & servitute prestandis vel faciendis, seu etiam sustinendis excepta decima fecerunt frater arnoldus Rapacocta frater & minister domus humiliatorum de planela (1), que dicitur arderici lovoni de burgo canturio, & cum eo frater obizo de silva, & frater iohannes boxius, & frater guillelmus de carate fraties illius domus, & domina somia soror & ministra illius domus, & berta de gezonibus, & anexia de cosa, & caracosa rapacocta, & giera mazachani, & obiana de prinis, & maria de repozo, & concordia de . . . . . tancio, & caracosa soror ejus, & alegrantia iohannis sgiavine, & margarita petri arcatoris, & benedicta de gezonibus & divitia filia arderici bezani, & anexia de pixina sorores illius domus vice & nomine & ex parte illius case in dominam begeparem de beroldis sororem & ministram & in antea domus humiliatarum de ranuce de planela, omnes de burgo canturio, recipientem nomine & ad partem omnium sororum illius domus & comunis illius domus & totius ordinis humiliatorum civitatis Mediolani & Comitatus, Nominatim de pecia una terre vinee jacente in territorio de gell . . . . . ubi dicitur ad arconum, cui est a mane stratta & pratum johannis de bovo, & ardizeti gezoni, & cujusdam

(1) De hac, aliisque, que hic nominantur, Canturiensibus Humiliatorum domibus V. Vol. I. pag. 388. 389.

dam hominis de cumis; a meridie civolini de leda; a sero her. quondam petri rodatii & in parte jacobi xelli & in parte accessium; a monte humiliatorum domus de planela, que dicitur arderici de cruce; & est pertice viginti & septem & tabule quindecim, & sic infra suprascriptas coherentias sicut est terminata & designata & quanta inventa fuerit in presenti remaneat venditione . . . . Ita ut amodo in antea omni tempore usque in perpetuum suprascripta domina begepare ministra nomine illius domus, & sorores illius domus cum suis successoribus, & cui dederit habere & tenere & possidere debeat suprascriptam terram ut supra videlicet, una cum superioribus & inferioribus, seu cum finibus & accessionibus suis, cum omnibus suis utilitatibus in integrum, & facere exinde debeat cum suis successoribus & cui dederit juris proprietarii vel libellarii nomine sine ullo censu reddendo quidquid voluerit sine alicujus contradictione. Insuper venditores empt. cesserunt dederuntque, tradiderunt & mandaverunt omnia jura & omnes actiones & rationes exceptiones, defensiones, retentiones, & repritationes, usus, conditiones reales & personales utiles & directas & . . . . . quæ & quas habebant vel uti seu aliquo modo habere poterant modis omnibus & per omnia in suprascripta & pro suprascripta terra per omnia & de illa eam in suum locum posuerunt, & suum missum & procuratorem in rem suam constituerunt, & sicut venditores emptori per omnia constituentes, & jam se tenere & possidere dictam terram nomine illius emptricis volentes in eam dominium & possessionem transferre, cui possessioni continuo renunciaverunt, eamque in ipsam emptricem transtulerunt, & relinquerunt, & se absentes inde fecerunt (*hic linea integra corrosa, ut nullus sensus eliciatur*) & privilegio & omni regule & ceteris juribus quo vel quibus se tueri vel juvari possent aliquo modo predicti frater arnoldus minister, & suprascripti fratres, & domina somia ministra & omnes alie predicte sorores suprascripte domus nomine ipsius

ipſius domus, ita quod defendere & guarentare habent cum ſuis ſucceſſoribus ſupraſcriptam terram ut ſupra, videlicet eidem domine begepare recipienti nomine ſupraſcripte domus de ranuce & totius ordinis humiliatorum, ut ſupra dictum eſt, & ſuis ſucceſſoribus, & in omni tempore & in omni litis eventu a libello dato in antea ab omni homine ſuis dampnis & expenſis & ſine dampno & diſpendio illius emptricis & ejus ſucceſſorum, & cui dederit. Et pro qua venditione & pretio dicte terre confeſſi & contenti fuerunt predicti frater arnoldus miniſter & omnes ſupraſcripti fratres & ſorores venditores libras centum decem denariorum novorum (1) a dicta domina begepare ſupraſcripto nomine recepiſſe renunciando exceptioni non numerate pecunie quod pretium proceſſit in utilitate ſupraſcripte domus videlicet ad ſolvendum pretium quatuor petiarum terre jacente in territorio de canturio ſive de vigezolo, ubi dicitur in domeda, que emerunt unam a ſtephano tancio, & aliam a zano de zena, & aliam a leone xaguino, & aliam a ſer arderico de oſenago, ut in omnibus & per omnia confeſſi fuerunt renunciando omni exceptioni non rei ita exiſtentis.

Quia ſic inter eos convenit. Actum Canturii in ſupraſcripta domo. Interfuerunt ibi teſtes rogati petrus filius quondam petri de lola, & guillelmus filius petri de longono & ſtephanus & bartholomeus fratres filii quondam ſtephani prine, ſtephanus filius jacobi coboldi de marliano & pro notario dominus bobizo filius quondam leonis gezonis & jacopinus filius guillelmi prine omnes de canturio.

Ego guillelmus filius ariprandi prine notarius de canturio . . . . . . hanc cartam tradidi & ſubſcripſi.

Ego

(1) Circa an. MCCLI. leges de monetis cudendis latas Mediolani fuiſſe Mediolanenſes hiſtorici edocent. Enimvero frequens monetæ novæ vel denariorum novorum mentio in hujus temporis monumentis occurrit.

Ego Jacopinus filius guillelmi pri*c notarius de canturio hanc cartam fcripfi, & pro fuprafcripto notario interfui.

Privilegium quod fratres poffint tempore jejunii uti ovis, cafeo & lacte.

1253. 20. Nov. Ex Bibl. Braid.

INnocentius epifcopus fervus fervorum Dei G. fancti euftachii diacono cardinali (1) falutem & apoftolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii Magifter, prelati, & fratres fecundi ordinis humiliatorum petitione monftrarunt, quod in regula ipfius Ordinis continetur, ut fratres ejufdem ordinis tempore, quo jejunant, ab ovis, lacte ac cafeo debeant abftinere (2). Quia vero quotienfcumque jejunant id obfervare non poffunt, nobis humiliter fupplicarunt, ut eis concedere dignaremur, quod in illis diebus, in quibus per ecclefiam non eft indictum jejunium, ftatuto hujufmodi non obftante, ovis, lacte ac cafeo uti poffint. Nos itaque de circumfpectione tua gerentes in Domino fiduciam pleniorem, prefentium tibi auctoritate committimus, ut fuper hoc ftatuas, quod videris expedire. Dat. Lateran. duodecimo kal. Decemb. pontificatus noftri anno undecimo.

Sig. de more.

(1) Erat hic Guillelmus de Flifco, Innocentii fratris filius (V. Ciacon. *in Innoc. IV.*) qui per hoc tempus Humiliatorum Protector renunciatus fuiffe videtur, ut clarius conftabit ex monumento an. MCCLIV. 11. Febr. inferius edendo.

(2) Vide Vol. I. Differtat. III. num. 7.

Privilegium quod fratres non agant offitia fecularia fine licentia Domini pape vel domini archiepifcopi.

1253. 13. Dec. Ex Bibl. Braid.

INnocentius Epifcopus fervus fervorum Dei dilecto filio Magiftro Ordinis humiliatorum falutem & apoftolicam benedictionem. Ex parte tua & dilectorum filiorum ac prepofitorum, prelatorum, & fratrum primi & fecundi ordinis humiliatorum mediolanen. civitatis & dioc. nobis fuit humiliter fupplicatum, ut cum nos eis dudum per noftras indulxerimus litteras, ut ipfi communia negotia civitatum vel aliorum locorum exercere, vel pedagia colligere minime teneantur, eis diftrictius inhibentes, ne aliquis ex eifdem fratribus fe prefumat intromittere de premiffis fine fpeciali noftro mandato, faciente plenam & expreffam de indulto hujufmodi mentionem; & . . . . poteftas ac comune mediolan., ipfos quod per indulgentiam & inhibitionem eamdem de predictis fe intromittere pretermittunt, plurimis perturbant injuriis, & afficiunt detrimentis; ipfis, quod predicta indulgentia & inhibitione nequaquam obftantibus, fe de premiffis, pro hujufmodi vitandis injuriis ac detrimentis, intromittere valeant, concedere curaremus. Quocirca difcretioni tue per apoftolica fcripta mandamus, quatenus fuper hoc difponas & ordines cum iifdem, prefatis indulgentia & inhibitione non obftantibus, quod falva dicti ordinis honeftate & animarum falute videris expedire. Dat. Laterani Id. Decemb. pontificatus noftri anno undecimo.

Sig. de more.

Hu-

Humiliatorum de prato ticini.

1253. 18. Dec. Ex Bibl. Braid.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis preposito & conventui domus humiliatorum de prato ticini papien. (1) salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilecti in domino filii vestris devotis supplicationibus inclinati omnes libertates & immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus vobis concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum a Regibus, principibus, & aliis Christifidelibus rationabiliter vobis indultas, terras quoque, possessiones & alia bona vestra, si ea omnia juste ac pacifice obtinetis, vobis & per vos domui vestre auctoritate apostolica confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum petri & pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Laterani decimoquinto Cal. Jan. pontificatus nostri anno undecimo.

Sig. avulsum.

(1) De hac Papiensi Humiliatorum domo diximus sup. pag. 3.

Controversia inter Alexandrinos S. Michaelis & Dertonenses S. Marci Humiliatos.

1254. 11. Febr. Ex Monum. apud Cl. Mannium.

IN nomine Domini anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, die martis undecimo intrante mense Februarii (1) inditione duodecima. Noverint universi Fideles in Christo presentes litteras inspecturi, quod cum inter dilectos fratres nostros Prepositum & Conventum Ecclesie seu domus Sancti Michaelis de Alexandria Ordinis Humiliatorum ex una parte, & Conventum Ecclesie Sancti Marci de Terdona ejusdem Ordinis ex altera (2), controversia emersisset super eligendo Priore in eadem Ecclesia Sancti Marci, & ubi Novitii ejusdem Ecclesie debeant profiteri (3), nec non super obventionibus, & rebus, & lucris, quocumque titulo provenientibus ad easdem, ac illis recipiendis ad fraternitatem ipsius conventus, qui in valitudine positi pro animarum suarum salute ad Dominum

(1) De hac loquendi ratione V. sup. pag. 149.

(2) Dertonensem S. Marci domum Alexandrinæ S. Michaelis domui obnoxiam fuisse, ac Priorem proinde, non vero Præpositum illi præfuisse, ostendimus sup. pag. 64.

(3) Nullæ olim erant apud Monachos Tironibus tantummodo instituendis assignatæ ædes, sed in unoquoque Monasterio locus a ceteris sejunctus iisdem tribuebatur. Quin etiam quo in Monasterio quisque Monasticam professionem emittebat, in eodem plerumque degere consueverat. Hinc frequentissimus ille professionis modus: *promitto stabilitatem, & obedientiam & conversionem morum meorum in hoc monasterio* V. Martene *de Monach ritibus lib. V. Cap. IV.* Enimvero vidimus Vol. I. Diss. IV. num. XX. Fratrem Tiberium Parmensem, qui deinde Humiliatis præfuit, Generalis Humiliatorum Conventus auctoritate a Parmensi domo, in qua professionem emiserat, ad Bergomensem traductum fuisse. Ideo porro de professionis loco controversia inter Dertonenses & Alexandrinos Humiliatos exorta erat, quod, ut ait ibidem Martenius, *Novitii in Monasteriis a majori* (monasterio) *pendentibus admissi & probati, in principali seu Capitaneo Monasterio professionem facerent.* Hic tamen secus a Beltramo statutum videmus.

num converti desiderant (4), & hujusmodi controversia fuisset ad Sedem Apostolicam devoluta, tandem nos Frater Beltramus totius Ordinis Humiliatorum Magister a Sede Apostolica recepimus litteras in hac forma. *INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Magistro Ordinis Humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii Prior & Fratres Ecclesie Sancti Marci Terdonensis tui Ordinis petitione monstrarunt, quod cum causa, que inter ipsos ex parte una, & Prepositum & Conventum Ecclesie Sancti Michaelis de Alexandria ex altera, super eo quod iidem Prepositus & Conventus asserunt dictum Priorem & Fratres sibi fore subjectos, ac quibusdam aliis juribus vertitur coram te, qui jurisditionem obtines inter partes, sit diutius agitata, Tu terminare causam hujusmodi neglexisti, in dictorum Prioris & Fratrum prejudicium, & gravamen. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quo circa discreptioni tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus, si est ita, eandem causam juxta statuta & regulares observantias dicti Ordinis, prout ipsi Ordini expedire videris, studeas terminare, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Laterani Idus* (ita) *Decembris Pontificatus nostri anno undecimo.* Suscepimus etiam Litteras Domini Guglielmi Sancti Eustachii Diaconi Cardinalis Venerabilis Patris nostri Ordinis Protectoris (5) in hunc modum: *GUILLELMUS miseratione Divina Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis*

---

(4) Frequentissimus medio ævo mos fuit, ut principes etiam viri graviter ægrotantes, non solum Monasticas vestes induerent, sed Religiosa etiam vota nuncuparent, quibus, si convaluissent, adstringebantur. Erudite in hanc rem disputat Mabillonius *Præfat. in Act. SS. Ord. S. Bened. Sæc. I. num. CV. Sæc. III. num. XXI. Sæc. IV. num. CXCI. Præf. I. Sæc. VI. num. XXV. & Præf. II num. XCVIII.* Hi porro *Conversi ad succurrendum*, seu *Monachi ad succurrendum* dicebantur. Plura etiam de iis apud Cangium ad vocem *Monachi ad succurrendum*. Sæculo adhuc XIV. morem hunc viguisse Mabillonius animadvertit.

(5) V. sup. pag. 257.

lis dilecto sibi in Christo religioso viro Magistro Ordinis Humiliatorum salutem in Domino Jesu Christo. Si discreptio vestra sollicite, ut debuerat, attendisset, quam periculosum, quamque dampnosum sit ipsis sancte contemplationi deditis, occasione aliquarum emergentium contemptionum, quoquo modo retrahi obsequium Jesu Christi, & in prosecutionibus earum, & litium consumere bona sua, pati nullo modo debebatis, quod aliquot Fratres domorum vestrarum, qui plene vobis ab apostolica Sede in spiritualibus & temporalibus sunt commisse, cujusvis contemptionis causa ad Sedem Apostolicam accessissent, ut ibi litium voragini modica Ecclesiarum suarum . . . . emergendo vacarent ab operibus, quibus noscuntur se perpetuo devovisse. Sane inter Prepositum & Conventum Sancti Michaelis de Alexandria ex parte una, & conventum Ecclesie Sancti Marci de Terdona ex altera, super eligendo Priore in ipsa Ecclesia Sancti Marci pro tempore, Novitiorum professione, obventionibus, seu lucris eidem Ecclesie Sancti Marci, ac infirmis ad conversionem recipiendis, in ea materia contemptionis exorta, quidam ex Fratribus ipsarum Ecclesiarum propter hoc ad Sedem Apostolicam accesserunt; ne ibi litigando brevi ora consumerent Ecclesiarum suarum substantiam longis sudoribus acquisitam, nolumus ipsos super premissis in curia aut alibi litigare. Quapropter providentie vestre mandamus, quatenus assumptis vobis providis & religiosis viris Ministro Fratrum Minorum Provincie Mediolani, de Rondaneto, ac de Vico Baldono Prepositis, Fratre Tuttobello de Modoecia, & Fratre Mirano de Braida Ordinis Humiliatorum, super premissis inter predictos Prepositum & Conventum, & inter alios etiam vobis subjectos, super similibus contemptionibus statuatis, & ordinetis de predictorum consilio, quod secundum Deum, animarum saluti degentium in prefatis Ecclesiis personarum, & tranquillo ac pacifico ipsarum statui equitate pensata videris expedire, sic omnem prorsus contemptionis nodum salubriter precidente, quod ad nos super hiis de cetero querimonia non ascendat. Quod si aliquis religiosorum predictorum hiis interesse nequiverit, aut fortasse noluerit, aut ab hiis discentiendum duxerit, de aliorum consilio premissa

missa exequi procuretis. Et quia timemus ne super eisdem articulis inter prefatos Prepositum & Conventum Sancti Michaelis, & Conventus Ecclesiarum Sancte Marte de Janua, & Sancte Trinitatis de Asti (6) contemptiones similes oriantur, nos antedictus Frater Beltramus totius Ordinis Humiliatorum Magister volentes, & serio affectantes de medio Fratrum ipsorum discordiarum & litium materiam summovere, cum talibus involvi non deceat Dei servos, diligentem tractatum habuimus super hujusmodi contemptionibus sopiendis cum supradictis Prepositis de Rondaneto, & de Vico Boldono, & Fratribus Tutto Bello de Modoecia, & Mirabono (*ita*) de Braida, Ministro Minorum absente, qui perquisitus non potuit, quia non erat in istis partibus, inveniri. De quorum Prepositorum & Fratrum ibi presentium consilio & assensu statuimus & ordinamus, sicut infra proxime continetur. In Nomine Domini Nostri Jesu Christi amen. Nos Frater Beltramus totius Ordinis Humiliatorum Magister statuimus, & ordinamus, atque precipimus, ut cum in aliis (*videntur aliqua deesse*) accedat ad illam, in qua prior fuerit ordinandus, de cujus conventu eligat quattuor Fratres providos & discretos, salutem animarum & utilitatem Ecclesie affectantes, cum quorum vel majoris partis consilio & assensu eidem Ecclesie de persona idonea provideat in Priorem. Quod si duo ipsorum in partem unam, reliqui vero in alteram declinarent, liceat Preposito, quorum duorum maluerit sequi consilium in preficiendo Priore, qui non videatur ratione aliqua reprobandus. Quod super (*videtur legendum* si illi, *vel* si predicti) quattuor nollent in electione procedere,

(6) Genuensem S. Marthæ domum ab Alexandrino S. Michaelis Præposito fundatam fuisse vidimus sup. pag. 62. ideoque poterant S. Michaelis Præpositi juris aliquid in eamdem sibi sumere. Astensem Domū S. Trinitatis eamdem esse diximus, quæ *Domus Dei* vocabatur, quæque forte ab Alexandrina S. Michaelis domo originem duxerat.

dere, vel malitiose procurarent differre (liceat) eidem Preposito de Priore idoneo eidem Ecclesie providere. Quod si Prepositus infirmitate vel alio impedimento canonico preventus ad ipsas Ecclesias personaliter accedere non valeret, constituat ad hoc suum Vicarium vel Nuntium specialem, qui vice ipsius predictos quattuor eligat, & cum consilio eorum super electione Prioris procedat, prout de ipso Preposito superius est expressum. Cum vero Prior electus fuerit, idem Prepositus si presens erit, alioquin ejus Vicarius cum consilio ipsius Prioris & predictorum quattuor eligat ceteros officiales, qui dicte Ecclesie, & constituta sunt (*aut aliquid deest, aut aliter legendum*) de electione Prioris & Officialium . . . . volumus & statuimus annuatim. Super eorum receptionem, qui ad Dominum in sanitate converti desiderant, statuimus & ordinamus, ut tres de quolibet conventu predictarum Ecclesiarum conveniant ad Ecclesiam Sancti Michaelis de Alexandria, & ibi cum Preposito & sex de Fratribus ejusdem Ecclesie Sancti Michaelis tractatum habeant de numero recipiendorum in qualibet ipsarum Ecclesiarum tam Sancti Michaelis, quam aliarum predictarum, & cum de numero convenerint, statuimus ut Prepositus Sancti Michaelis cum consilio & assensu Fratrum & ipsius Ecclesie Sancti Michaelis recipiat ibi Fratres & Sorores usque ad numerum illum, qui ibi fuerit pretaxatus. Eodem vero modo idem Prepositus per se vel Nuntium suum ad Ecclesias conductas (*videtur error aliquis irrepsisse, aut aliquid deesse*), & ibi cum consilio & assensu Prioris & Fratrum cujuslibet earum, Fratres & Sorores recipiat juxta numerum recipiendorum in qualibet Ecclesia pretaxatum. Super professione Novitiorum admittenda statuimus & observare precipimus, ut cum in aliqua predictarum Ecclesiarum aliquis Novitius fuerit, qui profiteri desideret observantiam regularem, idem prepositus accedat personaliter ad eandem, & de vita & moribus profiteri volentis diligentius inquisito, si Priori & Conventui

domus

domus ejusdem placuerit ab ipso Novitio professionem recipiat regularem, ne dum extra ea claustra septa per loca diversa pergentes relabantur in memoriam & desiderium veterum voluptatum. Quod si casu aliquo non posset idem Prepositus anteire, volumus per ipsum mandari Priori ejusdem Ecclesie, ut professionem recipiat vice sua. De infirmis autem ad conversionem recipiendis statuimus, & precipimus observare; cum aliquis in egritudine constitutus ad Ordinem ipsum in aliqua Ecclesiarum pro anime sue salute converti voluerit, Prior & Conventus ejusdem Ecclesie hoc notificent, quam citius potuerint, Preposito antedicto; & ab eo super receptione ipsius infirmi petat licentiam humiliter & devote, quam volumus esse dandam, ne impediatur propositum divinitus inspiratum: alioquin eum recipere liceat Priori & Conventui supradictis. Si vero de ipsius infirmi adeo morte subita probabiliter timeretur, quod tam ipsius interitum (*ita*), quam licentia postulari nequiret, vel etiam expectari, eisdem Priori & Conventui de ipso recipiendo in hoc casu licentiam indulgemus, precipientes sub debito obedientie, ut in fraudem predicte licentie postulande nulli pretendant timorem interitus, ubi non sit probabiliter dubitandum. Quod si Prepositus adeo in partibus remotis existeret, quod in brevi non posset hujusmodi licentia postulari, & casus mortis incumbat, liceat eidem Priori & Conventui recipere infirmum eundem. De hiis vero, que alicui Ecclesiarum ipsarum legantur, vel offeruntur, vel ad eas aliquo titulo perveniunt, preterquam de mercaturis consuetis (7), statuimus & precipimus, ut ea omnia deveniant & cedant in proprium ipsius Ecclesie, & usum Fratrum & Sororum commorantium in eisdem. Super lucris provenientibus & consuetis & honestis mercaturis, sic providentes statuimus observandum, ut per Fratres

(7) De iis scilicet, quæ lana pannisque faciendis exercebantur, de quibus sermo fuit Vol. I. Diss. V.

ad illud officium deputatos regantur fideliter, & ab aliis bonis illius Ecclesie habeantur penitus separata; & de ipsis cum commode fieri poterit ante omnia imminentia debita persolvantur. Statuentes & precipientes, ut predictarum Ecclesiarum Priores & Conventus aliquas possessiones non emant, nec edificia construant, absque nostra & Prepositorum de Vicoboldono, & ultra Ticinum consilio & assensu, donec ipsa debita fuerint integre persoluta. Quibus debitis exsolutis, quod ex tunc de ipsis lucris faciendum fuerit, nostre ac ejusdem Prepositi Sancti Michaelis permissioni & ordinationi servamus. Quæ (omnia) & singula, ut superius legitur, statuimus & precipimus inviolabiliter observari, salvis omnibus subjectionibus, & honoribus, visitationibus, & correptionibus & juribus aliis pertinentibus in Ecclesiis istis ad Prepositum memorate Ecclesie Sancti Michaelis de Alexandria; & excommunicamus omnes illos qui hujusmodi contra (*forte* nostra) statuta contempserint, vel noluerint observare: reservata nobis & successoribus nostris semper in predictis omnibus & aliis potestate mutandi, addendi, & corrigendi, & interpretandi, prout melius & utilius apparebit. In cuius rei testimonium de hiis jussimus fieri publicum instrumentum, & ipsum nostri sigilli munimine roborari. Omnibus sit pax & tranquillitas. Actum in domo Humiliatorum de Braida in Civitate Mediolani feliciter.

Interfuerunt pro Notariis Maffeus Lignacius filius Porenzani Lignacii, & Bonaventura de Raude filius Raineri de Raude Civitatis Mediolani.

Interfuerunt ibidem testes Dominus Jacobus Prepositus Ecclesie Sancti Joannis Humiliatorum porte orientalis, & Frater Guglielmus de Sexto Prelatus domus Humiliatorum domus nove, & Frater Anrichus de Mascenago ejusdem domus, & Frater Petrus domus Humiliatorum de Sancta Agata & alii plures.

Innocentii IV. literæ de Ecclesia SS. Faustini & Jovitæ Brixiens. Humiliatis concedenda.

1254. 2. Sept. Ex Tabul. S. Barthol. de Contegnaga Brixien.

INnocentius episcopus servus servorum dei Venerabili fratri.... Episcopo Mantuano (1) salutem & apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum.... Magistri, fratrum, & sororum secundi ordinis humiliatorum Brixien. fuit propositum coram nobis; quod nos olim intellecto, quod fratres ordinis predicatorum se de ecclesia sanctorum faustini & Jovite Brixien. ad aliam volebant, in qua possent liberius divinis immorari obsequiis, se transferre, quodque iidem Magister, & fratres ac sorores mansionem nimis artam habebant, bone memorie Episcopo Brixien. (2) nostris dedimus litteris in mandatis, ut cum clerici ecclesie supradicte universe carnis debitum exolvissent, postquam dicti prior & fratres se de loco transtulissent eodem, ecclesiam ipsam, & ortum etiam, quem habebant ibidem prefatis ministro, fra-

(1) Mantuanus Episcopus tunc erat B. Martinus ex Comitibus Casaloldis. V. Ughell. *Ital. Sacr.* T. I. in Episc. Mantuan.

(2) Azzoni scilicet de Torbiado, qui an. MCCLIII. 18. Oct. decesserat. Gradonic. *Brix. Sac.* pag. 274. Azzoni porro successit Cavalcanus de Salis, quem Ughellius an. MCCLIII. electum dicit. Contra Galeardus in notis ad Ughellium, & Gradonicus idem contendunt Cavalcanum jam ab an. MCCLI. *Suffraganeum*, ut ajunt, Azzoni datum, Capreoli præsertim auctoritate innixi, qui Cavalcanum ab Innocentio Episcopum renunciatum scribit, quo tempore Brixiam e Gallia redux advenit; quod scilicet an. MCCLI. contigit, ut etiam monumento sup. pag. 249. allato confirmatur. Ego tamen, cum nullam in hisce Innocentii literis Brixiensis Episcopi viventis mentionem fieri videam, sed solum Azzonem, qui obierat, commemorari, suspicor nondum Cavalcanum ad Brixiensem sedem evectum fuisse. Enimvero nihil a Cavalcano gestum ante annum MCCLVI. apparet in ipsa Gradonici narratione.

fratribus, & sororibus, si expedire videret, conferre ac assignare curaret, faciens ab eisdem prius dictis priori & fratribus satisfactionem de sumptibus, quos fecerunt in edificiis, congruam exhiberi (3). Qui partem ipsius ecclesie (4) auctoritate litterarum ipsarum liberaliter contulit; ac partem orti jam dicti, domos & edificia predicte ecclesie certis distincta finibus prefatis Magistro, fratribus, & sororibus, Capituli Brixien. ad id accedente consensu, pro quadam vendidit pecunie quantitate, prout in instrumento publico confecto exinde plenius dicitur contineri. Ipsorum igitur Magistri, fratrum, & sororum supplicationibus inclinati presentium tibi auctoritate mandamus, quatenus quod super hiis ab eodem Episcopo provide factum est auctoritate nostra studeas confirmare. Dat. Anagnie IIII. Non. Septembr. Pontificatus nostri anno duodecimo.

---

(3) V. sup. pag. 223. 23.

(4) Ex hisce literis colligimus ipsius Ecclesiæ partem Humiliatis concessam fuisse. Sed cum Ecclesiæ pars hic nominatur, domorum scilicet, quæ ad Ecclesiam pertinebant, pars est intelligenda. Nam Ecclesiam numquam Humiliatis concessam fuisse videbimus in Monum. MCCLXXIII. 31. Mart.

Alexandri IV. Literæ, quibus Monasterium de Rubono Humiliatis confirmat.

1256. 4. Mart. Ex Bull. Francisc. T. II. pag. 121.

ALexander Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Præposito & Fratribus de Rubono Mediolan. Diæcesis Salutem & Apostolicam Benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu consequente complere. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod

quod Venerabilis Frater noster .... Archiepiſcopus Mediolan. prudenter attendens, quod Monaſterium Monialium de Rubono ſuæ Diæceſis tunc Ordinis S. Benedicti (1) propter malitiam degentium in eodem erat adeo in ſpiritualibus & temporalibus deſolatum, quod nulla ſpes remanſerat, quod poſſet in ſuo Ordine reformari, ipſum de aſſenſu Capituli ſui, & Monialium exiſtentium in eodem tam in ſpiritualibus quam in temporalibus vobis perpetuo duxerit ſubmittendum, vobis nihilominus concedens, ut in eodem Monaſterio Ordo veſter per Sedem Apoſtolicam approbatus perpetuis temporibus obſervetur, ac eidem Monaſterio per Præpoſitos dicti Ordinis ſingulis annis Viſitationis & correctionis officium impendatur juxta prædicti Ordinis inſtituta; reſervatis dicto Archiepiſcopo, ſuiſque Succeſſoribus & Eccleſiæ Mediolanenſi omnibus juribus, quæ prius in dicto Monaſterio obtinebant; ita quod præfatis Monialibus de bonis ejuſdem Monaſterii in victu & veſtitu aliiſque neceſſariis, vos tandiu providere curetis, donec per Archiepiſcopum ipſum, & Succeſſores ejus erunt in aliquibus Monaſteriis ſui Ordinis collocatæ, prout in literis inde confectis plenius dicitur contineri. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod per eumdem Archiepiſcopum provide factum eſt in hac parte ratum habentes & gratum, id auctoritate Apoſtolica confirmamus & præſentis Scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani IV. Nonas Martii Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Pri-

(1) De Humiliatorum domo *de Rubono* V. Vol. I. pag 394. & 399. Porro Monaſterii hujuſce, quod ad S. Benedicti Ordinem pertinuiſſe dicitur, nulla in Mabillonianis Annalibus mentio. Mediolanenſis vero Archiepiſcopus, qui Monaſterium hoc Humiliatis conceſſerat, erat Leo de Perego.

Privilegium Alexandri IV., ficut Dominus Magifter Ordinis promoveri facere debet Fratres fecundi Ordinis ad facros Ordines.

1256. 23. Mart. Ex Cod. Puric.

ALexander Epifcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Magiftro Ordinis Humiliatorum (1) falutem & Apoftolicam benedictionem. Dilectus filius frater Ægidius procurator tuus, & totius Ordinis Humiliatorum nobis expofuit, quod fel. rec. Innocentius papa prædeceffor nofter, intellecto quod Religiofæ domus fecundi Ordinis Humiliatorum, divina cooperante gratia, erant dilatatæ rebus, multiplicatæ numero & perfonis, & quod quamplures ipfarum, licet effent magnæ congregationes in eis, Ecclefiarum nondum erant titulis honoratæ; quædam vero etfi haberent Ecclefias, Sacerdotes attamen non habebant, ficque oportebat Fratres & Sorores domorum ipfarum prodire in publicum, & turbis fecularibus immifceri pro ipfis Officiis audiendis, in fuæ Religionis difpendium, & non abfque periculo animarum; ne tantæ Religionis loca fanctis & piis operibus mancipata, manerent ulterius gloriofis Ecclefiarum immunita fignaculis, vel pro minifteriorum (*forte* miniftrorum) defectu reprehenfibiliter indecora, tibi fuis dedit litteris in mandatis (2), ut in eifdem domibus ipfius fecundi Ordinis, in quibus nondum erant Ecclefiæ conftructæ, domorum ipfarum facultate ac perfonarum ipfarum qualitate penfata, Ecclefias ædificari faceres, prout expedire videres, Diocefanorum locorum fuper hoc requifito auxilio & con-

fenfu,

(1) Humiliatorum Ordini adhuc præerat Beltramus primus Generalis Magifter, qui deinde infequente anno MCCLVII. fatis conceffit. V. Vol. I. Difs. IV. num. IV.

(2) Vid. fup. pag. 221.

ſenſu, & tam in illis, quam in aliis domibus dicti Ordinis ſecundi, in quibus erant Eccleſiæ fabricatæ, per Sacerdotes idoneos a Fratribus in dicendis horis Canonicis adjuvandos, divina procurares officia celebrari: ſed tu circa præmiſſa, magis quam honori tuo & animarum ſaluti conveniat, remiſſus exiſtens, quamvis in aliquibus prædictarum Domorum Eccleſias fieri procuraris, tamen in eorum pluribus id omittens, nullos ordinaſti presbiteros juxta mandatum apoſtolicum in eiſdem; ex quo manifeſte noſcitur animarum provenire periculum, Fratribus & Sororibus domorum ipſarum, interdum propter defectum Sacerdotum decedentibus, non ſumpto viatico peregrinationis humanæ. Quia vero circa ea, quæ ſalutem animarum reſpiciunt, te non debes difficilem reddere; ſed ad promotionem ipſorum dare te convenit opem & operam efficacem, diſcretioni tuæ in virtute obedientiæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus, ſi ita eſt, ſubmoto cujuslibet difficultatis, & dilationis obſtaculo, in hujuſmodi procedas negotio juxta directarum ad te ipſius prædeceſſoris continentiam litterarum, fratres quoque domorum prædicti ſecundi Ordinis ad hoc idoneos in Clericos, Subdiaconos, Diaconos, & Presbiteros promoveri facias, eos ad hujuſmodi celebranda officia deputando (3). Alioquin dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ de Vicoboldono Mediolanenſis Dioceſis damus noſtris litteris in mandatis, ut te ad id exequendum juxta traditam tibi formam, monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellat. Dat. Laterani decimo Calend. April. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Bene-

(3) Hinc itaque ex alterius Ordinis Humiliatis nonnulli ſacris initiari cœperunt, quod Braidenſis ipſius Chronici auctoritate comprobatur. V. Vol. I. Diſſ. III. num. XVI. & Diſſ. IV. num. IV.

Benedicti Novocomensis Episcopi literæ, quibus Ecclesiam S. Vitalis ad Cazam gentem jure patronatus pertinere declarat.

1256. 16. Apr. Ex Tabul. Episc. Comens.

FRater Benedictus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Cumanus Episcopus (1), universis & singulis præsentes litteras, & instrumentum publicum inspecturis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Accedens ad præsentiam nostram Maifredus, qui dicitur Gaza, natus quondam Fratris.... Cazæ (2) Civis Cumanus nobis humiliter supplicavit, quatenus quoddam Privilegium & Juspatronatus, quod sibi in Hospitali & Ecclesia Sancti Vitalis Cumarum (3) asserit pertinere, confirmare benivole dignaremur. Cujus quidem Patronatus & Advocationis Privilegii tenor sequitur in hæc verba.

In Nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto die Dominico sextodecimo intrante Aprili Indictione quartadecima, Præsentibus Dominis Leone Advocato Archidiacono Cumano (4), Rodulfo de

Piro

(1) Benedictus de Asinago Ord. Præd. an. MCCCXXVIII. Novocomensis Episcopus a Joanne XXII. jussus, Franchini Ruschæ vi atque armis, qui Valerianum fratrem a Novocomensi Clero eligendum curaverat, diu a sua Sede exulare coactus est; quo tempore cum Grumellum in Valle Tellina occupasset, locum illum plerumque tenuit, donec an. MCCCXXXV. Azzonis Meliolanensis Domini ope devicto Franchino Benedictus Ecclesiam suam adiit. V. Tattum *Annal. Sacr. di Como Dec. III. Lib. I.* pag. 44. &c.

(2) Maifredi Pater, cum Frater appelletur, forte ad tertium Humiliatorum Ordinem pertinuit.

(3) Cum S Vitalis Ecclesia, atque illi adnexa hospitalis domus, Humiliatorum domui proxima esset, quæ olim *de S. Vitale* dicebatur, de qua sermo fuit sup. pag. 28. suspicor Xenodochium Ecclesiamque ipsam ad Humiliatos olim pertinuisse; ideoque huic monumento in collectione nostra locum dandum censuimus.

(4) Hic deinde post tres annos Novocomensis Episcopus renunciatus est. V. Tattum Ann. Sacr. Dec. II. pag. 687.

Piro Canonico Cumano, Guazina Rusca (5), Vicedomino de Cagno, Imerico de Vitanis, Guasparro Vicedomino, Petro Oldrado, & Pace Græco omnibus de Cumis testibus rogatis Dominus Ubertus (6) Dei gratia Cumanus episcopus constituit, voluit, & esse decrevit Dominum Obizonem Cazam de Cumis & suos Hæredes in perpetuum Patronum & Advocatum & Patronos & Advocatos Hospitalis & Ecclesiæ Sancti Vitalis Cumarum, ita tamen quod nullatenus ipse Dominus Obizo vel ejus Hæredes res & bona ipsius Hospitalis possit ullo modo vendere nec alienare. Si quos autem Fratres vel Sorores ibidem ad ipsum Hospitale, vel Presbiterum ad ipsam Ecclesiam recipi contigerit, de consensu & voluntate ipsius Domini Obizonis vel ipsorum Hæredum debeant recipi. Et insuper quod Prælatus (7) & Fratres Hospitalis prædicti de temporalibus rebus facere & reddere rationem ipsi Domino Obizoni vel ejus Hæredibus omni mense teneantur maxime de receptis & expensis. Et etiam quod Prælatus & Fratres & Sorores Hospitalis jam dicti non possint aliquod mutuum contrahere, vendere, vel alienare, vel aliquam obligationem alicui facere sine parabola ejusdem Domini Episcopi vel ejus successoris, & suprascripti Domini Obizonis, vel ejus Hæredum. Quod quidem Juspatronatus & Advocatiæ dicti Hospitalis & Ecclesiæ in quolibet Capitulo plenum & integrum ei, & suis

(5) Idem ille est, ut arbitror, qui an. MCCXXVI., & MCCXXXVIII. Mediolanensis Prætor fuit, quamvis alii non Guazinam Ruscam, sed Guazam, aut Guazarinum Rusconum appellent. V. Tattum *Annal. Sacr. Dec. II. pag.* 584. & 618., & Julinium *Memor. T. VII. pag.* 403. & 527.

(6) Ubertus de Sala ab an. MCCXXVII. ad annum MCCLIX. Novocomensis Episcopus. V. Tattum *Ann. Sacr. Dec. II.* pag. 592. &c.

(7) Hac præcipue voce *Prælatus* adducimur, ut Fratres hic indicatos Humiliatos fuisse credamus; hoc enim nomine, qui Humiliatorum alterius Ordinis domui præerat, appellabatur. Contra cum de aliis Fratribus, qui Xenodochiis inserviebant, est sermo, qui illis præest, Minister plerumque, aut Magister dicitur.

Hæredibus constituit & reservat. Et prædicta fecit Dominus Episcopus de voluntate, & beneplacito, & consensu majoris partis Fratrum dicti hospitalis ibi præsentium, cum reperiatur dictum Dominum Obizonem, & quondam Dominum Johannem Cazam ejus Fratrem, & Dominam Silviam matrem eorum (8) prædictum Hospitale & prædictam Ecclesiam ædificasse & construxisse. Actum in Palatio suprascripti Domini Episcopi; unde plures chartæ uno tenore fieri sunt rogatæ. Ego Rugerius Siccapanis Notarius, filius quondam Ser Guidonis Siccapanis de Quadrio de Cumis hanc chartam tradidi & scripsi, & jussu suprascripti Domini Episcopi prædictis interfui.

Nos igitur diligenter inspecto & examinato Instrumento prædicto solertius, causam piam, qua percolendæ memoriæ Prædecessorem nostrum præfatum prædictum Juspatronatus & Advocatiæ ipsius Mayfredi Antecessoribus collatum exstitit, attendentes, merito ipsius Mayfredi precibus inclinati, asserentis, nullum ad præsens descendentem ex dictis ipsius Prædecessoribus (*superesse*) præter eum, prædictum Privilegium & Juspatronatus & Advocatiæ, & omnia quæ continentur in eodem, in prædictum Mayfredum ejusque Hæredes reliquos, si fuerint, prædictorum Prædecessorum suorum in perpetuum auctoritate nostra de novo statuentes confirmamus, laudamus, & totaliter approbamus, mandantes Abondiolo de Asinago Scribæ nostro, quatenus inde Instrumentum publicum nostri sigilli appensione communiat & conficiat de prædictis, adeo quod prædictum Patronatus privilegium de mandato nostro præsentibus nostris litteris de verbo ad verbum insertum, tamquam originale authenticum in judicio & extra perpetuam obtineat firmitatem. Datum & actum in castro habitationis nostræ Grumelli (9) anno MCCCXXXII.º Indictione prima die vicesima-

quinta

(8) Ex his colligimus circa hoc tempus tantummodo prædictam S. Vitalis domum fundatam fuisse.

(9) V. adnotat. 1.

quinta Septembris: præsentibus ibidem pro testibus Beliohanne filio quondam Domini Conradi de Pirro, Aliolo filio quondam Domini Magistri Bregadæ de Asinago, ac Jacobino dicto Qualiolo filio quondam Domini Henrici de Glussiano, ambobus Familiaribus prædicti Domini Episcopi notis & rogatis spetialiter ad prædicta vocatis.

Carta pro venditione de perticis XIIII. campi domede empta a fratribus planele de intus & a fratre andrea de porta Vercelina.

1256. 23. Jul. Ex Tabul. Capit. Canturiens.

ANno a nativitate Domini nostri yesu christi millesimo ducentesimo quinquagesimo sesto die dominico nono die ante kal. Aug. Indictione quartadecima. In capitulo seu conventu domus humiliatorum secundi ordinis que dicitur domus de planella de burgo canturio de intus (1) pro hoc negotio spetialiter peragendo more solito convocato in loco solito. In quo capitulo aderant frater johannes bossius prelatus & anzianus dicte domus, & frater obizo de silva, & frater beltramus maccus, & frater ottorinus vulpis, omnes fratres dicte domus de planella de intus, & jam dicte sorores dicte domus. Quarum nomina sunt hec somia de lanonis, agnexa de cossa, caracossa de ravacoctis, maria de ferradis, Julliana de xellis, margarita de xellis, claria de mazacanis, humbiana de prinis, agnexa de petema, concordia de margarida, allegrantia de ottha, maria de puteo, petra de bossiis, & agatha de castello, predicti omnes fratres & sorores parabola predicti fratris johannis bossii prelati & ipse prelatus voluntate & consensu predictorum fratrum & predictarum sororum nomine dicte domus & conventus dixerunt

 & pro-

(1) V. sup. pag. 254.

& proteſtati fuerunt quod frater arnaldus de marliano, & frater jacobus mignora, & frater johannes xaiguinus fratres humiliati fuerunt conſtituti miſſi nuntii, ſyndici, & procuratores, & ſolempniter per ipſos fratres & ſorores nomine illius domus de planella de intus ad vendendam petiam unam terre, que eſt campus, jacentem in territorio loci de vigizolo, que eſt pertice quatuordecim & media, & que jacet ibi ubi dicitur in domeda, cui eſt a mane johannis graſſi & filiorum; a meridie & a ſero ſimiliter; a monte via, pro ſanando debito ipſi domui imminenti, quod debitum ipſi fratres & ſorores dixerunt eſſe librarum ſexagintaſeptem tertiolorum, fratri andree domus humiliatorum, que dicitur domus fratris ottatii porte vercelline recipienti nomine & ad partem & utilitatem pro rata librarum vigintiquatuor tertiolorum, quas ipſa domus planelle de intus ipſi domui fratris ottatii dare tenebantur pro pretio lane, ut ipſi fratres & ſorores dixerunt & proteſtati fuerunt. Et nomine & ad partem & utilitatem domorum & conventuum de planella de foris & domus nove de campo rotundo ipſius burgi pro rata librarum triginta unius tertiolorum, quas frater jacobus mignora miniſter domus de planella de foris, & ipſa domus & frater johannes xaiguinus miniſter domus nove de campo rotundo, & ipſa domus fidejuſſorio & renditorio debitorio nomine pro ipſa domo de planella de intus dare tenebantur & tenentur ſeu ſolvere anſelmo de vicina ex cauſa mutui, ut ipſi fratres & ſorores dixerunt & proteſtati fuerunt. Et item nomine & ad partem & utilitatem dicte domus de planella de foris pro rata librarum duodecim tertiolorum, quas libras duodecim ipſa domus de planella de intus dare tenebatur ipſi domui de planella de foris partim ex cauſa mutui, & partim pro eo quod ipſe frater jacobus mignora eos pro ipſa domo de planella de intus ſolvit rugerio pillizario porte cumane, cui illa domus de planella de intus illos denarios dare debebat & tenebatur ex cauſa mutui, ut ipſi fratres & ſorores dixe-

dixerunt & proteſtati fuerunt, & quod ipſam venditionem ipſi fratri andree predicto modo & nomine fecerunt, ut in omnibus & per omnia continetur in quodam publico inſtrumento tradito per gualterium panigarrolam notarium millcximo ducentexiino quinquageſimo ſeſto die Sabati decimo die ante kal. Aug. Et quod ipſam venditionem ei fecerunt predicto nomine de parabola & conſenſu ipſorum fratrum & ſororum licet forent abſentes; & quod illa venditio facta fuit juſto pretio, & quod data eſt plus offerenti, & quod de ea amplius haberi non potuiſſet, & quod eam omni tempore ratam & firmam habere & tenere & contra non venire volunt. Quare ad majorem cautellam predicti fratres & ſorores illam venditionem, & omnia & ſingula que in predicta venditione continentur nomine illius domus de planella de intus ratificaverunt, confirmaverunt, & approbaverunt. Et ex habundanti fecerunt mihi notario ſupraſcripto modo, ſcilicet nomine dictarum domuum & ipſius fratris andreæ & nomine recipienti in ſolutionem predictarum quantitatum ſimilem venditionem & dominium & poſſeſſionis translationem de predicta petia terre & de omni jure de & in ea & pro ea pertinenti & adjacenti. Et inſuper promiſerunt & guadiam dederunt & omnia bona dicte domus de planella de intus pignori obligaverunt mihi notario recipienti nomine predicto. Ita quod ipſam petiam campi eiſdem domibus, emptricibus, & earum ſucceſſoribus ſine expenſa & damnis & ſine damno & diſpendio illorum emptorum defendent & guarentabunt predicta in antea venditione ſemper nihilominus firmitatem validam obtinente. Actum ut ſupra coram beltrameto filio ſer anrici machi de burgo canturio.

Interfuerunt ibi teſtes Martinelus filius quondam ambroſii antonii, & bonitadus filius quondam ſtremidi de montexello, & beltrami filii quondam ugonis de crottis & canturellus filius quondam jacobi de crottis omnes de ipſo burgo canturio.

Ego frater Beltramus Ordinis humlliatorum Magiſter predi-

ctam

ctam venditionem approbavi & subscripsi.

Ego Otto filius quondam ghezii salarii de burgo marliano notarius & domini Ottonis imperatoris Missus tradidi & scripsi.

Controversia inter Alexandrinos S. Michaelis, & Florentinos Humiliatos.

1257. 6. Aug. &c. Ex Monum. ap. Cl. Mannium.

IN Nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo die Lune sexto die Augusti Indictione quinta decima. Causa sive questio vertebatur inter Fratrem Rolandum Prepositum Humiliatorum Sancti Michaelis de Alexandria, sive Fratrem Guilielmum Sindicos & Procuratores dicte domus ex una parte, & Fratrem Meliorellum, & Fratrem Bencivenum Fratres domus Humiliatorum Omnium Sanctorum site apud Florentiam Sindicos & Procuratores domus Omnium Sanctorum de Florentia, & Mansionis, & Capituli, & Conventus ejusdem, nomine ipsius domus, & mansionis, & capituli, & conventus ejusdem, sive ipsam domum, & Fratres, & mancionem, & capitulum, & conventum ejusdem ex altera parte, coram Fratre Chunrado (1) Preposito de Vicoboldono Mediolan. diocesis, & Fratre Mirano Ordinis Humiliatorum de Braida a Sede Apostolica delegatis, videlicet in hac forma. In nomine Domini. Coram vobis Dominis Preposito domus de Vicoboldono Mediolan. diocesis, & Fratre Mirano de Braida Ordinis Humiliatorum a Summo Pontifice delegatis, proponit Frater Rolandus Prepositus Fratrum Humiliatorum Ecclesie Sancti Michaelis de Alexandria Sindicus & Procurator conventus ejusdem domus Sancti Michaelis, nomine meo, & capituli seu conventus illius domus: quod Frater Amicus olim Prepositus predicte Ecclesie

(1) Conradus Marcegatius indicatur, ut ex hoc ipso monumento inferius constat.

clesie Sancti Michaelis emit fundum, sive terram, super quo edificata est domus seu Ecclesia Humiliatorum, quæ dicitur domus Omnium Sanctorum prope Florentiam, ut in eadem domo sive Ecclesia Ordo Humiliatorum primi Ordinis institueretur, & perpetuis temporibus servaretur (2); & ad ejus preces Episcopus Florentinus primarium posuit lapidem, ipsis Fratribus domus Omnium Sanctorum scientibus, & predicta omnia approbantibus & ratificantibus; ac se & ipsam domum, & bona, & jura ipsius domus predicto Fratri Amico, recipienti predicto nomine, solemniter tradiderunt, eidem tamquam suo Preposito & Prelato obedientiam & reverentiam exhibendo; & in ejus domus Omnium Sanctorum, seu Sancti Donati in commutatione Sancte Lucie dati & concessi possessione, & quasi, & regiminis & prepositure in spiritualibus idem Prepositus & conventus dicte Ecclesie Sancti Michaelis steterunt per tempora, ipsique Fratres Omnium Sanctorum ipsum Fratrem Amicum tamquam suum Prepositum admiserunt; & tamquam Prepositus ordinavit per tempora in ipsa domo Omnium Sanctorum Priores, Canevarios, & Negotiatores, & alios Officiales: Eosdem etiam revocabat, sicut ei placebat. Domos etiam & edificia in ipsa domo Omnium Sanctorum fecit construi, ipsis scientibus eum esse Prepositum; & in possessione vel quasi omnium predictorum stetit & fuit idem Prepositus regendo, & administrando, & curam animarum exercendo in spiritualibus in predicta Ecclesia Omnium Sanctorum, non solum tamquam Filia prefate Ecclesie Sancti Michaelis de Alexandria, sed pleno jure tamquam Prepositus ipsius Ecclesie Omnium Sanctorum, sicut illius Ecclesie Sancti Michaelis. Nuper vero vacante Prepositura dicte Ecclesie Sancti Michaelis de Alexandria, & per consequentiam aliarum Ecclesiarum, videlicet de Terdona,

Ja-

(2) De Florentinæ Humiliatorum domus fundatione V. sup. pag. 101.

Janua, Astensi, & Florentie (3) per resignationem dicti Fratris, Amici olim Prepositi, cum ipse Frater Rolandus in ipsarum Prepositum fuisset electus, & per Magistrum totius Ordinis solemniter approbatus, iidem Fratres domus Omnium Sanctorum turbant, inquietant ipsum Prepositum super predicta possessione, vel quasi, administrandi, & gerendi, & regendi predictam domum, & Fratres ibidem commorantes; ac eumdem possessione, vel quasi, omnium predictorum indebite spoliarunt, non admittendo ipsum, ut Prepositum, nec prestando eidem obedientiam & reverentiam, & non permittendo eidem ea gerere, facere, & exercere, que ad Officium & jus preposituree, & subjectionem illius Ecclesie Omnium Sanctorum tamquam filie pertinere noscuntur. Quare petit & requirit, quatenus auctoritate predicte delegationis cogatis, & per censuram Ecclesiasticam destringatis & pronuntietis, & per sententiam condemnetis Fratres predicte domus Omnium Sanctorum, ut de cetero reverentiam & obedientiam prestent in omnibus, & exhibeant dicto Preposito Sancti Michaelis de Alexandria, & ut non perturbent, vel inquietent, vel aliquomodo molestent, vel injurientur super possessione, vel quasi, ponendi & statuendi Priorem seu Fratres in predicta domo Omnium Sanctorum, & destituendi eosdem, & ordinandi ibidem Canevarios, revocandi eosdem, & administrandi & regendi predictam domum Omnium Sanctorum, & Fratres illius domus, & alia omnia faciendi & exercendi, que ad jus plene subjectionis, seu prelationis, pertinere noscuntur, set libere permittant ipsum Prepositum uti Officio Preposituree in ea domo Omnium Sanctorum, & facere & exercere premissa, & alia que ad regimen preposituree & prelationis

(3) Hæ scilicet omnes Humiliatorum domus ab Alexandrinis S. Michaelis Humiliatis fundatæ fuerant, ut alias ostendimus, ac proinde jus in illas suum Humiliati iidem sic retinebant, ut Generali ipsi Magistro parere abnuerent.

tionis pertinere noscuntur, & in quorum possessione, vel quasi, dictus Frater Amicus olim Prepositus fuit & stetit tempore sue prepositure; & nunc dictus Frater Rolandus Prepositus dicte Ecclesie, seu domorum & Ecclesiarum de jure debet, & predicta facere, & libere exercere; & ut pronuntietis ipsum Fratrem Rolandum Prepositum restituendum esse, & restituatis in possessione, vel quasi, omnium predictorum, & ut eadem auctoritate delegationis statuatis, & pronuntietis, institutionem, nominationem, seu postulationem, seu electionem de facto factas in persona seu circa personam Fratris Bellingeni ad Prioratum, seu de Prioratu illius Ecclesie non tenuisse, nec potuisse fieri de jure, vel saltem pronuntietis & per sententiam declaretis predictam domum, seu Ecclesiam Omnium Sanctorum de Florentia, & Fratres & Conventum eiusdem, velut filiam, subesse & subditam esse, & stare perpetuo Ecclesie, & Preposito, & Conventui dicte Ecclesie Sancti Michaelis de Alexandria tamquam matri ejus, & ipsam Ecclesiam Sancti Michaellis habere debere inviolabiliter visitationem illius domus seu Ecclesie Omnium Sanctorum, & Fratrum & Conventus eiusdem, & ea omnia jura in solidum, quo mater in filiam habere debet & potest; & sicut ordo Humiliatorum habet, & habere consuevit in filiabus suis; & ad predicta omnia Priorem, Fratres, & Conventum domus Omnium Sanctorum condemnetis. Que omnia facere debetis, & tenemini, & fieri debent de jure. Super qua petitione legiptime inter ipsas partes coram ipsis delegatis contestata, ut per omnia continetur in quodam publico instrumento, hodie per me Notarium tradito coram delegatis.

In Nomine Domini. Nos suprascripti Frater Chunradus Montegatius (*f.* Mantegatius) Prepositus Ecclesie seu Canonice de Vicoboldono Mediolan. Diocesis, & Frater Miranus domus Humiliatorum braide Mediolani a Summo Pontifice delegati, visis & auditis allegationibus & rationibus & juribus utriusque partis, & pre-

predicta litis contestatione, & confessionibus, & negationibus ab utraque parte in ea causa factis & productis, & instrumentis, & actis & omnia (*l.* omnibus) in ea causa productis; & habito etiam super hiis consilio Fratrum Tutobelli Ministri domus Sancte Agathe de Modoetia Mediolan. diocesis, & Fratris Gabrielli de Brixia, & Dominorum Jacobi de Lurago (4), & Rogerii Liprandi utriusque juris peritorum, dicimus & pronuntiamus, predictos fratrem Meliorellum, & Fratrem Benzevenum Sindicos, nuntios, & Procuratores dicte domus Humiliatorum Omnium Sanctorum site apud Florentiam suo nomine, & nomine ipsius domus Humiliatorum Omnium Sanctorum de Florentia, & Fratrum, & capituli, & conventus ejusdem, & per ipsos Fratrem Meliorellum & Fratrem Benzevenum ipsam domum, & Fratres & capitulum, & conventum ejusdem esse cogendos, & per censuram Ecclesiasticam destringendos, & per sententiam condemnandos; & eosdem Fratrem Meliorellum, & Fratrem Benzevenum, & per eos ipsam domum, & Fratres, & capitulum, & conventum ejusdem cogimus, & per censuram Ecclesiasticam destringimus, & per sententiam declaramus & condemnamus subesse, & subditam & subjectam, & subditas & subjectas esse & stare perpetuo Ecclesie, & Preposito, & conventui domus seu Ecclesie Sancti Michaelis de Alexandria tamquam matri ejus, & earumdem; & ipsam Ecclesiam Sancti Michaelis habere debere inviolabiliter paternitatem & potestatem, & visitationem, & correctionem, & institutionem, & destitutionem dicte domus seu Ecclesie Omnium Sanctorum de Florentia, & Fratrum, & Conventus ejusdem, & jura in solidum, que matris domus in filiam ha-

(4) Jacobus de Lurago, idem, ut videtur, qui anno insequente numeratus est inter XXXII. Viros, a plebe designatos, ut cum XXXII. Viris, quos Patricii de legerant, plebejum inter ac patricium Ordines jamdiu dissidentes concordiam statuerent. V. Julin. *Memor. T. VIII. pag.* 149.

habere debet, & potest; & precipue sicut Prepositus & Fratres & Ecclesia domus de Rondanaria habent & habere consueverunt in Ecclesia seu domo Sancti Luche de Brixia (5), & Fratribus & conventu ejusdem, & non aliter nec alio modo quam ipsa domus de Rondanaria, & Prepositus, & Fratres ejusdem habent, & habere consueverunt in ipsa domo seu Ecclesia, & Fratribus & Conventu Humiliatorum Sancti Luche de Brixia. Ab aliis vero supradictis petitionibus in libello comprehensis predictos Fratrem Meliorellum, & Fratrem Benzivenum, & per eos ipsam domum seu Ecclesiam, & Fratres, & Capitulum, & conventum ejusdem, & quemlibet de ipsa domo Humiliatorum omnium Sanctorum de Florentia absolvimus, & eos & quemlibet eorum reddimus absolutos. Et hec omnia pronumtiaverunt salva semper in omni casu, & in quolibet capitulo, reverentia, & obedientia, & auctoritate, & dominatione Magistri totius Ordinis Humiliatorum, & ejus visitatione, & correctione & dominatione. Et hee omnia & singula dicimus, & per sententiam diffinitivam pronuntiamus auctoritate Domini Pape, qua fungimur, & infrascriptis presentibus predictis partibus, & volentibus & consentientibus & predicta omnia, & singula, & infrascripta rata & firma habentibus, & volentibus predictam sententiam, & ea omnia & singula, que in ea continentur, inter predictas partes debere perpetuo attendi, & inviolabiliter observari. Et ex nunc per sententiam excommunicamus infrascriptis (*f.* in his scriptis) auctoritate Domini Pape, qua fungimur, partem de predictis partibus, & omnes personas seu singulas, & domum, & Fratres, & conventum illius Ecclesie, que venerit contra predictam sententiam, & ea, que in predicta sententia continentur. Et hec omnia & singula facta, & dicta, & pronuntiata sunt per supradi-

Nn 2 ctos

(5) Ex hisce verbis colligimus Brixiensem S. Lucæ domum a Rondenariensibus Humiliatis fundatam fuisse.

ctos delegatos presentibus suprascriptis partibus, & presentibus suprascriptis Fratribus, Fratre Tutobello, & Fratre Gabriello assumptis in consiliarios & sotios in hac causa per ipsos dellegatos, & presentibus testibus infrascriptis, & coram Domino Fratre Beltramo totius Ordinis Generali Magistro & eo jubente &c. *Subditur hic Beltrami decretum, ut hujusmodi sententia rata habeatur. Tum subditur:*

Tenor autem jurisdictionis suprascriptorum delegatorum, sive litterarum Domini Pape ad ipsos impetrate, talis est. Alexander Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Preposito Ecclesie de Vicoboldono Mediolan. diocesis, & Fratri Mirano domus Braide Mediolan. Ordinis Humiliatorum Salutem & Apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii . . . Prepositus & conventus domus Sancti Michaellis de Alexandria, & Sancti Marchi Terdonensis, & Sancte Trinitatis Astensis, & Omnium Sanctorum Florentin. Ecclesiarum Priores, & Fratres Ordinis Humiliatorum petitione monstrarunt, quod inter ipsas super eo, quod dicti Prepositus & Conventus Ecclesias ipsas, ac Priores & Fratres predictos sibi subjectos fore dicebant, & aliis diversis articulis orta materia questionis, tandem partes de assensu dillectorum Filiorum Magistri & totius Generalis Capituli ejusdem domus consenserunt, quod vos causas super hoc inter easdem partes exortas sine debito terminetis. Ut autem, quod super hoc factum fuerit, robur obtineat firmitatis fuit nobis ex parte ipsarum partium humiliter supplicatum, ut vobis super hoc prestare auctoritatem paterna sollicitudine curaremus. Quo circa discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, causas audiatis easdem, & eas de plano & sine judicii strepitu, si de partium ipsarum voluntate processerit, judicio & concordia terminare curetis, facientes quod decreveritis per censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, aut timore subtraxerint, censura simili,

ſimili, appellatione ceſſante, cogatis veritati teſtimonium perhibere. Datum Anagnie octavo kalendas Novembris pontificatus noſtri anno ſecundo. Tenor autem auctoritatis & conſenſus, & parabole, & conſilii Capituli Fratrum Humiliatorum talis eſt. In Nomine Domini. Anno Dominice Incarnationis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto die Dominico ultimo die Aprilis Indictione quartadecima preſentibus Redulfo Riboldo de Bur. Modoetia, & Leone Mantegatio civitatis Mediolani, & fratre Roffino de Axeno de concellis teſtibus rogatis. Dominus Magiſter Beltramus Ordinis omnium Humiliatorum (*l.* Beltramus Magiſter totius Ordinis Humiliatorum) de Capituli generalis congregati in Palatio Eccleſie Sancti Petri ſite ad locum de Vicoboldono, ſeu majoris & ſanioris partis voluntate, pro eo quod variis de cauſis . . . . infradictis inſiſtere non poteſt, omnes lites & queſtiones, que ſunt & fiunt, & vertuntur, & eſſe & verti poſſent aliqua occaſione, que dici vel excogitari poſſet inter domum & Fratres & conventum domus Sancti Michaelis de Alexandria ex una parte, de qua domo & conventu Sancti Michaelis aderant preſentes infradicte commiſſioni Frater Rolandus Prepoſitus, & Frater Gavarrus Buxagus, & Frater Roffinus de Sollerio, & Frater Bernardus Buxagus; & domum & Fratres, & conventum Omnium Sanctorum de Florentia, de qua domo aderant preſentes Frater Melioratus, & Frater Albertinus, & Frater Donatus, Fratres Omnium Sanctorum de Florentia, ex altera parte; commiſit cognoſcendas & diffiniendas Domino Prepoſito ſito (*ita corrupte*) de Vicoboldono, & Domino Fratri Mirano de Braida . . . Mediolani, & Domino Fratri Tutobello Prelato Sancte Agathe de Modoetia, & Domino Fratri Gabriello de Brixia. Et ſi ille Frater Gabriellus adeſſe non poſſet, vel non vellet; ſuſtituit loco ejuſdem Domini Fratris Gabrielli Dominum . . . . Prepoſitum Sancte Crucis de Novaria, ita quod predictas lites & queſtiones diffinire debeant jure vel conventu, vel amicabili com-

poſi-

positione &c. Quare predictus Dominus Magister Beltramus de voluntate Fratris Lafranci de Parma, & Fratris Jacobi de Cugnate de Alexandria, & ipsius Fratris Mirani de Braida, & Fratris Tuttobelli de Modoetia, & Fratris Guidonis Prepositi...... & Fratris Churradi Prepositi de Vicoboldono, & Fratris Boni Prepositi domus de Galgheri (*l.* de Galgari) de Pergamo, & Fratris Stephani Prepositi de Rondanario de Cumis diffinitorum illius Ordinis, precepit predictis partibus & cuilibet eorum, & ipsis Fratribus qui de ipsis domibus ibi aderant presentes, ut supra, eorum & cujuslibet eorum nomine, & nomine omnium Fratrum & Conventuum ipsarum domorum, & cujuslibet eorum, & pro eis & ipsis Fratribus, & domibus, & conventibus & cujuslibet eorum sub pena excommunicationis, ut hinc ad diem .... proximum, & quindecim dies sint coram predictis Fratribus, quibus commissa sunt predicta, in civitate Mediolani, vel ad minus coram duobus ex eis cum omnibus suis juribus de suis & ipsarum domorum & conventuum juribus allegaturi: & hoc sub pena excommunicationis; quem terminum eis statuit, & ordinavit unum pro omnibus scilicet primo, & secundo, & tertio, & peremptorium. Item precepit sub pena excommunicationis predictis partibus, & cuilibet earum, & Fratribus, & Conventibus ipsarum domorum, ut de cetero non utantur, nec uti debeant aliquibus rescriptis per eos vel aliquem eorum, seu eorum nomine impetratis ab illo die citra, qua prohibitum fuit per ipsum Dominum Magistrum, ut non impetrarent aliquam litteram seu rescriptum a curia Summi Pontificis, nec a Summo Pontifice, & quod si aliquibus uterentur ex nunc idem Dominus Magister eos excommunicationis laqueo innodat. Actum in primo Consilio generali (6). Postea vero die Lune primo mensis Maii presentibus Guifredo Bazo Notario Civitatis Mediolani, & Dominis Amizone

(6) Nempe in prima, ut dicimus, Sessione.

zone Preposito Sancte Marie, que dicitur domus Fratris Ottatii Porte Vercelline, & Fratre Orivabene Preposito de Rubono (7) testibus. Predictus Dominus Magister Beltramus de voluntate ipsorum diffinitorum, & aliorum p....... in ipso Capitulo generali congregatorum statuit, & ordinavit, quod ibi, ubi dicit; & si omnes predicti, ad quos predicta sunt commissa, interesse non possent, duo ad minus ex eis de ipsis questionibus audire & intelligere debent: possit dicere: ad recipienda iura partium. Et quod ex illis duobus debet esse unus Prepositus, & alter sit Frater Miranus, vel Frater Tutobellus, qui jura partium recipiant, dum tamen non procedant in causa seu causis, nisi omnes quatuor, ad quos predicta sunt commissa, fuerint presentibus (*l.* presentes). Item ubi dicit: ab ea die citra, qua prohibitum fuit per ipsum Dominum Magistrum: intelligit idem Magister: ab ea die infra, quo ipsi de Alexandria venerunt ad preceptum Ordinis. Item precepit ipsis partibus, ut non procedant sub aliquo judice de aliqua causa, que (*l.* quam) ipse domus insimul habeant, vel habere possint, nisi sub istis judicibus superius nominatis, ad quos predicta sunt commissa, & hoc precepit sub pena excommunicationis. Actum ut supra. Ego Gualterius nomine filius quondam Biriemi Panigarole de .... qui habito in civitate Mediolani tradidi & scripsi. Tenor autem instrumenti sindicatus predictorum Fratris Rolandi Prepositi domus Humiliatorum Sancti Michaelis de Alexandria, & Fratris Petri Rubei eiusdem domus talis est. Anno nativitatis Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo Indictione quinta decima, die Sabbati, quarto exeunt. Julii. In Alexandria in capitulo Sancti Johannis, sive Hu-

(7) Domus de Rubono paullo ante ab Alexandro IV. Humiliatis concessa fuerat, ut diximus Vol. I. pag. 394. Dum illud ederetur unicas Alexandri hac de re literas in Minorum Conventualium *Bullario* videramus. At hoc monumento, que tunc diximus, confirmantur.

Humiliatorum Sancti Michaelis de Burniola (8) Dominus Frater Oddezenus Buttinus Prior Fratrum, Ecclesie, & Capituli, & Collegii, & mansionis, & conventus Ecclesie Sancti Johannis Ordinis Humiliatorum de Alexandria, de consensu, & parabola, & voluntate & auctoritate infrascriptorum Fratrum suorum dicte Ecclesie, & Capituli, & Conventus, videlicet Fratrum Amici quondam Prepositi, Ottonis . . . . ttani, Bonsegnoris de . . . . ., Aramani de Attisbellis, Gui . . . . Pugni, Anrici vace, Gialelini Rucilini, Lafranci Cogni, Anrici vace Mussi, Calvagni Motii, Simonis de Alba, Oddezeni de quar. . . . . Ugonis Mozii, Jacobi Tealdi, Roffini Calearii, Gavati Busatii, Stephani Maneati, Ottolini de Sancto Salvatore, Priori Ferramente, Gui.... de Canellis, omnes insimul, unanimiter, & concorditer pro se ipsis, & vice & nomine predicte Ecclesie, & Mansionis, & Collegii, & Capituli, & Conventus, & tamquam ipsum Capitulum & Conventus fecerunt, & constituerunt, creaverunt atque ordinaverunt Dominum Fratrem Rolandum Prepositum dicte Ecclesie & Mansionis absentem; & Fratrem Petrum Rubeum Prepositus (*ita*) dicti Ordinis, & quemlibet eorum in solidum, ita quod occupantis non sit melior conditio, eorum & dicte Ecclesie & Capituli, & Collegii, & Mansionis, & Conventus sindicos, & procuratores, actores & factores, & nuntios spetiales in omni lite vel litibus, causa vel causis, quam vel quas ipsi vel dicta Ecclesia, seu Capitulum, & Conventus habent, vel sperant habere, vel habere possunt seu possent cum Domino Fratre Bellingerio, & Capitulo Ecclesie Omnium Sanctorum de Florentia, & cum Fratribus & Capitulo & Ecclesia domus de . . . . & cum Fratribus, Capitulo, & Ecclesia Sancti Martii (*l.* Marci) de Terdona dicti Ordinis, vel cum aliqua alia persona &c. *Sequitur reliquum hujus*

(8) Legendum arbitror de *Brogolio*, quam domum eamdem cum S. Michaelis domo fuisse diximus; que postea domui S. Joannis conjuncta est. V. sup. pag. 61.

hujus electionis decretum, quod nihil editione dignum continet; cui simile deinde subditur Florentinorum Humiliatorum decretum. Ad totius monumenti calcem hæc habentur: Et ea omnia, que superius continentur lata & facta fuerunt, ut supra, in domo Fratrum Humiliatorum domus nove site extra Portam Civitatis Mediolani; & coram suprascripto Donno Fratre Beltramo totius Ordinis Humiliatorum Magistro, & eo approbante, & ratificante, & auctoritatem suam suumque decretum ad predicta omnia interponente, prestante, & dante in omnibus & per omnia, ut superius continetur. Interfuerunt ibi testes Frater Fichus Minister domus nove, & Frater Petrus de Misena, & Frater Thomax Prior de Astu, & Frater Thomasus domus Humiliatorum de Astu, & Frater Johannes Bianchi domus Humiliatorum de Vicoboldono, & Frater Lafrancus Presbiter, & Frater Jacobus domus Humiliatorum Sancti Marchi de Terdona.

Ego Bellonus filius quondam Lelii Panigarole notarius civitatis mediolani, in por. cum. qui habito in citeduas (*ita*) rogatus hanc sententiam comprehensam in hiis tribus chartis tradidi & ad scribendum dedi infradicto Antonio.

Ego Antonius filius Montenarii . . . . . .

Alexandri IV. Literæ, ne Humiliatis injuriæ inferantur.

1258. 19. Maji Ex Bibl. Braid.

ALexander Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo mantuano (1) salutem & apostolicam benedictionem. Sub religionis habitu studio pie vite vacantibus, ita debemus esse propitii, ut in divinis beneplacitis exequen-

(1) Mantuanus Episcopus erat hoc anno idem quem supra commemoravimus B. Martinus.

dis malignorum non possint obstaculis impediri. Cum igitur dilecti filii Magister (2) & fratres ordinis humiliatorum, a nonnullis, sicut accepimus, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant injurias multiplices patiantur, nos volentes congruo remedio talium conatibus obviare, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dicto Magistro & fratribus, contra predonum, raptorum, & invasorum audaciam favoris opportuni presidio efficaciter assistens, non permittas eos a talibus molestari, molestatores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, presentibus post quinquennium minime valituris. Dat. Viterbii decimoquarto kal. Jun. pontificatus nostri anno quarto.

Sigill. Alexandri IV. de more.

(2) Beltramo demortuo, Petrus Brixiensis domus S. Lucæ Præpositus, Generalis Humiliatorum Magister renunciatus fuerat; cui collatam dignitatem literis sequenti die datis, quas mox referemus, idem Pontifex confirmavit V. Vol. I. Diss. IV. num. V.

Privilegium Alexandri IV., sicut secundus Magister Ordinis fuit ab Ordine electus, & postea confirmatus.

1258. 20. Maji Ex Cod. Putio.

ALexander Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Præpositis, Prælatis, & universis Fratribus Ordinis Humiliatorum salutem & Apostolicam benedictionem. Gratiæ divinæ præmium & præconium humanæ laudis acquiritur, si reverendis patribus a devotis filiis plenitudo impendatur honoris. Sane bonæ memoriæ Beltramo Magistro vestri Ordinis viam universæ carnis ingresso, generale Capitulum ejusdem Ordinis con-

ve-

venientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, prout ad eos pertinet, dilectum filium Petrum Magistrum ipsius Ordinis, tunc Præpositum domus S. Lucæ Brixiensis dicti Ordinis, in Magistrum dicti Ordinis canonice & concorditer elegerunt; nosque præsentatam nobis electionem hujusmodi, quia eam invenimus de persona idonea canonice celebratam, de fratrum consilio duximus confirmandam, supplentes defectum, si quis in ea fuit, de apostolicæ plenitudine potestatis, firma concepta fiducia, quod per industriam ipsius Magistri, qui, prout accepimus, est discretus ac providus, ac in spiritualibus & temporalibus circumspectus, prædictus Ordo divina favente clementia in statum salutis dirigi, & in prosperis debeat ampliari. Rogamus itaque universitatem vestram & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem Magistrum admittentes hilariter & honorifice pertractantes, sibi tamquam patri & pastori animarum vestrarum, impendatis obedientiam & reverentiam debitam, ac ejus salubribus mandatis ac monitis efficaciter intendatis, ita quod ipse in vobis devotionis filios, & vos consequenter in eo patrem invenisse benevolum gaudeatis. Alioquin sententiam, quam idem propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Dat. Viterbii decimo-tertio Cal. Jun. Pontificatus nostri anno quarto.

Privilegium Alexandri IV., sicut Fratres Humiliati in Civitate Mediolanensi & Dioecesi Romanum Officium celebrare debent.

1258. 20. Maji Ex Cod. Puric.

ALexander Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Magistro Ordinis Humiliatorum salutem, & Apostolicam benedictionem. Dilecti filii Præpositi & Fratres tui Ordinis

nis nobis exponere curaverunt , quod licet fel. rec. Innocentius papa prædeceſſor noſter, duxerit ſtatuendum, ut per omnes ejuſdem Ordinis domos & Eccleſias unus modus cantandi & pſallendi debeat obſervari, tamen quidam Fratres ejuſdem Ordinis Mediolanenſis civitatis & diœceſis, conſuetudinem Mediolanenſis Eccleſiæ modo, qui obſervatur in cantando & pſallendo in prædicto Ordine, contrariam imitantes, ſtatutum hujuſmodi non obſervant (1). Volentes itaque ut prædictum ſtatutum firmiter obſervetur, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus , quatenus, ſi eſt ita, prædictos Fratres earumdem Civitatis ac diœceſis , ut prædictum ſtatutum obſervent , conſuetudine hujuſmodi non obſtante, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellas. Dat. Viterbii decimotertio Cal. Jun. Pontificatus noſtri anno quarto.

(1) Quæ ad Ambroſianos ritus ab Humiliatis ſuſceptos pertinent, vidimus Vol. I. Diſs. III. num. XII.

Confirmatio Alexandri pp. Collationis Innocentii predeceſſoris ſui facte fratribus de Contegnaga de eccleſia SS. Fauſtini & Jovite Brixien.

1258. 3. Jun. Ex Tabul. S. Barthol. de Contegnaga Brixien.

ALexander epiſcopus ſervus ſervorum dei dilectis filiis . . . Magiſtro & fratribus domus Sanctorum Fauſtini & Jovite Brixien. ſecundi ordinis humiliatorum ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur , quod iuſtum eſt & honeſtum tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis , ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sane ſicut petitio veſtra nobis exhibita continebat felicis recordationis Innocentius papa predeceſſor noſter olim intellecto, quod

prior

prior & fratres Ordinis predicatorum tunc in ecclesia sancti Faustini & Jovite Brixien. morantes ad aliam se transferre volebant, & quod vos habitationem artam adeo habebatis, quod commode residere non poteratis ibidem, nec ad votum divinis laudibus desudare, bone memorie . . . Brixiensi Episcopo suis dedit litteris in mandatis, ut postquam dicti prior & fratres se de loco transtulissent eodem, locum ipsum, & ortum etiam, quem habebant in eo vobis sine dilatione conferre & assignare curaret; idem vero Episcopus dicti predecessoris mandatis obtemperans reverenter partem predictorum loci & orti certis finibus designatam vobis conferre & assignare curavit auctoritate hujusmodi litterarum, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri (1). Nos itaque vestris supplicationibus inclinati collationem & assignationem hujusmodi prout provide facte sunt ratas habentes & gratas, illas auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Viterbii III. Non. Junii pontificatus nostri anno quarto.

(1) V. sup. pag. 268.

Privilegium de faciendis & construendis domibus in regno Francie.

1258. 13. Nov. Ex Bibl. Braid.

ALexander episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri Regi Francorum (1) salutem & apostolicam benedictionem. Ad ea, que animarum saluti prodesse

(1) Galliæ Rex per ea tempora erat Ludovicus IX. eximia morum integritate

desse noscuntur, tanto serenitatem regiam invitamus libentius, quanto nostra beneplacita super iis a te absque cujuslibet difficultatis obice credimus efficacius adimpleri. Cum itaque dilecti filii magister & fratres ordinis humiliatorum apud Deum & homines sint ipsorum exigentibus meritis gratiosi, & propter eorum conversationem laudabilem, ut pote qui propriis manibus laborando sine aliorum tedio victum querunt, eleemosinas tribuunt, recipiunt hospites, & predicant verbum Dei, in provincia Lombardie potissimum dilatati, eumdem ordinem cupiant ad honorem altissimi & salutem fidelium in regno tuo ampliare, excellentiam regiam rogamus, monemus, & hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ipsis & eorum nuntiis ad plantandum & confovendum in regno tuo ordinem supradictum, quotiens super hoc ab eis fueris requisitus, opportunum consilium & auxilium impendas, ita quod hujusmodi celestis plantatio in ipso regno radicata in novitate sua tuo confota ministerio & propagata favore ad laudem Dei & profectum populi Christiani salubribus proficiat incrementis, vosque per hoc vitam mereamini sempiternam. Dat. Anagnie Idib. Novemb. pontificatus nostri anno quarto.

Sig. de more.

Hu-

inter Sanctos postea relatus. Nec porro opportuniorem nancisci poterat Alexander, ut Humiliatos in Galliam induceret. Quacumque tamen de caussa, res exitu caruit, ut sup. pag. 115. diximus. Easdem porro literas iisdem verbis conceptas, paucis tantum pro personarum diversitate immutatis, hac ipsa die Alexander *Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum prelatis* dedit. Servantur illae etiam in Bibliotheca nostra; sed supervacaneum duximus idem fere monumentum iterum afferre.

Humiliatos tertii Ordinis Interdicti tempore in primi Ordinis Ecclesiis Sacris interesse posse.

1259. 16. Jul. Ex Monumentis ap. Cl. Mannium.

IN Dei nomine amen. Anno ab incarnatione dominica millesimo ducentesimo quinquagesimo nono inditione secunda die Mercurii sexto decimo mensis Julii. Consilium peritorum virorum Domini Diedati Abatie Florentie, Domini Cambii de Perebola, & Magistri Accursi Canonici Ecclesie Sancti Stefani Florentie ad pontem (1). Tale est, quod prepositus & conventus fratrum humiliatorum omnium Sanctorum extra civitatem Florentie possint viros & mulieres tertii ordinis eorumdem recipere ad divina, tempore etiam hujus Generalis interdicti (2), cum unus sit Magister, Prepositus, & Prelatus & primi & secundi & tertii Ordinis dictorum fratrum humiliatorum, & omnes sub una obedientia, visitatione, & correctione consistant; Sicut apparet ex formula privilegii apostolici jam dictorum humiliatorum; & ordini tertio jam prefato a sede Apostolica specialiter sit indultum, ut tempore generalis interdicti possint audire divina, & ecclesiastica recipere sacramenta, nisi specialiter id eis contigerit interdictis (3), & per literas Apostolicas Domini Ale-

(1) Celeberrimus sæculo XIII. apud Florentinos fuit Accursius J. C. Sed Accursius alius videtur hic indicari. Ille enim, præterquamquod anno MCCXXIX. a multis obiisse scribitur, matrimonio conjunctus fuit, & filium genuit Franciscum Accursium. Hic vero S. Stephani Canonicus dicitur.

(2) Quæ fuerit interdicti hoc anno in Florentinos ab Alexandro IV. lati caussa, narrat Scipio Ammiratus Senior (*Istor. Fiorent. T. I. pag.* 110.). Cum enim Ubertorum gens, quique illis favere dicebantur, Florentia expulsi essent, Vallis Umbrosæ Abbas eadem de caussa sævissime primo tortus, tum capite plexus fuit. Quapropter indignatus Alexander urbi sacris interdixit.

(3) V. sup. pag. 203.

Alexandri Pape quarti venerabili patri Domino Episcopo Florentino directas eidem ordini tertio non sit interdictum specialiter nec expresse, quod non possint in hoc interdicto generali audire divina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta.

Acta fuerunt predicta omnia Florentie in Ecclesia sancti Salvatoris presentibus testibus Domino Maccio Abatie Florentine, Presbitero Jacobo rectore Ecclesie Sancte Lucie ad Sanctum Eusebium (4), & Fratre Tomasio conventus predicti omnium Sanctorum.

Ego Rainerius Tolomei Notarius predicta omnia coram me acta rogatus publice scripsi.

(4) Humiliati a S. Luciæ ad Omnium SS. paullo ante commigraverant, veteris tamen Ecclesiæ jure servato. Hinc factum arbitror, ut eidem Ecclesiæ Rector ab Humiliatis ipsis præficeretur.

Humiliatæ Sanctimonialis Professio.

1259. 20. Jul. Ex Tabul. Monast. S. M. Magdal. Modoet.

ANno a Nativitate Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo nono die dominico duodecimo ante kalendas Augusti, Indictione secunda. In domo humiliatorum de carrobiolo (1) de burgo modoetie extra burgum. Presentibus marchino filio girardi margiavelli, & munziasco filio quondam salicis coxe, & alberto filio quondam Jacobi mascaroni omnibus de burgo modoetie testibus. In Oratorio sororum (2) dicte domus humiliatorum, coram venerabili signo sancte crucis domini nostri

(1) De hac domo ac de S. Agathæ sermo fuit Vol. I. Diss. VII. pag. 3-0. &c.

(2) Animadvertenda sunt hæc verba, ex quibus colligimus Humiliatas Sanctimoniales, præter Ecclesiam, quæ communis cum Fratribus illis erat, suum etiam sacellum habuisse. V. Vol. I. pag. 316.

ſtri Jeſu Chriſti, & domino Presbitero Rugerio beneficiali eccleſie ſanɑ̃e marie domus humiliatorum ſanɑ̃e agathe, ſoror benvenuta de monte ſupraſcripte domus, cum candella accenſa in manibus, & ſcripto ſue profeſſionis, promiſit obedientiam prelato illius domus & ejus ſucceſſoribus, ſub obedientia magiſtri majoris totius ordinis humiliatorum, offerens ſe & ſua fratri maifredo prelato illius domus nomine ſupraſcripte domus, & illi domui, ſecundum regulam approbatam per dominum papam. deo gratias. amen. actum ut ſupra.

Ego Guidotus filius ſer uberti de caſtro ſancti petri de burgo modoetia tradidi & ſcripſi.

Alexandri IV. Literæ de controverſia inter Humiliatos Olginatenſes, & Azzonem Ceppum.

1260. 13. Dec. Ex Bibl. Braid.

ALexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbati ſancti Dionyſii (1) Mediolanen., Archipresbitero de fara (2), & prepoſito eccleſie de ſterniano (3) Pergamen. & Mediolanen. dioc. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii miniſter & conventus domus humiliatorum de ugligniate (4) mediolanen. dioc. petitione monſtrarunt, quod cum inter ipſos ex parte una, & metellum dictum moronum ci-

(1) S. Dionyſii Mediolanenſes Monaſterium Heribertus Mediolan. Archiepiſcopus anno MXXIII. extruendum curavit, illudque Benedictinis Monachis attribuit. V. Saxium *Ser. Archiep. Mediol. T. II. pag.* 413. & Julinium *Memor. T. III. pag.* 174. Cum deinde a Monachis derelictum fuiſſet, anno MDXXXIII. Deiparæ Servorum Ordo illuc inductus eſt.

(2) Pagus eſt Bergomenſis diœceſis, ſed Mediolanenſis ditionis, in ea agri parte, quæ ex proximo flumine vulgo *Ghiara d'Adda* dicitur.

(3) Pagum hunc in Mediolanenſi agro ignoro. Legendum forte *Cerliano*, vel *Sidriano*.

(4) Pagus ad Abduam, vulgo *Olginate*.

vem mediolanen. ex altera, ſuper quadam pecunie ſumma & rebus aliis, Azone dicto Ceppo canonico ecclefie & vicario capituli mediolanen., ſede mediolanen. vacante (5) non ex delegatione apoſtolica, queſtio verteretur, idem vicarius perperam in cauſa procedens contra dictos miniſtrum & conventum iniquam diffinitivam ſententiam promulgavit, a qua ipſi noſtram audientiam appellarunt. Itaque diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in appellationis cauſa legitime procedentes, ſententiam ipſam confirmare vel infirmare, appellatione remota, curetis, ſicut de jure fuerit faciendum. Quod ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Dat. Lateran. (6) Id. Decemb. pontificatus noſtri anno ſexto.

Sigill. de more.

Co-

(5) Azzo Ceppus, ſeu de *Zeppo*, ut alias ſcribitur, cui etiam de *Quinque viis* cognomen erat, jam ab an. MCCXLVIII. Leonis de Perego Mediolanenſis Archiepiſcopi Vicarius Generalis erat V. Julin. *Memor. T. VIII. pag.* 49. Sed eumdem poſt Leonis mortem, quæ an. MCCLVII. die XIV. Octob. contigit Capituli Vicarium fuiſſe nemo hactenus, quod ſciam, animadvertit. Itaque noſtro hoc monumento validius adhuc Cl. Saxii opinio oppugnatur, qui Leonis de Perego Pontificatum ad an. uſque MCCLXIII. perducit, cujus rei falſitatem ſatis jam oſtendit memoratus Julinius *T. VIII. pag.* 139. *&c.* Videtur tamen Azzo paullo poſt has Pontificis literas acceptas aut dignitate, aut vita defunctus. Duo enim monumenta an. MCCLXI. XIV. Octob. ab eodem Julinio indicata *T. VIII. pag.* 186. Capituli Vicarium præferunt Olricum Scaccabarozium; qui probabiliter dignitatem illam obtinuit, donec tandem poſt diutiſſimam Archiepiſcopalis Sedis vacationem Otho Vicecomes an. MCCLXII. menſe Julio ad illam evectus eſt.

(6) Alexandrum IV. poſtquã an. MCCLVII. ob Romanorum ſeditiones urbe exceſſerunt, ad eamdem rediiſſe, nemo, quod ſciam, ex Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptoribus animadvertit.

Comissio audientie de Causa archiepiscopi mediolanensis & ordinis.

1263. 5. Aug. Ex Bibl. Braid.

URbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati sancti Petri in cælo aureo papien. (1), de Ferranea & de Bavenno Aquensis & Novariensis dioc. ecclesiarum prepositis salutem & apostolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecti filii prepositi, prelati, & fratres primi & secundi ordinis humiliatorum, civitatis & dioc. mediolanen., quod venerabilis frater noster archiepiscopus mediolanen. (2) asserens sibi esse concessum per nostras litteras facultatem ab ecclesiis & monasteriis earumdem civitatis ac dioc. ac provincie sue pecuniam pro suis necessariis exigendi, pretextu litterarum hujusmodi, ut dicebat, communiter injunxit eisdem, ut ei quandam summam pecunie infra certi temporis spatium exhiberent, in singulos ex ipsis, si id omitterent, excommunicationis sententia promulgata, & eorum Ecclesiis suppositis ecclesiastico interdicto. Iidem autem prepositi & fratres sentientes ab eodem archiepiscopo ex eo indebite se gravari, quod copiam litterarum ipsarum, quam numquam habuerat, sibi facere contra justitiam denegavit humiliter requisitus, ad nostram duxerunt audientiam appellandum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione postposita, decernatis, facientes, quod decreveritis, auctoritate nostra firmiter observari.

 Testes

(1) Celeberrimum est Papiense S. Petri in Cœlo aureo Monasterium, quod vulgo S. Augustini dicitur.

(2) Otho Vicecomes, cui tum acerrimum bellum cum Turrianis erat, cum eorumdem vi Sede sua arceretur, quam numquam hactenus adire potuerat.

Teſtes autem qui fuerint vocati, ſi ſe gratia odio vel timore ſubtraxerint per cenſuram eccleſiaſticam appellatione ceſſante cogatis veritati teſtimonium perhibere. Quod ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Dat. apud urbem veterem (3) non. auguſt. pontificatus noſtri anno ſecundo.

Sigill. Urbani IV. de more.

(3) Vulgo *Orvieto*, quo Pontifex jam ab anno MCCLXII. Romanorum ſeditionibus fatigatus ſeſe receperat.

Domus Humiliatorum de Aſtano conjunctio cum Domo Humiliatorum de Lugano.

1272. 22. Maji Ex Tabul. Epiſcop. Novocom., & Monialium S. Cathar. Lugan.

IN Nomine Domini. Anno a nativitate ejuſdem milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo die Lunæ decimo ante kal. Junii Indictione quinta-decima. In capella ſuperiori Domus Epiſcopalis Cumarum, præſentibus Henrico filio quondam ſer Brozii de Olzate judice Cumarum (1), & Creſcembeno filio Ottonis Barberii de Aplanò de burgo Modoetia, & fratre Lanfranco domus fratris Attonis de Vico filio quondam Gajoni de Sancto Juliano rogatis teſtibus, Dominus Raimundus Venerabilis Epiſcopus Cumarum (2) gratam & ratam habens unionem in-

(1) Henricus de Olgiate inter Novocomenſes Patricios hac ætate celeberrimus, an. MCCLXXXIII. delectus eſt, ut Rodulpho Auguſto fidem Novocomenſium nomine jurejurando teſtaretur; tum anno MCCLXXXVI. conventionibus inter Novocomenſes ac Mediolanenſes initis ſubſcripſit. V. Tatum *Annal. Sacr. T. II. pag.* 755. & 762. At ex noſtro hoc Monumento colligimus præterea Novocomenſem Judicem hoc anno illum fuiſſe.

(2) Raimundus Turrianus primo Modoetienſis Archipresbiter, tum an. MCCLXI. Novocomenſis Epiſcopus, denique an. MCCLXXIII. XXI. Decemb. Aqui-

infrascriptam approbavit & corroboravit eamdem. Cujus unionis sibi præsentatæ tenor talis est. In Nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, die Mercurii, sexto intrante Mense Aprilis Indictione quintadecima. Cum Fratres & Sorores domus Humiliatorum de Astano secundi Ordinis disposuissent, tractatu inter utramque partem habito, jamdudum unire se, & domum, & res, & bona eorum domui Humiliatorum de Lugano secundi Ordinis, quæ dicitur domus Fratris Ottonis de Lugano (3), & ad hoc effectui mancipandum speciales sindicos & procuratores constituissent Fratrem Ottobonum de Zeno de Cumis, secundi Ordinis Humillatorum, & fratres Landulphum & Lambertum confratres dictæ domus de Astano, prout manifeste apparebat per publicum instrumentum procurationis seu sindicatus traditum & scriptum per Anricum Notarium filium quondam Lanfranci Ferrarii de Dogomentia, qui stat Runo, & ejus rogatu scriptum per Petrum Prestinarium Notarium de Lugano hoc anno die Lunæ quarto intrante Mense Aprilis, prædicti fratres Ottobonus, Lambertus, & Landulphus pro negotio dictæ unionis faciendo ad prædictam domum de Lugano accesserunt, & congregato capitulo ipsius domus de Lugano pro ipso facto complendo, in quo capitulo aderant frater Otto Prælatus ipsius domus, & cum eo frater Jacobus de Capite Lacus, Frater Antonius Maraspina, Frater Jacobus Maliacaballus (4), frater Hospinus de Pocobello omnes Confratres ipsius Domus de Lugano, & Soror Soldana, & Soror Benvenuta, & Soror Margarite, & Soror Volontera, & Soror Flos, & Soror Caracosa, So-

lejensis Patriarcha. Plura de Raimundo Mediolanenses, ac Novocomenses hujus ætatis historici, ac præsertim Cl. P. de Rubeis in monumentis Ecclesiæ Aquilejensis.

(3) V. sup. pag. 30.

(4) Gentis nomen, quod deinde, ut videtur, in *Magnocaballum* mutatum est, quo nomine gens eadem adhuc apud Novocomenses floret.

Soror Blonda, Soror Crescembena, Soror Meliorata, Soror Rica, Soror Belisia, Soror Emilia, Soror Stephana, Soror Petra, Soror Guilina, Soror Jacoba, & Soror Varenzia omnes Consorores jam dictæ domus de Lugano in ipso capitulo congregatæ: prædicti Sindici & Procuratores dictæ domus de Astano ex mandato & auctoritate eis in hac parte concessis univerunt suprascriptam domum de Astano & possessiones & res ejusdem ipsi domui de Lugano, prædictis Prælato & Fratribus & Sororibus ejusdem domus de Lugano pro se & eorum domo unanimiter & concorditer hoc recipientibus & accipientibus ita & eo tenore, ut prædicta domus de Astano, & personæ & res ejusdem de corpore supradictæ domus de Lugano efficiantur, & cum ipsa domo unum corpus & unus conventus sub obedientia, & cura, & regimine Prælati ipsius domus de Lugano perpetuo sint & permaneant; promittentes prædicti Sindici & Procuratores nomine Fratrum & Sororum dictæ domus de Astano eos ista omnia rata & firma habere, & tenere, & pro nullo tempore contravenire. Actum Lugani in Curia supradictæ domus Fratris Ottonis de Verla de Lugano. Dicti contrahentes hanc cartam, & plures alias uno tenore fieri rogaverunt, ut supra. Interfuerunt ibi Testes Luganus filius quondam Alberti de Cuxa de Cavenzallo de Lugano, & Petrus Batitor de Rezonico, qui stat Lugani, filius quondam Arnulphi de Rezonico, & Dominicus qui dicitur Rubeus de Magistro Dominico, qui stat Lugani, filius quondam Joannis de lo Ponte de Mendrixio; & pro Notariis fuerunt ibi Johannes filius quondam ser Adæ Ferrarii de Lugano, & Lambertinus filius quondam Anselmi Soldani de Lugano. Ego prædictus Johannes Notarius filius quondam ser Adæ Ferrarii interfui & scripsi. Ego prædictus Lambertinus Notarius de Saxello huic traditioni interfui & scripsi. Ego Petrus Notarius de Lugano filius quondam Johannis .... Prestinarii de Lugano hanc cartam rogatu suprascriptorum contrahentium tradidi & scripsi, & præ-

& prædictis interfui cum glosulis (*ita*) Soror Crescembena, Soror Meliorata.

Hoc adjecto per ipsum Dominum Raimundum Episcopum a prædictis Conventibus & eorum Successoribus inviolabiliter observando, quod dicta domus de Lugano debeat esse mater & caput dictæ domus de Astano, dum tamen non possint ipsam domum de Astano evellere, quin semper in eadem domo de Astano stent Fratres & Sorores sub obedientia Prælati de Lugano, nisi necessitate cogente oporteret Fratres & Sorores domus de Astano ire & stare ad prædictam domum de Lugano, & in ea; & tunc ibidem per Prælatum & Conventum domus de Lugano recipi debeant fraterna charitate, sicut Fratres & Sorores dicti Conventus domus de Lugano. Si quis autem, ut prædictum est, observare contempserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beati Abundii Confessoris, & ipsius Dñi Episcopi & suorum successorum incurrat.

Ego Stephanus Gallatius Notarius Sacri Palatii filius quondam Uberti Gallatii de sancto Johanne ad Cuncam scriba ipsius Dñi Episcopi interfui jussu predicti Dñi Episcopi, tradidi ad scribendum, dedi & scripsi.

Ego Cesarinus Notarius Cumarum filius Jacobi de Liemo de Cumis rogatu prædicti Stephani scripsi.

Gregorii X. Literæ ad Domum SS. Faustini & Jovittæ Brixiens. pertinentes.

1273. 31. Mart. Ex Tabul. S. Barthol. de Contegnaga Brixien.

GRegorius Episcopus servus servorum dei dilecto filio Abbati Monasterii Sancti Celsi Mediolan. (1) salutem & apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii Magister

(1) Antiquissimum Mediolani Cœnobium, quod ad Benedictinos diu pertinuit, do-

gister & fratres domus sanctorum faustini & Jovitte Brixien. secundi ordinis humiliatorum peticione monstrarunt, quod felicis recordationis Innocentius pp. predecessor noster, intellecto quod prior & fratres ordinis predicatorum tunc in domo commorantes eadem de Ecclesia ipsius domus se transferre volebant ad alliam, in qua possent divinis obsequiis commodius immorari, bone memorie .... Brixiensi Episcopo suis dedit litteris in mandatis, ut postquam idem prior & fratres se de loco transferrent eodem, locum ipsum & ortum, quem dicti prior & fratres ibidem habebant, si expedire videret, confere & assignare curaret magistro & fratribus supradictis; & licet idem Episcopus eisdem Magistro & fratribus domum & ortum predicte ecclesie de consensu eorumdem prioris & fratrum se ad alliam ecclesiam transferentium assignaret, Ecclesiam tamen eandem dicti loci noluit prefato Magistro & fratribus assignare, pro eo quod de ipsa ecclesia in eisdem litteris expresse mencio non fiebat; unde dictus predecessor eidem Episcopo per iterata scripta mandavit, ut prefatam ecclesiam cum possessionibus & pertinenciis suis alliquo censu Brixien. Ecclesie in recognitionem dominii reservato conferret Magistro & fratribus memoratis (2). Sane memoratus Episcopus huiusmodi literarum auctoritate, & etiam de consensu sui Capituli partem possessionum & pertinenciarum eiusdem ecclesie nec non & domorum predicti loci certis finibus designatam prefatis Magistro & fratribus assignavit; ac predictam ecclesiam eis iuxta mandatum huiusmodi conferre nollens eam cum non modica parte possessionum & pertinentiarum ipsius quondam Johanni

nec an. MDXLVIII. Paullo III. P. M. Canonici Regulares S. Salvatoris in illas aedes inducti sunt. V. Saxium *Ser. Archiep. Mediol.* T. III. pag. 975. Porro hoc anno MCCLXXIII. jam fortasse huic Monasterio praeerat Bonifacius ille de Pusterla, cujus ad an. MCCLXXVIII. meminit Julinius (*Memor. T. VIII. pag* 326. *&c.*), vir scilicet militiae potius quam religionis laude per id tempus clarissimus.

(2) V. supr. pag. 232.

ni canonico Ecclesie sancti Georgii de monte claro Ordinis sancti Augustini, qui de cura plebis ipsius sibi respondere debebat, contulit pro sue libito voluntatis (3). Postmodum autem alberto de paono presbitero Brixien. dioc. asserente se predictam Ecclesiam sanctorum faustini & Jovite ex colatione Venerabilis fratris nostri Brixiensis Episcopi (4) obtinere, ac quod tam ipse, qui pro preposito ecclesie prefate se gerit, quam predecessores sui decimas, terras, possessiones, reditus, domos, vineas, prata, pascua, nemora, iura, iurisdictiones & quedam allia bona ipsius ecclesie nonnullis clericis & laycis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, & aliis perpe . . . ad firmam vel sub censu annuo datis, super hoc literis confectis publicis instrumentis, penis adiectis, factis renunciacionibus & interpositis iuramentis concesserant in gravem ipsius Ecclesie lesionem, & quod eorum alliqui super hiis in forma communi a Sede apostolica literas impetrarunt. Nos supradicto, qui nunc est, Episcopo Brixien. nostris dedimus literis in mandatis, ut ea que de bonis eiusdem Ecclesie per concessiones huiusmodi allienata inveniret illicite vel distracta, non obstantibus literis, instrumentis, penis, iuramentis, renunciationibus, & confirmacionibus supradictis ad ius & proprietatem ipsius Ecclesie legitime revocaret, contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Cumque memoratus Albertus Magistrum & fratres predictos super huiusmodi parte domorum & possessionum ipsius Ecclesie eis taliter assignata, & per Sedem apostolicam confirmata, quas non per concessiones huiusmodi allie-

(3) Hoc ipsum innuit doctissimus Utinensis Archiepiscopus Gradonicus (*Brix Sacr. pag.* 271.), ubi tamen nec Canonici nomen, nec Monasterii Montis Clari titulus indicatur, quæ ex nostro hoc monumento colligimus.

(4) Brixiensis Episcopus erat hoc anno Martinus, de quo vide Gradonic. *Brix. Sacr. pag.* 281.

natas esse, set super illis dictos Magistrum & fratres sibi iniurari dicebat, coram eodem Episcopo auctoritate predictarum literarum obtentarum ad eum tracxisset in causam, ex parte ipsorum fuit coram dicto Episcopo excipiendo propositum, quod cum huiusmodi pars domorum, orti, & possessionum ipsius Ecclesie per supradictum episcopum predecessorem eius auctoritate apostolica, & de consensu eciam sui Capituli eis fuerit asignata, prout superius est expressum, & erant legitime probare parati, ipsique predictam partem domorum, orti, & possessionum predictarum per plures annos possederint, & adhuc possideant pacifice & quiete, per predictas literas, in quibus de asignacione huiusmodi nulla mencio habebatur, conveniri de iure non poterant nec debebant; ipsi sentientes indebite se gravari, ad nostram duxerunt audienciam appellandum. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Dat. aput Urbemveterem II. Kal. aprill. Pontificatus nostri anno secundo.

Paganus Lovonus Ord. Humil. arbiter eligitur inter Raimundum Patr. Aquilejensem, & Joannem Fulzittum.

1274. 14. Sept. Ex Tabul. Utinens.

ANno Domini 1274. Indictione secunda die 12. intrante Septembri in Civitate Austrie (1). In Anticamera Patriarchalis Palatii Presentibus &c. . . . .

Die

(1) *Civitas Austria* eadem est quæ nunc vulgo *Cividal*, seu *Cividal del Friuli*

Die vero quartodecimo intrante Septembri in Loco predicto Presentibus Viris Religiosis Fratre Humili de Ordine Minorum, Presbitero Pagano, Francisco de Orzono, Conrado dñi Galusii, Boianno de Civitate & aliis, Reverendus P. Dñus R. Patriarcha Aquil. (2) ex parte una, & Johannes dictus Fulzittus de Civitate ex altera super hiis, que percepit dictus Fulzittus de Muta (3) & dacio Civitatis a tempore obitus felicis recordationis Dñi Gregorii Patriarche Aquil. (4) ratione instrumentorum seu privilegiorum sibi concessorum per dictum Dñum G. Patriarcham, dederunt Fratri Pagano Lovono de Ordine Humiliatorum auctoritatem & plenariam potestatem declarandi, arbitrandi, & sententiandi secundum viam iuris inter ipsos de consilio iurisperitorum, promittentes habere firmum & ratum quidquid super predictis per ipsum fuerit declaratum, arbitratum, sententiatum, seu etiam ordinatum. Sub pena centum marcarum denariorum Aquileiensium (5), qua soluta, vel non, idem tamen arbitrium plenam obtineat firmitatem. Ad cuius arbitrii observationem tam Dñus Patriarcha sua bona, quam dictus Fulzittus sua mobilia & immobilia alter alteri obligarunt.

dicitur. Austriæ porro nomen illi additum, quod a Longobardis Orientalis Italia, ac præsertim Forojuliensis provincia, Austria dici consueverat, Neustria vero pars Occidentalis. Hac de re V. præsertim Differtat. Cl. P. Berettæ de Tabula Chorographica Italiæ medii ævi editam Vol. X. Script. Rer. Ital. Sect. VIII. & XV.

(2) Raimundus Turrianus, a Novocomensi sede ad Aquilejensem traductus an. MCCLXXII. V. supr. pag. 300.

(3) *Mutam* explicat Cangius vectigal, quod navigia mercibus onusta solvere tenentur. Hoc vero ex hoc monumento colligimus Aquilejensis Patriarchæ juris fuisse.

(4) Gregorius de Montelongo hic indicatur, cujus alias in hisce monumentis meminimus.

(5) De Forojuliensis provinciæ monetis, erudite differit Josephus Liruti in Italica sua de iisdem Differtatione, quam iterum edidit Argelatus in Differtationibus de Monetis Italiæ T. II. pag. 71. Ostendit ille porro Aquilejensem marcam CLX denariis constitisse, denarios vero Aquilejenses per hæc tempora siliquarum, vulgo *carati* 5 $\frac{1}{2}$ circiter pondus habuisse

Privilegium de construendis oratoriis in primo, secundo, ac tertio ordine humiliatorum.

1275. 19. Aug. Ex Bibl. Braid.

GUillelmus miseratione divina Ferrariensis episcopus apostolice sedis legatus (1), religioso viro Magistro generali ordinis humiliatorum salutem in domino. Honestatis tue meritis adesse liberales inducimur, ut te illa gratia prosequamur, que tuis & ordinis tui necessitatibus esse dinoscitur opportuna. Ea propter tuis supplicationibus annuentes, ut fratribus primi, secundi & tertii ordinis humiliatorum, quibus preesse dinosceris, construendi in domibus eorum oratoria sine cimiteriis, in quibus a sacerdotibus possint audire divina, licentiam valeas elargiri, sine juris prejudicio alieni, tibi auctoritate qua fungimur, tenore presentium concedimus facultatem. Dat. Placentie decimoquarto Cal. Septemb. pontificatus domini gregorii pape decimi anno quarto.

Pendet sigillum cereum, sed infractum.

(1) De Guillelmo Ferrariensi Episcopo V. Ughell. *Ital. Sacr. T. II. in Ferrariens. Epist.*

Tabulæ, quibus Modoetienses Humiliati Modoetiensi Ecclesiæ partem ejusdem Thesauri reddunt, pignoris loco apud illos depositam.

1277. 6. Aug Ex Tabul. Capit. Modoet.

Edit. a Julinio *Memor. T. IX. pag.* 98.

Mar-

Martini IV. Literæ ad tertii Ordinis Humiliatos Senensi Nosocomio S. Mariæ de Misericordia præfectos.

1282. 15. Oct. Ex Tabul. Gymnas. Sapient. Senens.

MArtinus Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Rectori & Fratribus Domus Sanctæ Mariæ de Misericordia Pauperum Senens. Ordinis Humiliatorum (1) Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor equitatis, quam Ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum, in quo sub comuni vita degitis, cum omnibus Bonis, que in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Domos, vineas, possessiones, & alia Bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis & per vos vestre Domui auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. apud Montesflascone Idibus Octubris Pontificatus nostri Anno secundo.

Ego Orlandus Notarius quondam Guiglielmi hujus exempli auten-

(1) De hac Humiliatorum tertii Ordinis hospitali domo sermo fuit Vol. I. pag. 180. &c. & pag. 223. &c.

autenticum privilegium Bone memorie Sanctissimi Patris Domini Martini Pape quarti sigillatum sigillo plumbeo pendenti cum filis serici gialle & rubee vidi & legi, non vitiatum, non cancellatum, non in aliqua parte abolitum, in quo quidem sigillo ex una parte erant immagines duorum Capitum, & supra ipsas immagines erant littere, que dicebant S. Pa. S. Pe., ex alia vero parte Sigilli erant littere, que dicebant: Martinus Papa Quartus; & quidquid in dicto Privilegio continebatur nullo addito vel diminuto inde sumpsi, & hic fideliter exemplavi; & una cum Ugolino Junte Notario presens sumptum cum autentico coram Venerabili Patre Domno Bandino Abbate Sancti Eugenii prope Senas (2) diligenter abscultavi, & de ejus auctoritate & mandato apud dictam Abbatiam coram Presbitero Guidone Rectore Ecclesie Sancte Margarite, Domno Jacobo, Domno Bindo Monacis dicte Abbatie, Mino Cacciati, & Orlan de Johannis testibus presentibus in anno Domini MCCLXXXXIII. Indictione VII. in publicam formam redegi.

(2) De S. Eugenii Monasterio, quod ab Ava Zenovii filia, atque Ildebrandi vidua an. MI. extructum, ac Monachis Ord. S. Benedicti concessum, ab Eugenio IV. deinde Casinensibus Monachis an. MCCCCXLVI. attributum fuit, V. Ughell. *Ital. Sacr. T. III. in Episc. Senens.*, ubi de Adeodato II.

Iste sunt Littere papales, inquibus mandatur quod officium romanum fiat in ordine humiliatorum.

1286. 7. Apr. Ex Bibl. Braid.

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro ordinis humiliatorum (1) salutem & apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod nuper

(1) Erat hic Loderengus, de quo plura Vol. I. Diss. IV. num. VI. &c.

nuper fel. rec. Innocentius papa quartus predeceſſor noſter, auctoritate apoſtolica ſtatuit, ut in ordine humiliatorum unus cantandi & pſallendi modus debeat obſervari (2), ac poſtmodum pie memorie Alexander papa predeceſſor noſter, intellecto, quod nonnulli fratres dicti ordinis mediolanenſis civitatis & dioc. conſuetudinem mediolanenſis eccleſie modo, qui ſervatur in cantando & pſallendo in predicto ordine contrariam imitantes, ſtatutum predictum minime obſervabant, tibi (3) per ſuas mandavit litteras, ut dictos fratres ad obſervationem ipſius ſtatuti conſuetudine hujuſmodi non obſtante, monitione premiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita coarctares. Verum tu predictarum litterarum tibi directarum auctoritate ſupradictis fratribus mandaviſti, ut conſuetudine non obſtante predicta, modum Romani officii, qui ſervatur in predicto ordine in cantando & pſallendo circa celebrationem divinorum in eorum domibus infra certum terminum inciperent & ſervarent. Alioquin in ipſos excommunicationis ſententiam promulgabas. Predicti vero fratres aſſerentes ex hoc indebite ſe gravari infra hujuſmodi terminum, ut dicitur, ad Sedem apoſtolicam appellarunt. Nos itaque unionem & tranquillum ſtatum dicti Ordinis, quem ſincere in Domino diligimus, ſervare paterno deſiderantes affectu, teque hoc idem affectare credentes, diſcretioni tue preſentium auctoritate committimus, ut conſideratis diligenter ſtatu ejuſdem Ordinis, conditione temporis, ac omnibus circumſtantiis, quas circa hoc tua diſcretio viderit attendendas, predictum terminum uſque ad tuum beneplacitum valeas prorogare, dummodo hujuſmodi prorogatio biennium non excedat (4). Dat. Rome apud ſanctam Sa-

(2) Vide ſupr. pag. 228.

(3) V. ſup. pag. 291. Has tamen literas non Loderengo, qui nondum ad hanc dignitatem evectus fuerat, ſed Petro tunc Humiliatorum Magiſtro dedit Alexander.

(4) Enimvero biennio poſt Humiliatos Mediolanenſes ab Ambroſianis ritibus defeciſſe tradunt Corius & Calcus. V.

Sabinam septimo Idus Aprilis pontificatus nostri anno primo (5).

Sig. Honorii IIII. de more.

Vol. I. Diss. III. num. XII. & Diss. IV. num. IX.

(5) Honorius IV, antea Jacobus Card. Sabellus, an. MCCLXXXV. II. Apr. Summus Pontifex salutatus est Perusii, ac deinde XV. ejusdem mensis Romae inauguratus, ac denique, ut Papebrochius arbitratur, XX. Maji coronatus est. V. Pagium *Chronic. Pontif. Rom.* in ejus Vita. Itaque dies VII. April. primi illius Pontificatus anni in annum MCCLXXXVI. incidebat.

Privilegium domini honorii Pape de confirmatione prepositorum.

1286. 1. Jun. Ex Bibl. Braid.

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Magistro ac prepositis, prioribus, prelatis, fratribus & sororibus universis domorum & locorum ordinis humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Presignis ordinis vestri religio fecunditate referta virtutum, nec non & devotionis sinceritas, quam reverenter & sedulo erga nos & Romanam Ecclesiam geritis, promerentur, ut vos & ordinem ipsum, quos etiam cum essemus in minori officio constituti sincera dileximus in domino caritate, favoris apostolici plenitudine prosequentes, vobis reddamur ad gratiam liberales. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod fel. rec. Innocentius papa IV. predecessor noster volens vobis dudum gratiam facere specialem, duxit auctoritate apostolica statuendum, ut vestri ordinis prepositorum, electorum ad prepositituras ipsius ordinis, approbatio & amotio ad Magistrum dicti ordinis, qui esset pro tempore, confirmatio tamen absque examinationis scrutinio ad diocesanos locorum debeat pertinere, inhibens expresse ut nullus episcopus,

vel

vel quelibet alia persona regularem electionem prepositi vel prelati ejusdem ordinis impediat, aut de instituendo eo, qui pro tempore fuerit, se ullatenus intromittat (1). Quare nobis humiliter supplicastis, ut cum diocesani vestri in quorum civitatibus & diocesibus domos habetis, confirmare prepositos dicti ordinis, qui eliguntur pro tempore, quamquam per te, fili magister, prout ex hujusmodi constitutione dicti predecessoris nostri tibi competit, fuerint approbati, frequenter differant vel omittant; & ex hoc sæpe vobis & eidem ordini immineat detrimentum, congruum super hoc adhibere remedium de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque volentes hujusmodi pericula, que vobis ex tali dilatione seu omissione diocesanorum ipsorum sepe proveniunt, in posterum submovere, vestris precibus inclinati, ut si diocesani, in quorum civitatibus aut diocesibus domos vestri ordinis obtinetis, presentatas eis vel eorum vicariis ab ipsarum conventibus vel fratribus electiones prepositorum, qui fuerint ad earum regimen pro tempore assumendi, prout tenentur ex ipsius constitutionis predecessoris tenore, absque alicujus examinationis scrutinio infra quindecim dies a die presentationis hujusmodi computandos, distulerint seu omiserint confirmare, dicti electi ex tunc ut veri prepositi curam & administrationem in spiritualibus & temporalibus domorum ipsarum eo ipso libere habere valeant, & etiam exercere, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nos enim omnes suspensionis vel interdicti, aut excommunicationis sententias contra hujusmodi concessionis nostre tenorem in vos vel vestrum aliquem a diocesanis predictis, aut eorum aliquo, seu de ipsorum mandato vel auctoritate contigerit promulgari, ex nunc decernimus irritas & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si

(1) V. sup. pag. 205.

quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum petri & pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Rome apud sanctam sabinam kal. Junii pontificatus nostri anno secundo.

Sigillum avulsum.

Honorii IV. Literæ, ne Humiliati exactionibus graventur.

1286. 1. Jun. Ex Bibl. Braid.

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Magistro ac prepositis, prioribus, prelatis, fratribus ac sororibus universis domorum & locorum ordinis humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Religionis vestre meretur honestas, ut vos speciali diligentes in domino caritate, prosequamur gratia sedis Apostolice ac favore. Sane cum sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, occasione collectarum & exactionum, que vobis & domibus vestris sepe a locorum ordinariis imponuntur, quietem vestrarum mentium, quas divinis beneplacitis devovistis, contingat multipliciter perturbari, nos volentes alicujus relevationis solatio vos gaudere, ut ad prestationem aliquarum collectarum, subsidiorum & aliarum exactionum imponendorum vobis & domibus vestris communiter vel divisim a Locorum diocesanis vel ordinariis, in quorum civitatibus aut diocesibus seu jurisdictionibus loca seu domos habetis, dummodo in hujusmodi collectis vel subsidiis alii Religiosi generaliter non contribuant, & eedem collecte vel subsidia pro expensis legatorum & nunciorum apostolice sedis non exigantur a vobis, contra quos dumtaxat gratiam hujusmodi vobis nolumus suffragari, minime teneamini, auctoritate presentium indulgemus (1).

Nos

(1) Utrasque has Honorii literas eo spectasse, ut Episcoporum in Humiliatos jus atque

Nos enim omnes suspensionis, vel interdicti, aut excommunicationis sententias, quas contra hujusmodi concessionis nostre tenorem in vos vel vestrum aliquem a diocesanis predictis, seu de ipsorum mandato vel auctoritate contigerit promulgari, ex nunc decernimus irritas & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum petri & pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctam sabinam kal. Junii pontificatus nostri anno secundo.

Sigill. de more.

auctoritas minueretur, facile patet. Fervebant scilicet per id tempus acerrimæ de Humiliatorum immunitate controversiæ, quas deinde biennio post Nicolaus IV. definivit, ut mox videbimus. V. Vol. I. Diss. IV. num. VII. &c.

Honorii IV. Literæ, quibus Humiliatorum Magistris concedit, ut ante Sedis Apostolicæ confirmationem munere suo fungantur.

1286. 4. Jul. Ex Bibl. Braid.

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Magistro ac prepositis, prioribus, prelatis, fratribus ac sororibus universis domorum & locorum ordinis humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Presignis ordinis vestri religio fecunditate referta virtutum, nec non & devotionis sinceritas, quam reverenter & sedulo erga nos & Romanam Ecclesiam geritis, promeretur, ut vos & ordinem vestrum, favoris apostolici plenitudine prosequentes, vobis reddamur ad gratiam liberales. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod felicis rec. Innocentius papa IIII. predecessor noster duxit

auctoritate apostolica statuendum (1), ut in predicto ordine sit unus magister, qui ordini universo intendere debeat, & etiam providere, ac universis domibus primi ac secundi ordinis, & conventibus tertii ordinis, ubi per se ipsum potuerit, quolibet anno, ac per idoneas personas electas in capitulo generali, officium visitationis impendat, & que statuenda vel corrigenda repererit, statuat & emendet, secundum Deum & ejusdem ordinis instituta per sedem apostolicam approbata; cujus electionem & depositionem ad eos, qui diffinitores appellati ad hoc in capitulo generali electi fuerint secundum tenorem institutionum vestrarum, idem predecessor noster voluit pertinere; quodque ex tunc electiones Magistrorum ejusdem ordinis ad Magisterii regimen electorum auctoritate predicte sedis extra Romanam Curiam confirmate fuerunt, nullo ipsorum propter hoc ad eamdem sedem personaliter accedente. Quare nobis humiliter supplicastis, ut cum vobis non sit facile, quotiens idem Magister eligitur pro ipsius electionis confirmatione ad predictam sedem, a qua, ut premittitur, dependet hujusmodi confirmatio, laborare, providere vobis super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui dictum ordinem sincera diligimus in domino caritate, in quem etiam, dum essemus in minori offitio constituti spetialis habuimus dilectionis effectum; premissa mente vigili attendentes, ac volentes vobis paterne sollicitudinis studio consulere in hac parte, vestris supplicationibus inclinati, presentium vobis auctoritate concedimus, quod idem magister cum unanimiter & concorditer electus fuerit, libere administret, dummodo nihil de bonis ecclesiasticis alienet, donec petendi & obtinendi confirmationem a sede predicta, vel ab alio, cui hoc fuerit per eamdem commissum, habuerit facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei

(1) V. sup. pag. 198, & 201.

ei ausu temerario contraire. Quod si quis attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum petri & pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum tibure quarto nonas Julii pontificatus nostri anno secundo.

Sigill. consuetum.

Sententia in seditiosos Humiliatos lata.

1288. 5. Jul. Ex Bibl. Braid.

PEtrus miseratione divina sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis (1), discretis viris magistro Joanni de scantio canonico Pergamensi (2) & Bertramino de brolio clerico sancti Salvatoris Pergamen. salutem in domino sempiternam. Circa statum perspectum & salubrem ordinis humiliatorum, quem sincera complectimur caritate, nostre considerationis aciem dirigentes, opem sedulam & efficacem operam promptis affectibus impendimus, ut juxta commissum nobis officium idem ordo preservetur a noxiis, & ad salutaria dirigatur. Sane quia sicut fide dignorum testimonio accepimus, & id etiam inter fratres ejusdem ordinis esse noscitur manifestum, quidam dicti ordinis fratres, quod non sine mentis turbatione referimus, reli-

(1) Petrus Peregrossus, quem superius Vicecancellarium Romanae Ecclesiae vidimus. Hic a Nicolao IV. hoc ipso anno Diaconus Cardinalis tit. S. Georgii ad velum aureum renunciatus, ut Oldoinus testatur in Nicolao IV., ac patet ex his ejusdem literis, paullo post Presbiter Cardinalis tit. S. Marci dictus est; quo nomine imposterum illum vocari videbimus. Protector etiam Humiliatis datus est; atque auctor in primis fuit, ut Humiliati Episcoporum juri subducerentur. V. Vol. I. Differt. IV. num IX. Plura de Petro habes apud Script. Rer. Ital. *T. XVI col.* 679. 682. Julin. *Memor. T. VIII. pag.* 419 460 *&c.*, Wadingum *Ann. Min. T. V. pag.* 73. 338.

(2) Hic deinde an MCCXCVI. ad Bergomensem Sedem evectus est, cujus elogium vide apud Ughell. in Episc. Bergomensibus.

religionis quidem gestantes habitum, sed a religionis actibus discrepantes, in eodem ordine pacis emulo instigante, seditiones multiplices excitarunt, & assumpto rebellionis spiritu contra Magistrum ejusdem ordinis & suos prelatos se in superbiam erexerunt, ac horrendis ab eis nimium excessibus perpetratis, plurima in predicto ordine scandala suscitarunt, in suarum animarum periculum, & ipsius ordinis maximum detrimentum (3): nos quibus cura & defensio ejusdem ordinis & personarum & membrorum ipsius per sedem apostolicam est commissa, quique ordinandi, statuendi, & faciendi per nos, aut per alium, aut alios que ad correctionem, reformationem, & utilitatem dicti ordinis & membrorum & personarum ejusdem noverimus pertinere, ac contradictores & molestatores quoslibet per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi plenam habemus & liberam facultatem, non obstantibus contrariis ejusdem ordinis consuetudinibus & statutis juramento, confirmatione sedis apostolice, vel quacumque firmitate alia roboratis, seu si aliquibus predicti ordinis, aut quibuscumque personis aliis cujuscumque dignitatis, conditionis, preminentie, ordinis vel status existat, communiter vel divisim a sede sit indultum eadem, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras dicte sedis non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, prout hec in litteris apostolicis super hoc nobis directis plenius continentur, desiderabiliter affectantes de prefato ordine seditiones & scandala hujusmodi removere, ac personas ipsius ordinis in caritate solida prout nobis fuerit possibile confovere, repressis eorum conatibus, qui volentes ex ausu consurgere, turbare statum ejusdem ordinis moliuntur, discretioni vestre, qua fungimur, auctoritate sub pena ex-

com-

(3) Que fuerit horum tumultum origo, per conjecturam exposuimus Vol. I. Diss. IV. num. X.

communicationis ac in virtute ſanƈte obedientie diſtriƈte precipimus & mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, ita quod alter alterum in executione mandati hujuſmodi non expeƈtet, Fratres Jambellum de garbagnate, Creſinum de dexio, Accurſium de vergano, domus de braida mediolanen., Bertramum & Accurſium domus de Vico Cumarum ordinis ſepefati, qui hujuſmodi ſeditionis & rebellionis auƈtores exſtitiſſe principaliter dignoſcuntur, & diƈtorum exceſſuum precipui patratores, ex parte noſtra moneatis, & nihilominus diſtriƈte precipiatis eiſdem, ut infra quindecim dies ab hujuſmodi monitionis ſeu precepti tempore computandos, quem terminum eis & ipſorum cuilibet duximus peremptorie prefigendum, diƈtus Jambellus Veronam ad domum de glarea, Creſinus Bononiam ad domum ſanƈti Jacobi de ſavina, Accurſius de Vergano Placentiam ad domum de argine, Bertramus Alexandriam ad domum de quargnento, & Accurſius Brixiam ad domum de medio (4), quas quidem domos habet idem ordo in locis ſeu civitatibus ſupradiƈtis, poſtpoſitis excuſationibus & diffugiis quibuſcumque, ſtudeant ſe conferre, ac tamdiu in eis moram contrahant, quouſque de ipſis aliter duxerimus ordinandum. In hujuſmodi ſiquidem commiſſe nobis ſollicitudinis initiis, licet exigentibus demeritis eorumdem juſte poſſemus durius procedere contra ipſos, viam tamen benignitatis & manſuetudinis eligentes, experiri decrevimus, utrum per hujuſmodi locorum mutationem, que interdum proficit ad ſalutem, affeƈtus ipſorum in bonum converſus fuerit, tangente Domino cor illorum, ſic ut remiſſa eis acriori pena, quam juſte promeruerunt conſideratis exceſſibus eorumdem, ipſos veluti obedientie filios ad ſtatum & loca priſtina reducere miſericorditer valeamus. Porro ſi iidem fratres pertinaci duƈti ſpiritu intra prefatos quindecim dies ad loca ſe non contulerint ſupradiƈta, vobis

(4) De his omnibus Humiliatorum domibus ſermo fuit Differt. VII. P. II.

vobis distriĉte precipimus & mandamus, quatenus fratres eosdem, quos ex nunc ut ex tunc in his scriptis excommunicationis vinculo innodamus, excommunicatos per Mediolanen. & Cuman. ecclesias, prefatis quindecim diebus elapsis, publice pulsatis campanis & candelis accensis (5) tamdiu singulis diebus Dominicis & festivis, cum populi ad divina convenerint, nuntietis & faciatis ab aliis nuntiari, ac nihilominus ab omnibus arctius evitari, quousque rubore suffusi ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum prompti inclinentur, ipsis ex parte nostra nihilominus predicentes, quod si sic domari nequiverint, pertinacia eorumdem nos ad penas alias spirituales & temporales, quantum justitia permiserit, procedere curabimus contra ipsos. Ceterum, quia ubi dicti fratres videbunt, se in rebellionis hujusmodi factione aliorum destitui consilio, auxilio, & favore, faciliter ad obediendum, & deponendum pertinacem spiritum inducentur, vobis precipimus & mandamus, quatenus omnes & singulos cujuscumque dignitatis, conditionis, preminentie, status vel ordinis existant, ex parte nostra publice moneatis, ut predictis fratribus vel alicui eorumdem nullum in premissis dent publice vel occulte auxilium, consilium, vel favorem, seu impedimentum prestent quomodolibet, quominus ipsi fratres & eorum quilibet libere se ad loca conferant supradicta. Alioquin in omnes & singulos cujuscumque dignitatis, conditionis, preminentie, ordinis, vel status existant, qui spreta monitione hujusmodi contra premissa fecerint, vel aliquid premissorum, publice vel occulte, ex nunc ut ex tunc excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis, quam si necesse fuerit faciemus solemniter publicari, & eos velut excommunicatos tamdiu ab omnibus arctius evitari, quousque ab eis destiterint, & mandatis nostris paruerint cum effectu.

(5) De his aliisque excomunicationis ferendæ ritibus erudite disputat van-Espen *Jur. Eccles. Univ. P. III. Tit. XI. Cap. VIII.*

rffectu. Quidquid autem super predictis feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes, fideliter intimetis. In testimonium quorum omnium premissorum presens publicum instrumentum per infrascriptum Pasqualem publicum Notarium scribi & publicari mandavimus, & sigilli nostri appensione muniri, presentibus Dominis Tedisio de Flisco electo Regino (6), Gorleone de Flisco Canonico Burgensi, presbitero Christophoro Canonico Brixiensi, & magistro Matthia de Tieti in Romana Curia procuratore, testibus ad predicta vocatis & rogatis.

Actum & datum Reate in hospitio nostro anno nativitatis dominice 1288. Indictione prima, die quinto mensis Julii, pontificatus Domini Nicolai pape IIII. anno primo.

Ego Pasqualis quondam fidis Notarii de Senis apostolice sedis auctoritate notarius, predictis omnibus interfui, & ea omnia de mandato dicti Domini Cardinalis mihi facto, anno, indictione, die, loco, & pontificatu predictis, & coram dictis testibus scripsi, & in publicam formam redegi, & meo signo consueto notavi.

Sigillum avulsum est.

(6) Theodosium de Flisco appellat Ughellius *Ital. Sacr. Vol. II.* in Reginis Episcopis, ubi de Guillelmo de Bobio. Narrat autem, post Guillelmi Foliani Episcopi mortem, qui an. MCCLXXXIII. vita excessit, dissensione inter Electores exorta, alios Franciscum Folianum Regiensem, alios Theodosium, ut ipse ait, de Flisco Cadurcensem Canonicos, Regiensem Episcopum jussisse, donec Nicolaus IV. anno MCCXC. Fr. Guillelmum de Bobio ad sedem illam evexit.

Nicolai IV. Literæ, quibus Humiliati ab Episcoporum jure eximuntur.

1288. 2. Sept. Ex Monum. apud Cl. Mannium.

NIcolaus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Loderingo Magistro, & Capitulo Generalibus, nec non Prepositis, Prelatis & Conventibus Fratrum & Sororum universarum domorum Ordinis Humiliatorum salutem & apostolicam benedictionem. Per humilitatis exemplum in lege Domini gradientes, illuminati verbo Domini, qui venientes (*l.* veniens) in mundum instruit verbo suo, ut qui se humiliat, exaltetur, in humilitatis spiritu sub observantia regulari vestram cum Deo decrevistis ponere portionem ac filii sui Domini *Nostri* Jesu Christi doctrinis edocti, qui in humilitate sua humilium exhibuit se doctorem, *ut humiliati* dicamini a veritate rei, sortiri etiam vocabulum elegistis. Unde nos, quos licet indignos ad summi apostolatus apicem dispositio divina vocavit *exemplum* ipsius Domini imitantes benigno favore complectimur, vosque ac ordinem vestrum, qui in vinea Domini palmites fructiferos multos fecit, a noxiis libenti animo preservamus. Sane dudum, sicut accepimus, recolende memorie Innocentius papa tertius, qui in angulari lapide Christo *Ordinis* vestri fundamenta locavit, ad profectum ipsius Ordinis & promotionem intendens, inter alia noscitur auctorirate apostolica statuisse, ut in eodem Ordine quatuor essent Prepositi principales, de Rondanario, de Vico Baldono, de Vigalono videlicet ac de Laude, ubi suas domos obtinet dictus Ordo, quorum singuli annis singulis successive, uno scilicet anno unus, secundo secundus, tertio tertius, & quarto quartus, universis domibus professionis vestre officium visitationis impenderent, & que statuenda vel corrigenda invenirent, statuerent & emendarent secundum Deum & ipsius Ordinis instituta

tuta per ſedem apoſtolicam approbata, diſpoſitionem & poteſtatem ſuper minores Prepoſitos obtinentes, ſicut in Ciſtercen. Ordine Patres Abbates in minoribus conſueverunt Abbatibus obtinere; & ipſi cum quattuor de Prelatis medii Ordinis, & totidem tertii, ſingulis annis ad minus Generale Capitulum convocarent, in quo ea que ad reformationem, ſtatum & profectum religionis veſtre ſpectarent, ſine contentione ſalubriter & utiliter pertractarent. Quod ſi aliquis ex quactuor majoribus Prepoſitis nominatis, aliquid forte committeret, per quod ab adminiſtratione eſſet merito removendus, a reliquis tribus deponeretur, & adminiſtratione hujuſmodi privaretur (1). Felicis quoque recordationis Gregorius papa nonus predeceſſor noſter, regulam veſtram per dictum Innocentium predeceſſorem tunc correctam & apud Sedem apoſtolicam reſervatam, fecit ſuis licteris annotari (2), & poſtmodum pie conſiderans, quod Romanus Pontifex correptioni ſubditorum immediate dicte Sedi nequit, ut expedit, imminere, quondam Rogerio Suppriori Fratrum Predicatorum Bononien. & Collegiis (*l.* Collegis) ſuis primo, & demum diverſis Prioribus & perſonis ejuſdem Ordinis Predicatorum, ac Priori Provinciali Fratrum Predicatorum in Lombardia per ſuas diverſas licteras, ut Monaſteria exempta Ordinis Sancti Benedicti, Sancti Marci, & canonicas regulares cujuſcumque profeſſionis vel Ordinis, humiliatos quoque & hoſpitalia, nec non & Eccleſias & loca, in quibus correptio ad Dioceſanos non pertinebat, vel que in poſſeſſione libertatis exiſtebant in Provincia Lombardie, & quibuſdam aliis partibus, omni anno donec ſibi placeret, ſemel & pluries prout videretur expediens, privilegiis eorum & indulgentiis necquicquam obſtantibus, viſitandi (*forte* viſitarent) commiſit (3). Poſtmodum vero bone recordationis Innocentius

(1) V. ſup. pag. 143.
(2) V. pag. 163.
(3) V. pag. 167.

papa quartus predeceſſor noſter, volens religioni veſtre accepte Deo & hominibus, pacem & quietem paterne diligentie ſtudio procurare, ut quaſi unum corpus unum capud haberent, auctoritate apoſtolica ſtatuit, ut in ordine veſtro unus eſſet Magiſter, ſub cujus regimine valeretis Deo & Sancte Romane Eccleſie devote ac utiliter famulari. Quique univerſo eodem Ordini provideat & intendat, ac viſitationis & correctionis ſuper illo tam in ſpiritualibus quam in temporalibus plenam obtineat poteſtatem. Univerſis vero ipſius veſtri Ordinis domibus, vel per ſe ipſum, ſi commode potuerit, alias autem per idoneas perſonas in Generali Capitulo ad hoc electas officium viſitatoris impendat, & que ſtatuenda vel corrigenda repererit ſtatuat & emendet ſecundum Deum & ipſius Ordinis inſtituta. Electio vero & depoſitio ipſius Magiſtri ad ipſius Ordinis Capitulum generale, Prepoſitorum auctoritatem electorum ad prepoſituras ejuſdem Ordinis approbatio & amotio ad Magiſtrum pertineat ſupradictum. Inhibuit etiam dictus predeceſſor Innocentius, ut nullus Epiſcopus, vel quelibet alia perſona regularem electionem Prepoſiti vel Prelati ejuſdem Ordinis impediat, aut de inſtituendo, vel deſtituendo eo, qui pro tempore fuerit, ſe aliquatenus intromittat (4). Cogitans etiam dictus predeceſſor Innocentius de illis Eccleſiis ſpecialiter, que ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinebant, & intendens earum correptioni, cui per ſe propter occupationes varias imminere nequibat plerumque, aliquos deputare, qui vice ſua hujuſmodi offitium viſitationis & correptionis exequerentur in Eccleſiis nominatis, id ipſum offitium, quondam Fratri Stephano de predicto Ordine Predicatorum Capellano & Penitentiario ſuo duxit ſub forma ſimili committendum: ſupprior vero & college, ac Priores, perſone, & Penitentiarius memorati in domibus & locis veſtri Ordinis de predictis partibus Lom-

(4) V. pag. 198. & 204.

Lombardie premiſſum viſitationis & correptionis offitium exercuerunt libere pluries, nullo alio dictum Humiliatorum Ordinem viſitante (5). Alias etiam a Fratribus & perſonis veſtri Ordinis ſupplicantibus eidem predeceſſori Innocentio pape quarto, ut uni de Fratribus ſuis Fratres veſtri Ordinis commendaret, cujus fulti patrocinio & conſilio gubernati, poſſent firmiùs figere greſſus ſuos, dictus predeceſſor Innocentius hujuſmodi ſollicitudinem bone memorie Octoni Epiſcopo portuen. commiſit, & etiam electionem factam de quondam Fratre Bertrammo tunc Prepoſito domus Sancti Luce Brixien. in Generalem Magiſtrum Ordinis veſtri, & preſentatam ſibi ab eiſdem Fratribus confirmandam ab eo, de Fratrum ſuorum conſilio confirmavit (6), ac deinde ſtatuit, ut per omnes Ordinis veſtri domos & Eccleſias unus in divinis cantandi, & pſallendi modus debeat obſervari (7). Ac denique dicto Bertrammo viam univerſe carnis ingreſſo, generale Capitulum veſtri Ordinis convenientes in unum, quondam Petrum tunc ejuſdem domus Sancti Luce Prepoſitum in Magiſtrum predicti veſtri Ordinis canonice & concorditer elegerunt: pie quoque memorie Alexander papa predeceſſor noſter preſentatam ſibi electionem hujuſmodi, quia invenit eam de perſona idonea Canonice celebratam, de Fratrum ſuorum conſilio confirmavit (8), ac expoſito poſtmodum ſibi, quod licet idem predeceſſor Innocentius papa quartus, ut premittitur, ſtatuiſſet, ut hujuſmodi modus cantandi & pſallendi per omnes ejuſdem Ordinis domos & eccleſias ſervaretur, quia tamen quidam Fratres veſtri Ordinis Mediolanen. civitatis & dioc. conſuetudinem Mediolanen. Eccleſie imitantes, ſtatutum hujuſmodi non ſervabant, dictus prede-

ceſſor

(5) Has Innocentii IV. literas non habemus. Stephanus hic idem eſt forte, qui Inſubriæ provinciæ præfuit, quique memoratur a PP. Quetif & Echard *Script. Ord. Præd.* T. I. pag. 52.

(6) V. pag. 198.

(7) V. pag. 225.

(8) V. pag. 292.

cessor Alexander Magistro vestri Ordinis per suas mandavit litteras, ut predictos fratres civitatis & dioc. predictarum ad observationem ipsius statuti consuetudine predicta nequaquam obstante per censuram ecclesiasticam coartaret (9). Post hec bone memorie Gregorius papa decimus predecessor noster sancte recordationis Adriano pape predecessori nostro, tunc Sancti Adriani Diacono Cardinali curam & defensionem vestri Ordinis, ac omnium domorum, & membrorum vestrorum tam spiritualiter quam temporaliter per litteras suas commisit, ut ibi ordinaret, statueret, & faceret omnia per se, vel per alium, seu alios, que ad correctionem, reformationem ac utilitatem vestram, & domorum ac membrorum predictorum expedire videret, confirmandi spetialiter electionem Magistri supradictorum Ordinum Humiliatorum sibi ab eo concessa nicchilominus potestate (10), qui demum hujusmodi fretus auctoritate, quia idem Frater Petrus tunc Magister regimini magisterii dicti vestri Ordinis sponte cessit, & renuntiavit expresse, te Fili Magister, tunc Prepositum domus de Mirasole, qui per concordem electionem vestri Capituli Generalis electus fueras in Magistrum canonice confirmavit. Ac postea bone memorie Honorius papa predecessor noster vobis per litteras suas concessit, quod cum Magister vester unanimiter & concorditer electus fuerit, libere administret, donec petendi & obtinendi confirmationem a Sede Apostolica, vel ab alio, cui hoc esset per eam commissum, habuerit facultatem (11) prout hec omnia tam in registris quam in litteris dictorum predecessorum plenius continentur. Verum inter vos ac venerabiles Fratres nostros

(9) V. pag. 291.

(10) Has Gregorii X. literas non habemus, atq; ex hoc solo monumento colligimus Othobonum Card. Fliscum, qui deinde ad Romanam sedem an. MCCLXXVI, evectus, atque Adrianus V. dictus, vix mensem unum ac dies septem eamdem obtinuit, Protectorem Humiliatis datum fuisse.

(11) V. pag. 315.

ſtros Archiepiſcopum Mediolanen. ac ... Brixien... Cuman. (12), & quoſdam alios Epiſcopos, in quorum civitatibus & dioceſibus domos veſtri Ordinis plures habetis, ſuper eo quod aſſerunt, vos, domos, & loca ipſa eis fore ſubjecta, & ſuper ſubjectione & libertate hujuſmodi, nec non viſitatione, correctione, ac procurationibus, quas iidem Ordinarii ſe debere in domibus & locis predictis habere contendunt & quibuſdam aliis articulis, diverſe queſtionum & controverſiarum materie ſunt exorte, quarum occaſione ordo predictus veſter, qui olim florere in ſpiritualibus, & abundare in temporalibus conſuevit, gravia ſubiit onera expenſarum, in eo etiam periit obſervantia regularis, & antiqua elemoſina, que affluenter erogabatur pauperibus, aliaque pietatis opera in eodem ſervari Ordine conſueta, ſunt non modicum diminuta, ſicque tum propter alias oppreſſiones & turbationes varias prefatus Ordo adeo in ſpiritualibus & temporalibus eſt collapſus, quod niſi per ipſius Sedis providentiam ſuccurratur eidem, vix adicere poterit ut reſurgat. Cum & ex predictis litteris & commiſſionibus dictorum predeceſſorum noſtrorum colligi poſſint, quod ipſi predeceſſores vos pro exemptis hactenus habuerunt, nos quieti veſtre in hac parte opportuno remedio providere volentes, ac omnem dubitationis, ambiguitatis, & querele materiam funditus amputare, & nicchilominus gratiam vobis facere ſpetialem, vos ac ſucceſſores veſtros in Ordine veſtro Domino ſerrituros, & predictum Ordinem veſtrum, 'domos & loca veſtra cum omnibus bonis, que in preſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum preſtante Domino poteritis adipiſci, controverſiis, queſtionibus, ſeu litigiis quibuſcumque ſuper hoc hactenus ſuſcitatis, & proceſſibus tam in cauſis conventionum, vel reconventionum, ſeu aliis quibuſcumque coram quibuſve judici-

(12) Mediolanenſis Antiſtes erat per id tempus Otho Vicecomes, Berardus Madius Brixienſis, Joannes de Advocatis Novocomenſis. V. Vol. I. pag. 106.

dicibus seu auditoribus hujusmodi occasione factis vel habitis nequaquam obstantibus, ab Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quorumcumque Ordinariorum jurisditione omnimoda prorsus eximimus de appostolice plenitudine potestatis: decernentes vos & successores predictos & eundem Ordinem vestrum, domos, loca, & bona vestra predicta soli dumtaxat immediate Romano Pontifici, & Romane Ecclesie subjacere; ac districtius inhibentes, ne quis Diocesanus vel Ordinarius super visitatione, correctione, procurationibus, aut earum exactione, sive aliis juribus, vos, subcessores vestros, aut personas vestri Ordinis predicti, cujuscumque dignitatis, vel conditionis, aut sexus existant, turbare, vel molestare, sive in vos ac successores ipsos, aut domos, & loca, & eorum personas (*deest forte* per) aliquam censuram ecclesiasticam coercere quoquomodo presumant. Nos enim omnes excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententias, quas contra tenorem exemptionis, & hinibitionem hujusmodi promulgari, & processus quoslibet, quos per quoscumque fieri & habere contigerit, ex nunc decernimus irritas & inanes, & nullius existere firmitatis. Ad indicium autem a Sede Apostolica hujus libertatis percepte nobis & successoribus nostris duas libras auri annis singulis persolvetis (13). Volumus tamen, quod in questionibus & litigiis preteritis . . . tam ipsis Diocesanis seu Ordinariis, quam vobis ratione dampnorum & expensarum, seu quacumque alia occasione, si ea prosequi volueritis, jus agendi, & defendendi ratione preteriti temporis reservetur, exemptione, decreto, & hinibitione hujusmodi ex nunc in omnem eventum judiciorum, nicchilominus in perpetuum in suo robore duraturis. Et si dicti Ordinarii, seu alii, aut vestrarum domorum seu locorum fundatores, sive donatores, aut benefactores vestri censum

(13) Hoc ipsum legimus in Libro Censuum Romanae Ecclesiae, ubi haec Humiliatorum exemptio memoratur. V. Vol. I. pag. 107.

sum aliquem, seu canonem, aut aliquam prestationem, aut jus patronatus, seu confirmationis, aut institutionis presentati in Ecclesia, seu Ecclesiis vobis donatis, & in quibusvis patronatus habetis seu habebitis, sive quodlibet aliud jus in domibus, locis, aut aliis bonis vobis pia largitione concessis sibi concessionis, fundationis, & donationis tempore reservarunt, quoad perceptionem & retemptionem hujusmodi census, vel canonis, aut prestationis, vel juris cujuscumque taliter reservati per hoc nullum eis imposterum prejudicium generetur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre exemptionis, hinibitionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate quarto nonas Septembris Pontificatus nostri anno primo.

Privilegium Nicolai IV. sicut protectio Ordinis commissa est Episcopis Papiensi & Vercellensi circa exemptionem Ordinis.

1288. 2. Sept. Ex Cod. Puric.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio tit. S. Mariæ in via lata Diacono Cardinali (1), & Venerabilibus Fratribus Papiensi (2) ac Vercellensi (3) Episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Etsi quibuslibet Ec-

 cle-

(1) Jacobus Card. Columna indicatur, cujus frequens est apud Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores mentio, ubi de Bonifacii VIII. rebus gestis agunt, cui cum Jacobo, ac Petro ejusdem fratri Cardinali simultates haud leves fuerunt.

(2) Papiensis Episcopus per id tempus erat Guido Tacius, de quo V. Ughell. Ital. Sacr. T. I in Epist. Papiens.

(3) Vercellensi Ecclesiæ tunc præerat Aymo Avogadrus, de quo V. Ughell. Ital. Sacr. T. IV. in Episc. Vercellensibus.

clesiis & personis Ecclesiasticis defensionis præsidio ex injuncto nobis servitutis Officio, assistere teneamur, illis tamen specialius & efficacius adesse nos convenit, qui immediate noscuntur sedi apostolice subjacere. Sane dudum inter dilectos filios Magistrum Generalem, nec non Præpositos, Prælatos, & Conventus Fratrum & Sororum Domorum & Locorum Ordinis Humiliatorum, & Venerabiles Fratres nostros Archiepiscopum Mediolanensem, ac Brixiensem, Cumanum, & quosdam alios Episcopos, in quorum Civitatibus & Diocesibus domos plures dicti Ordinis habere noscuntur, super eo quod prædicti Archiepiscopus, & alii Episcopi asserebant, Fratres, Sorores, & domos, & loca prædicta eis fore subjecta, nec non super visitatione, correctione, ac procurationibus, quas iidem Ordinarii se debere in iisdem domibus & locis contendebant habere, & quibusdam articulis aliis, diversis quæstionibus & controversiis suscitatis, nos quieti Magistri, Præpositorum, Prælatorum, & Conventuum prædictorum volentes in hac parte opportuno remedio providere, ipsisque facere gratiam specialem, omnes fratres, personas, & Sorores dicti Ordinis ac successores eorum, in eodem Ordine Domino servituros, ac Ordinem ipsum, domos quoque ac loca ipsorum cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possident, aut in futurum, præstante Domino, poterunt adipisci (controversiis, quæstionibus, seu litigiis quibuscumque super hoc hactenus suscitatis, & processibus tam in causis conventionum & reconventionum, seu aliis quibuscumque, coram quibusvis judicibus seu auditoribus hujusmodi occasione factis vel habitis nequaquam obstantibus) ab Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quorumcumque Ordinariorum jurisdictione omnimoda per litteras nostras prorsus eximimus de apostolicæ plenitudine potestatis, decernentes, fratres, personas, & successores prædictos, & eumdem Ordinem, domos, loca, & bona prædicta, soli dumtaxat immediate Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ subjacere, ac distri-

districtius inhibentes, ne quis Diocesanus vel Ordinarius super visitatione, correctione, procurationibus, aut earum exactione, sive aliis juribus, Fratres, ac personas, ac successores prædictos (cujuscumque dignitatis, conditionis, aut sexus existant) turbare vel molestare, sive in eos vel successores ipsos, aut domos & loca & eorum personas aliquam Censuram Ecclesiasticam exercere quoquomodo presumat. Nos enim omnes excommunicationis, suspensionum, & interdicti sententias, quas contra tenorem exemptionis, & inhibitionem hujusmodi promulgari, & processus quoslibet, per quoscumque fieri & habere contingeret, ex nunc decernimus irritas & inanes, & nullius existere firmitatis. Nos igitur Magistrum, Præpositos, Prælatos, & Conventus prædictos, cupientes in hujusmodi exemptionis nostræ facta ipsis gratia præservari, quod malefactorum omnium conatibus relegatis, promissa & devota reddant Domino Deo Vota sua, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum per vos, vel per alium, seu alios Magistro & Capitulo, Præpositis, Prælatis, personis & Conventibus memoratis pro nostra & apostolicæ Sedis reverentia, efficacis defensionis præsidio assistentes, eos vel eorum aliquem aut aliquam in personis, aut in domibus, vel locis & bonis eorum ab aliquibus turbari vel molestari contra hujusmodi exemptionis, & inhibitionis, & constitutionis nostræ tenorem nullatenus permittatis, molestatores & turbatores hujusmodi & contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante si est aliquibus (cujuscumque dignitatis, vel præeminentiæ, sive ordinis, aut status, vel conditionis existant) ab Apostolica Sede indultum, vel in posterum contigerit indulgeri, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, vel loca ipsorum supponi Ecclesiastico interdicto nequeant per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem, aut quibuscumque privi-

legiis, indulgentiis, & litteris generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, quibusvis dignitatibus, locis, vel personis generaliter, vel specialiter sub quacumque forma vel conceptione verborum ab eadem Sede concessis, vel in posterum concedendis, per quæ litteris nostris non expressa vel totaliter inserta, effectus præsentium impediri valeat, vel differri, & de quibus, quorumve totis tenoribus, ac de verbo ad verbum, seu eorum locis aut propriis personarum nominibus, certa, specialis, plena, determinata, & expressa in præsentibus mentio sit habenda; & per quæ, etiamsi contineretur in illis, quod per quaslibet apostolicas litteras quælibet obstacula removentes, eis non posset in aliquo derogari, nullum vobis in hac parte volumus obstaculum interponi, nec cuiquam contra hujusmodi gratiam præsidium quomodolibet adhiberi; & constitutione de duabus dietis edita in Concilio Generali. Dat. Reate quarto Nonas Septemb. Pontificatus nostri anno primo.

Littere conservationis ordinis humiliatorum commisse domino petro Cardinali.

1291. 31. Jan. Ex Bibl. Braid.

NIcolaus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro tit. Sancti Marci presbitero Cardinali (1) salutem & apostolicam benedictionem. De circumspectione ac providentia tua confisi dudum tibi curam & defensionem primi & secundi Ordinis Humiliatorum, omniumque membrorum suorum, ac earum personarum utriusque sexus tam in spiritualibus quam in temporalibus apostolica auctoritate commisimus, tibique ordinandi, statuendi, & faciendi omnia per te vel per alium aut alios, que ad correctionem, reformationem, & utilitatem ordinum

(1) V. sup. pag. 317.

num ac membrorum prediĉtorum, ac personarum etiam eorumdem noveris pertinere, plenam eadem auĉtoritate concessimus facultatem, prout in nostris litteris super hoc confectis plenius continetur. Verum quia, sicut intelleximus, dilectus filius . . . magister, & dicti ordines ac persone ipsorum ordinum & membrorum a nonnullis clericis & laicis injurias & molestias multiplices patiuntur, nos super hoc eis de opportuno remedio providere volentes discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te, vel alium, seu alios predictis magistro, ordinibus, & personis presidio efficacis defensionis assistens, eis, seu procuratoribus, vel procuratori ipsorum, quotiens opportunum fuerit, exhibeas de omnibus injuriatoribus suis, cujuscumque dignitatis etiamsi pontificalis existant, etiam per viam judicii, justitie complementum; contradictores & molestatores quoslibet per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Non obstantibus si aliquibus sit a Sede apostolica indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra vel ultra certum locum ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi earumque personis, locis, vel ordinibus mentionem, sive quibuscumque indulgentiis & privilegiis apostolicis quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter inserta effectus presentium impediri valeat vel differri, & de quibus in nostris litteris plena, certa, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio sit habenda, seu constitutione de duabus dietis edita in Concilio Generali. Ceterum volumus quod a die date presentium jurisdictio tua super iis incipiat ac perpetuetur, ac plenam obtineat roboris firmitatem. Dat. apud urbem veterem secundo Calend. Febr. Pontificatus nostri anno tertio.

Sig. Nicolai IV. de more.

Quod-

Quoddam rescriptum occaxione cujusdam questionis quam habuimus cum domino reginaldo de pontirolo.

1291. 13. Jun. Ex Bibl. Braid.

NIcolaus Episcopus servus servorum Dei Abbati Monasterii sancti Petri in Celo aureo (1), & priori sancti Majoli (2), ac . . . archidiacono papiensi salutem & apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis prepositus porte orientalis, & de braida mediolanen., ac sancte agathe, de modoetia domorum ministri eorumque fratres ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis humiliatorum, quod antonius de carnixio canonicus mediolanen. (3) cappellanus noster, & Reginaldus de pontirolio civis mediolanen. (4) super quadam pecunie summa & rebus aliis ad domos ipsas communiter spectantibus, injuriantur eisdem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis causam, & appellatione remota fine debito decidatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observare. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore

more

(1) De celeberrimo S. Petri in Cœlo aureo Papiensi cœnobio, quod Liutprandum Langobardorum Regem fundatorem habuit, late disserit Pennottus in Histor. Canonicor. Regul. Lib. I. Cap. LVIII. & sequ. Quis tamen illi per hæc tempora præfuerit, colligere haud licet.

(2) S. Majoli Papiense Cœnobium olim ad Cluniacenses pertinuit, ac S. Odilonem primum Abbatem habuit, & S. Majolum, Cluniacensem Abbatem, a quo deinde nomen illi factum, hospitem accepit. V. Romualdum a S. Maria *Papia Sacra* P. I. pag. 107.

(3) Idem forte, qui an. MCCLXXVIII. in Turrianos cum Mediolanensibus pugnans, captus est. V. Julin. *Memor.* T. VIII. pag. 321.

(4) Duo etiam ex Pontirolia gente in eodem prælio capti fuerunt, sed eorum nomen non indicatur.

more subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Dat. apud urbem veterem Idibus Junii Pontificatus nostri anno quarto.

Sig. Nicolai IV. de more.

Episcopus Florentinus declarat Humiliatos solvisse quæ pro Ecclesia S. Luciæ de S. Eusebio solvere tenentur.

1296. 2. Apr. Ex Monument. ap. Cl. Mannium.

IN Nomine Domini. Anno ejusdem secundum cursum Romane Curie millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, inditione nona, tempore Domini Bonifatii Pape Octavi, die secundo Aprilis, Venerabilis Pater Dominus Franciscus Dei gratia Episcopus Florentinus (1) per se & suos successores vice & nomine Episcopatus Florentini fecit Religiosis viris Fratri Benvenuto Vicario Prepositi, & Fratri Lapo domus omnium Sanctorum Ordinis fratrum humiliatorum de Florentia coram eo personaliter constitutis, ac recipientibus & stipulantibus pro Preposito, capitulo, & conventu ejusdem domus omnium Sanctorum, finem, refutationem, quietationem, absolutionem & pactum de non petendo de omni & toto eo, quod ipse Dominus Episcopus vel alter pro eo nomine Episcopatus Florentini ab ipsis Preposito, capitulo & conventu petere vel exigere posset usque in presentem diem nomine & occasione unius cerei unius libre, quem ipsi Prepositus, capitulum, & conventus Episcopatui Floren-

(1) Franciscus Monaldescus indicatur, qui ab anno MCCXCV. ad an. MCCCI. Florentinæ Ecclesiæ prefuit. V. Ughell. in Episc. Florent.

rentino dare, ſolvere, & tradere tenentur ſingulis annis in feſto Sanćti Johannis Baptiſte pro cenſu pro Eccleſia Sanćte Lucie de Sanćto Euſebio (2) ſecundum formam inſtrumenti conceſſionis, & permutationis, & confirmationis ipſius Eccleſie ſcripti manu Jacobi de Cerreto Judicis & Notarii (3) a me Apollenare notario infraſcripto viſi, & lećti. Et hoc fecit idem Dominus Epiſcopus pro eo quod confeſſus fuit eidem Epiſcopatui eſſe uſque in preſentem diem de ipſo cenſu a dićtis Prepoſito, & capitulo, & conventu integre ſatisfaćtum. Renuntians exceptioni non habite, non recepte, & non faćte dićte ſolutionis & ſatisfaćtionis, doli mali, condićtioni indebiti, & ſine cauſa, aćtioni in faćtum, & omni alii Legum & juris auxilio.

Aćta ſunt hec Florentie in Palatio Epiſcopali preſentibus Scolajo Jacoppi de Balneoreggio, & Gerardo quondam Domini Lamberti judicis de Luca, familiaribus Domini Epiſcopi ſupradićti, teſtibus ad hec vocatis & rogatis. Et ego Apollenaris Penentendi aućtoritate alme urbis Prefećti notarius publicus, & nunc notarius Domini Epiſcopi ſupradićti, predićtis interfui, & ea mandato Domini Epiſcopi, rogatus etiam a dićtis fratribus, ſcripſi & publicavi (4).

Signum dićti Apollinaris Not.

Pro-

(1) De hac æde ejuſque appellatione egregie diſputat Cl. Lamius in Ephemerid. Liter. MDCCLVI. XIV, & XXI. Maji.

(3) Innuit Joannis Florentini Epiſcopi literas ab Ughellio editas, quas commemoravimus pag. 230.

(4) Aliud deinde monumentum iiſdem fere verbis conceptum additur, ut Humiliatos quindecim ſolidos Piſanos eodem nomine eidem Epiſcopo ſolviſſe conſtet.

Procuratorium Fratris Ambrosii quondam prepositi Fun.

1296. 23. Sept. Ex Tabul. Utinen.

MCCLXXXXVI. Nona Indictione apud Civitatem (1) in anticamera domini patriarche Aquilegen. die octavo exeunte Septembri presente fratre petro de Carugate ordinis humiliatorum domini R. dei gratia patriarche Aquilegen. (2) procuratore; Frayno plebano plebis de Arcenia, & prevedino ostiario dicti domini patriarche Aquilegen. testibus ad hoc vocatis & rogatis; & aliis, Dominus Frater Ambrosius de Mediolano de conventu sancti petri Modotiens. olim prepositus Ecclesie Funens. (3), presente & consentiente viro Religioso Domino Domino fratre Johanne preposito Monasterii predicti sancti petri Modotiens. ordinis humiliatorum prelato suo, fecit, constituit, & ordinavit Dominum Albertinum de Reporio Scholasticum (4) Aquileg. Ecclesie, & Franciscum de Utino Notarium Reverendi Patris Domini R. dei gratia patriarche Aquileg. suos certos nuncios & procuratores, & quidquid melius dici potest, & quemlibet eorum in solidum, ut non sit potior conditio occupantis in causa sive contentione, quam habet seu habere spe-

(1) *Civitas*, eadem est ac *Civitas Austriæ*, de qua V. sup pag. 306.

(2) Nempe Raimundi Turriani, de quo V. sup pag. 300.

(3) Funensis hæc Ecclesia, seu potius, ut infra dicitur, Monasterium Ordinis S. Augustini, ubinam fuerit ignoro; nec ulla illius mentio occurrit apud Penuottum in Histor. Canonic Regul., nisi forte in voce illa *Funens.* error lateat. Suspicor autem in Germania atque in Austria potissimum sitam illam fuisse, cum inferius *marchæ argenti* nominentur *ad pondus Viennæ*. Hanc itaque sedem tenuerat Ambrosius antequam ad Humiliatos transiret. De Modoetiensi autem S. Petri domo sermo fuit Vol I. pag 375.

(4) *Scholasticus*, teste Cangio, dignitatis Ecclesiasticæ est nomen, qua qui ornatus est, Clericis præest.

rat cum domino preposito & conventu monasterii de Funa Ordinis sancti Augustini occasione triginta sex marcharum argenti ad pondus Vienne, quas debet habere ab eodem preposito & conventu, ut dicebat, priusquam renunciaret predicte prepositure, ratione quorumdam reddituum & proventuum prepositure ipsius, ad agendum, defendendum, excipiendum, replicandum, libellum dandum, & recipiendum coram quocumque Judice Ecclesiastico & seculari, litem contestandum, testes & probationes producendum, & alia munimenta, Judicem vel Judices eligendum & recusandum, probandum, reprobandum, ponendum, opponendum, & ad prestandum iuramentum de calupnia & veritate dicenda, & ad cuiuslibet alterius generis iuramentum prestandum in anima ipsius *&c.*

Ego Johannes de Lupico Sacri Imperii publicus Notarius supradictis omnibus presens interfui, & rogatus scripsi in formam publicam reducendo.

Procuratorium Domini R. factum in prepositum Sancti Petri de Modoecia dioc. mediolan.

1296. 23. Sept. Ex Tabul. Utinens.

MIllesimo ducentesimo nonagesimo sexto, nona Indictione apud Civitatem (1) in Anticamera Domini patriarche Aquilegen. die octavo exeunte Septembri presentibus Domino Albertino de Reporio Scholastico (2) Aquilegen. Capellano, Fratre Petro de Carugate ordinis humiliatorum Domini R. Dei gratia Patriarche Aquilegen. procuratore, Fratre Petro de Mediolano de conventu sancti petri modoecien. de ordine

(1) V. sup. pag. 306.

(2) V. sup. pag. 337. Hinc porro confirmatur, quod Cangius ait, Scholasticos eodem tempore Episcopi etiam Capellanos fuisse. Utroque enim nomine Albertinus hic appellatur.

dine humiliatorum, & frayno plebano plebis de arcenia, testibus ad hoc vocatis & rogatis, & aliis, Reverendus Pater & Dominus Raymundus Dei gratia Sancte Aquilegen. Sedis Patriarcha fecit, constituit, & ordinavit virum religiosum Dominum... (3) prepositum sancti petri de Modoetia ordinis humiliatorum presentem, & mandatum recipientem, suum actu nuncium & procuratorem specialem ad petendum & exigendum a Catanio de Subbiate olim Capitaneo Montisfalconis (4) decem & octo marchas Aquileg. monete, & viginti unum denarios Aquileg. (5), quas marchas decem monete & denarios Aquileg. dictus Cataneus tunc Capitanius remansit dare dicto Domino R. Patriarche Aquilegen. pro certa ratione inter ipsum Dominum Patriarcham & dictum Cataneum de officio predicti Montisfalconis, quod gessit & habuit ab eodem Domino Patriarcha, & ad agendum, defendendum, excipiendum, replicandum, libellum porrigendum, & recipiendum coram quocumque Judice Ecclesiastico aut seculari &c.

Ego Johannes de Lupico Sacri Imperii publicus Notarius supradictis omnibus presens interfui, & rogatus scripsi in forma publica reducendo.

(3) Joannem nempe, paullo antea memoratum.

(4) Raimundum Mediolano Aquilejam profectum multi ex Mediolanensi nobilitate sequuti sunt, ut ex Ughellio discimus (*Ital. Sacr. T. V. in Patriarch. Aquil.*) qui Turrianis favebant. Inter hos porro Cataneum hunc de Subiate fuisse crediderim; hæc enim inter Nobiles Mediolanenses familias numerabatur anno MCCLXXVII. V. Julinium *Memor. T. VIII. pag.* 314. Huic Raimundus Montisfalconis oppidum, quod in Forojuliensi provincia est, regendum commiserat. Universa fere enim illa provincia in Patriarcharum Aquilejensium ditione fuit, ut inter ceteros ostendit Liruti *Dissertazione sopra le monete del Friuli Cap. V.*

(5) De marchiis & denariis Aquilejensibus diximus sup. pag. 307.

Donatio inter vivos facta per Dominum R. Patriarcham Aquileg. Preposito & Conventui Sancti Petri de Modoetia de XVIII. marchis Aquileg. monete, in quibus tenetur Ser Cataneus de Subbiate olim Capitaneus Montisfalconis.

Ex eod. Tab.

EOdem die & loco presentibus *&c.* supradictis. Reverendus pater & Dominus Raymundus Dei gratia Sancte Aquileg. Sedis Patriarcha divine pietatis intuitu, & pro sue ac parentum suorum animarum remedio nomine donationis, que dicitur inter vivos, que amplius revocari non potest, fecit dationem traditionem & concessionem iuris religiosis . . . preposito & conventui domus Sancti Petri de Modoetia dioc. Mediolan. ordinis humiliatorum de decem & octo marchis & viginti & unum denariis monete Aquileg., in quibus tenetur Cataneus de Subbiate dioc. Mediolan. Capitaneus olim ipsius Domini Patriarche in Montefalconis, quas remansit dare facta ratione summaria inter dictum Dominum Patriarcham, & Capitaneum supradictum ratione officii ipsius capitanie, quod gessit in dicto loco Montisfalconis pro eodem Domino Patriarcha, tribuens & concedens ipsis preposito & conventui dicte domus Sancti Petri omne ius omnemque actionem utilem & directam, realem & partialem, quas habebat & habere videbatur, & per . . . supradictam; & constituens eos procuratores in rem suam, ita quod possent agere, luere, & experiri, & omnia generaliter & specialiter facere pro pecunia habenda, que quilibet de suo proprio potest facere. Tali quidem condicione adiecta, quod idem prepositus & conventus de ipsa & tota pecunia teneantur & debeant emere possessiones aliquas ad comodum, & utilitatem suam domus Sancti Petri predicte; & promittens cum obligatione bonorum suorum om-

omnium per se suosque heredes, sub pena dupli dicte pecunie min. quinque solidorum venetorum parvorum (mihi Notario infrascripto stipulanti & recipienti nomine omnium, quorum interfuerit, aut interesse poterit) numquam aliquo tempore contra donationem, & traditionem, & concessionem huiusmodi vel per se vel per alios facere aut venire ratione aliqua, ingenio sive causa, qua pena soluta ut non donatio & concessio huiusmodi nihilominus omni tempore in sua permaneat firmitate. Renuntians insuper Dominus Patriarcha per se suosque successores heredes omni vi Legum, & juris auxilio, canonico videlicet & civili, privilegiis, statutis, & consuetudinibus, omnibusque aliis, quibus circa predicta, vel aliquid predictorum se possit defendere aliquatenus & tueri.

Ego Johannes de Lupico Sacri Imperii publicus Notarius &c.

Excerpta ex Contractu inter Humiliatos Mediolanenses domus de Migloe & Modoetienses domus S. Michaelis.

1298. 2. Maji Ex Tabulario Cler. Regul. S. Barnabæ Mediol.

IN Nomine Domini anno a nativitate ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo octavo die veneris secundo die mensis Maii indictione undecima in domo fratrum humiliatorum Sancti michaelis de modoetia sita in porta nova civitatis Mediolani in presencia mei notarii & testium infrascriptorum ad hoc vocatorum, & quam multorum aliorum prepositorum & fratrum humiliatorum ibi existentium Dominus frater Guidottus riboldus (1) venerabilis patris domini magistri totius ordinis humiliatorum auctoritate, qua fungitur a summo Pontifice, & modo

(1) De hcc Generali Humiliatorum Magistro egimus Vol. I. Differt. IV. num. XII.

modo & jure quo melius poteſt confirmat, approbat, & ratificat infraſcriptam venditionem ſive emptionem factam de infraſcriptis ſedimine & terris. Cujus tenor talis eſt. In nomine domini anno a nativitate ejuſdem milleſimo duceteſimo nonageſimo octavo die lune decimo ſeptimo die menſis martii indictione undecima frater Johanes Cañ . . . (*forte* Canevarius) domus humiliatorum ſancti Jacobi de medio vico ſite in burgo modoetia, & frater amizo medicus de ſeregnio (2) domus humiliatorum ſancti bertholomei ſite in dicto burgo modoetia, & frater azo domus humiliatorum de prato de marliano negotiator domus humiliatorum de migloe ſite extra portam novam civitatis mediolani, & frater Johanes de percogio ſupraſcripte domus humiliatorum de migloe omnes ſindici & procuratores ſupraſcripte domus humiliatorum de migloe ſite extra portam novam civitatis mediolani & capituli & conventus illius domus nomine, loco & vice fratrum & capituli & conventus dicte domus de migloe, & habentes ſpeciale mandatum & plenam & generalem . . . . & auctoritatem a fratribus & capitulo & conventu dicte domus humiliatorum de migloe ad hec infradicta omnia facienda, & ut conſtat per cartam unam Sindicatus inde factam hoc anno die ſabbati octavo die menſis februarii traditam & ſubſcriptam per honrighinum filium quondam ſer Redulfi de medda notarium civitatis mediolani predicto modo & nomine, & omni modo & jure quo melius poſſunt fecerunt & fatiunt venditionem & datum & jurium ceſſionem in parte ad proprium & in parte ad libellum ad conſuetum fictum fatiendum illi vel illis cui vel quibus illud fictum debetur & fieri debet de . . . jure pro illis &

ſuper

(1) Hæc nobiliſſimæ Medicæorum Mediolanenſium gentis familia, quæ adhuc ſupereſt, non recenſetur in *Matricula Nobilium familiarum Mediolani an.* 1277. edita a Cl. Julinio *Memor. T. VIII. pag.* 312. &c. Illius tamen antiquitas optime ex monumento hoc noſtro infertur.

super illis terris de quibus reperiretur debere fieri illud fictum; quod fictum est & dicitur esse debere omni anno modia quinque & stara duo & mina una inter sicalem & millium & par.... & ultra illud fictum est esse debet libera, francha, & absoluta ab omni alio ficto, censu, onere, & conditione & servitute prestandis vel fatiendis seu etiam sustinendis alicui, In fratrem Jacobum de preto prelatum domus fratrum humiliatorum sancti Michaelis site in predicto burgo de Modoetia recipientem nomine & ad partem & utilitatem totius capituli & conventus dicte domus sancti Michaelis, nominative de sedimine, sive casamento uno cum edifitiis & domibus & curte & area & omnibus suis juribus & pertinentiis & cum clauso uno & vigriola (3) una que est ab inferiore parte omnibus simul se tenentibus iacentibus in territorio de migloe (4) ubi dicitur ad sanctam Julianam; Quibus omnibus super totum coheret a mane via, a meridie heredum quondam guillelmi regalie & in parte terra mallexardorum communis mediolani (5); que tenetur per dominum Churadum confanonerium, a sero suprascripta terra mallexardorum, que tenetur per ipsum dominum chunradum & in parte strata com-

---

(3) *Vigriola* diminutivum a *Vigra*, quod rei agrestis vocabulum non satis explicat Cangius. Ego idem arbitror cum *viria*, quod virens pratum significat ex eodem Cangio.

(4) Vicus non longe a Modoetia dissitus, quod alibi *Mugloe*, vel *Megloe* dicitur, vulgo *Muggiò*.

(5) Mallexardi qui essent, refert Corius, eumque sequutus Julinius (*Memor. T. VIII. pag.* 227. 372. *&c.*) Quo scilicet tempore Insubriæ urbes domesticis bellis ardebant, qui mœnibus tamquam rebelles expellebantur, Mallexardi dici consueverant, cujus vocis etymon a *male* & *audeo* ducit Cangius. Porro erat Mediolani Judex, qui illorum bonis occupandis proscribendisque præesset, ut ex charta an. MCCLXXXII. apud eumdem Julinium colligimus (*Memor. T. IX. pag.* 101.) *Domino Ugoni Bulliotto Judici Presidenti Officio Banorum Malexardorum Communis Mediolani.* At præterea ex nostro hoc documento intelligimus exsules illos terras agrosque occupasse, quæ communi nomine possiderent, aut aliis locarent: hoc enim verba omnino significant: *terra mallexardorum communis Mediolani.*

communis mediolani; a monte pasquarium . . . . de migloe, & que omnia sunt pertice quadraginta una, & media & pedes octo per justam mensuram. Item de petia una campi jacentis in eodem territorio in predicta contrata sancte Juliane, ubi dicitur super viam de paderno, & cum uno alio campo simul se tenentibus, qui est super viam de blasono. Quibus super totum coheret a mane terra que fuit domine minote de surrexina & in parte heredum quondam guillelmi regalie; a meridie via & in parte ecclesie sancti Johanis de Modoetia, a sero via & in parte suprascripte ecclesie sancti Johanis de Modoetia; a monte terra mallexardorum communis mediolani, que modo tenetur per dominum Chunradum confanonerium, & in parte heredum quondam Guilielmi regalie, & est tota pertice trigintaduo & tabule decem octo & pedes undecim per justam mensuram, in quibus sunt pertice septem, que debent accessiare per terram dicte quondam domine minote, que est a mane parte, & que laboratur per Ardizolum Longum, & alie pertice quindecim & media ex predictis perticis trigintaduabus & tabulis decem octo & pedibus undecim sunt que debent accessiare & habent jus accessiandi per suprascriptam terram ecclesie sancti Johanis de Modoetia, que est a sero parte & hoc in solitum accessium. Item de alia petia campi jacente in eodem territorio ubi dicitur ad viam de paderno sive super viam de Modoetia. Cui coheret a mane accessium, & in parte domini guidotti grassellí, & in parte petri regalie & fratrum ejus, & in parte terra mallexardorum que tenetur per dominum Chunradum confanonerium; a meridie via & in parte suprascripti Guidotti Grasselli, & in parte francischi Lanterii, & in parte terra mallexardorum communis mediolani, & in parte canonice de dexio; a sero via, & in parte suprascripte canonice & in parte ecclesie sancti petri de migloe, & in parte terra mallexardorum, & tenetur per dominum Chunradum confanonerium; a monte suprascripta terra

mal-

mallexardorum similiter & in parte via de modoetia, & est pertice octuaginta due & tabule septem & media. Item de petia una vinee sive clausi in eodem territorio, & in predicta contrata sancte Juliane; cui coheret a mane via sive strata communis mediolani, & in parte pasquarium communis de migloe; a meridie strata predicta; a sero domus fratrum humiliatorum sancte Agathe & in parte Arderici faraoldi, & in parte via; a monte via, & est pertice octuaginta septem & pedes decem & medius. Item de petia una campi in eodem territorio ubi dicitur ad ronchum; cui coheret a mane Raimondi sclenche de lixono, & in parte heredum quondam accursi longi, & in parte Guidotti regalie & in parte petri regalie & fratrum; a meridie Stefani de boate & in parte petri robbasachi, & in parte heredum quondam frumenti robbasachi & nepotum ejus, & in parte ambrosii robbasachi; a sero domini Jacobi de Caloe, & in parte heredum quondam formenti robasachi & nepotum ejus, & in parte uberti de Cuxano, & in parte domini Guidonis de Cuxano (6), a monte uberti de Cuxano, & in parte domini Guidotti grasselli, & in parte Raimondi sclenche, & in parte heredum quondam accursi longi, & est pertice octuaginta tres, & tabule sex, & pedes quatuor. Item de petia una campi in eodem territorio, ubi dicitur super pasquarium, cui coheret a mane Raimondi sclenche, & in parte franzoli de Legriano; a meridie via, a sero via; a monte terra que fuit domine minote de surrexina, & est pertice sex, & tabule undecim & media *&c.* Et pro qua venditione & dato & jurium cessione, pretio quoque & pagamento suprascripti sediminis sive casamenti, suprascriptarum terrarum venditarum & jurium cessorum, ut supradictum est, confessi & contenti fuerunt predicti fratres Johanes & Amizo, Azo

(6) Guidonis hujus de Cuxano, seu de Cusano mentio occurrit apud Julinium *Mem.* *T. VIII. pag.* 380. 382.

& Jacobus ſindici & procuratores ut ſupra venditores ſupraſcripto modo, & nomine & loco & vice & ad partem & utilitatem capituli & conventus prediĉte domus de migloe recepiſſe & habuiſſe ab ipſo fratre Jacobo . . . . emptore ſupraſcripto nomine de denariis capituli diĉte domus ſanĉti Michaelis in pecunia numerata in bonis denariis Ambroſſinorum monete nove Mediolanenſis nunc currentis (7) libras mille quinquecentum triginta oĉto tertiolorum. Qui denarii proceſſerunt, ſeu procedere & diſtribui, & converti debent in utilitatem diĉte domus de migloe & capituli & conventus ejuſdem in ſanandis diverſis debitis diĉte domus, ut prediĉti fratres venditores ſupraſcripto nomine dixerunt & confeſſi fuerunt *&c.* Aĉtum in porta nova Civitatis Mediolani in domo ipſorum fratrum humiliatorum de ſanĉto Michaele preſentibus ibi pro ſecundo & tertio notariis Jacobo de magnago, & maſiolo filio quondam leonis de magnago ambobus notariis publicis porte vercelline civitatis Mediolani. Interfuerunt ibi teſtes dominus Bolgarus tepoldus judex (8) filius quondam domini henrici porte nove, & Aymericus filius Anſelmi mattani porte cumane, & Guilielmus filius quondam Arnoldi de caſſano porte nove, & Jacobus filius quondam protaxii baſſe de dexio ejuſdem porte nove omnes noti civitatis Mediolani. Ego filipus Zavatarius notarius filius quondam ſer petri (9) parochie ſanĉti nazarii in brolio porte nove (10) civitatis Mediolani

(7) Prima hæc eſt, in noſtris monumentis, Ambroſinorum mentio; qui tamen jam diu recepti erant, ut ex charta an. MCCLI. conſtat. V. Differt. de Ital. Monet. T. II. pag. 40. Novi deinde Ambroſini, Julinio teſte (*Memor. T. VIII. pag.* 514.) circa hoc tempus cudi Mediolani cœperunt, quorum memoriam ſolum ad ſequentem annum ille comperit. Nummi hi ſcilicet argentei erant, S. Ambroſii effigie notati, atque octoginta ex iis unam, ut ajunt, argenti marcam conflabant.

(8) Vir per ea tempora juris ſcientia ac prudentia clariſſimus. V. Julin. *Memor. T. VIII. pag.* 487. 636.

(9) Petri de Zavatariis mentio occurrit ad an. MCCLI. apud Julinium *T. VIII. pag.* 94.

(10) Error huc certe irrepſit; nam *S. Nazarii in brolio* templum ad Romanam

lani tradidi & scripsi. Ego Johanes filius alamani plati de curte nova notarius jussu suprascripti notarii scripsi. Actum ut supra presentibus ibi pro secundo & tertio notariis honrico de medda porte nove, & francino Oldano porte vercelline ambobus notariis publicis. Interfuerunt testes dominus Bolgarus tepoldus judex filius quondam domini honrici tepoldi porte nove, & Aymericus Mattanus filius Anselmi porte cumane, & Jacobus filius quondam Jacobi de Lemiate porte horientalis, & francinus filius quondam arnoldi Manni de burgo modoetia, & Beltramus de balsemo filius quondam balsemi porte nove civitatis Mediolani.

Ego philipus Zavatarius notarius filius quondam ser petri parochie sancti nazarii in brolio porte romane . . . . tradidi & scripsi.

Ego Cristoforus cazullus notarius civitatis Mediolani porte nove jussu suprascripti filipi Zavatarii notarii scripsi.

portam cui proximum est, pertinet. Enimvero paullo inferius scribitur *porte Romane*.

Bernardi Laudensis Episcopi literæ, quibus Humiliatis Monialibus domus de Paulo Ecclesiæ construendæ facultatem facit.

1299. 29. April. Ex Tabul. Episcop. Laudens.

BErnardus miseratione divina Laudensis Episcopus (1) religiosis sororibus ministre & sororibus domus beate marie virginis, que dicitur domus sororum de paulo (2) salutem

 & sin-

(1) Bernardus de Talentis ab an. MCCXCVI. ad an. circiter MCCCVII. Laudensis Episcopus. V. Ughellianam Laudensium Episcoporum seriem a P. Zaccaria auctam pag. 162.

(2) De hac Humiliatarum Laudensium domo diximus sup. pag. 12.

& ſinceram in domino caritatem. Olim venerabilis & religioſus vir frater Guidottus ordinis humiliatorum generalis magiſter (3), & vos nobis humiliter ſupplicaſtis, ut quia ſanctiſſimus pater Dominus Bonifacius divina providentia papa octavus conſtituit omnes moniales cujuſcumque conditionis & ordinis ſub certa forma per eorum ſuperiores includi (4), & idem Magiſter ſtatutum hujuſmodi mandans executioni debite reverenter, vobis & loco veſtro juxta ſtatuti prefati ordinem duxerit providendum, eccleſiam conſtruendi, ac inibi divina officia celebrandi licentiam concedere dignaremur. Eo igitur zelo, quo prefatum Ordinem veſtrum in domino ſpeciali affectione proſequimur, prefati magiſtri & veſtris ſupplicationibus inclinati, ac faventes ſuo & veſtro propoſito pretaxato, vobis in ſepedicto loco, ſine preiudicio parochialis Eccleſie, ſub honore beate marie virginis licentiam conceſſimus Eccleſiam conſtruendi, facientes per religioſum & diſcretum virum fratrem Guillelmum prepoſitum S. Chriſtophori Laudenſis primarium lapidem poni, ac ibidem divina celebrandi officia liberam tribuimus facultatem. Ut autem eo amplius devotio excitetur fidelium, quo fructum ſui boni operis ſibi ſenſerint provenire, voſque bonis donis vacetis inſtantius, quo gracioſis donis fueritis premunite, de omnipotentis dei miſericordia, & beate Marie ſemper virginis, & beatorum apoſtolorum petri, & pauli, & beati baſſiani gracioſiſſimi confeſſoris eccleſie noſtre patroni (5) vobis & omnibus vere penitentibus & confeſſis, qui in feſto beate Marie . . . . . . (6) cum debita devotione reverenter & hu-

(3) De Generali hoc Humiliatorum Magiſtro V. Vol. I. pag. 111.

(4) De hac Bonifacii lege, ac de Humiliatorum Virginum clauſura V. Vol. I. pag. 318.

(5) Celeberrimus eſt, ac præcipuo honore apud Laudenſes colitur S. Baſſianus, quintus inter ejuſdem urbis Epiſcopos.

(6) Quæ præ ceteris Deiparæ feſtivitas celebranda ſit, non indicatur. Sed cum *octava* ſit mentio, patet aut Nativitatem, aut Aſſumptionem intelligi. Hæ enim tantummodo *octavam* per id tempus adjectam habebant. V. eruditiſſimas P. D. Jo. Chryſoſtomi Trombelli Can.

& humiliter accesserint, & singulis diebus sequentibus usque ad Octavam festivitatis prelibate, quadraginta dies de iniunctis penitentiis annuatim in domino relaxamus, decernentes irritum & inane, si quid a quoquam nostre iurisdictioni subiecto contra huius nostre licentie & tradite potestatis tenorem contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre licentie & tradite potestatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis dei, beate marie semper virginis, beatorum apostolorum petri & pauli, beati bassiani graciocissimi confessoris ecclesie nostre patroni, & nostram se noverit incursurum. In quorum omnium testimonium presentes literas fieri iussimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum laude in nostro episcopali palatio anno domini currente millesimo ducentesimo nonagesimo nono, duodecima indictione, die vigesimonono Aprilis, pontificatus sanctissimi patris domini bonifacii pape VIII. anno quinto (7).

Ego bassianus de agnatello notarius pallatii de mandato dicti domini episcopi scripsi, & autenticavi, & me subscripsi.

Pri-

Reg. S. Salvatoris de Deipara dissertationes, Vol. V., ubi de Deiparæ festis agit.

(7) Literas ejusdem argumenti aliis iisdemque verbis conceptas an. MCCC. XVII. Febr. dedit Bernardus ad Laudenses Humiliatas domus S. Thomæ, quæ in eodem Laudensis Episcopi tabulario servantur.

Privilegium domus braide contra detentores bonorum.

1392. 30. Oct. Ex Bibl. Braid.

BOnifacius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Francisco de Medicis Canonico Mediolanen. (1) salutem & apostolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecti filii minister & fratres domus Braide Mediolanen. ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Humiliatorum, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, decimas, census, redditus, legata, terras, prata, vineas, nemora, domos, possessiones, privilegia, instrumenta publica, & quedam alia bona ipsius domus temere ac malitiose occultare, & occulta detinere presumunt, non curantes ea predictis Ministro & Fratribus exhibere, in animarum suarum periculum, & dictorum Ministri & Fratrum ac domus non modicum detrimentum. Super quo iidem Minister & Fratres apostolice sedis remedium implorarunt. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes hujusmodi detentores occultos decimarum, reddituum, censuum, & aliorum bonorum predictorum ex parte nostra publice in Ecclesiis coram populo per te vel per alium moneas, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeris, ea predictis Ministro & Fratribus a se debita restituant, & revelent; ac de ipsis plenam & debitam eis satisfactionem impendant; & si id non compleverint infra alium terminum competentem, quem eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas, & eam ubi & quan-

(1) Eumdem illum indicari hic arbitror, qui in Monumento an. MCCCXII. apud Julinium (*T. IX pag.* 110.) Francius de Medicis appellatur, atque inter Metropolitanae Ecclesiae Ordinarios, ut ajunt, Canonicos recensetur.

quando expedire videris facias usque ad satisfactionem condignam solemniter publicari. Dat. Lateran. tertio Cal. Nov. Pontificatus nostri anno octavo.

Sigill. Bonifacii VIII. de more.

Privilegium Benedicti XI. sicut Magister Ordinis absolvere potest Fratres, qui per Superiores suos fuerint excommunicati, & cum eis dispensare super irregularitate.

1304. 10. Febr. Ex Cod. Puric.

BEnedictus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Magistro Ordinis Humiliatorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis salutem & Apostolicam benedictionem. Quia proni sensus hominis ab adolescentia sunt ad malum, & caro semper vergit in culpam, ex humana fragilitate contingit, quod Fratres tui Ordinis excedunt in casibus, ex quibus sententias excommunicationis & notas irregularitatis incurrunt. Volentes igitur eorum in hac parte providere saluti, ne oporteat eos discurrere pro dispensationis vel absolutionis gratia obtinenda, discretioni tuæ absolvendi juxta formam Ecclesiæ eos ex dictis Fratribus, qui per Superiores suos dicti Ordinis excommunicationum fuerint ligati sententiis, vel eas incurrerint per transgressionem statutorum Ordinis memorati, ac dispensandi cum illis ex iisdem Fratribus, qui dispensatione indiguerint in iis casibus, qui non sunt Sedi Apostolicæ reservati, liberam & plenam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Volumus insuper, quod Fratres ejusdem Ordinis, quos tu in Confessores tuos duxeris eligendos, tibi possint, quoties indigueris, de similis absolutionis & dispensationis in eisdem casibus beneficio providere. Dat. Laterani IV. Id. Febr. Pontificatus nostri anno primo.

Pri-

Privilegium Benedicti XI. ficut Magifter Ordinis cum certis Præpofitis unire poteft domos Ordinis.

1304. 10. Febr. Ex Cod. Puric.

BEnedictus Epifcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Magiftro Generali Ordinis Humiliatorum ad Romanam Ecclefiam nullo medio pertinentis falutem & Apoftolicam benedictionem. De provifionis noftræ venire debet auxilio, ut Ecclefiafticis perfonis, Religiofis præcipue, quietis commoda procurentur, ut liberius poffint devotum impendere Domino famulatum. Ex parte fiquidem tua, ac Præpofitorum, Prælatorum, Fratrum, ac Sororum tui Ordinis fuit expofitum coram nobis, quod in domibus plurimis dicti Ordinis, quarum aliquas Fratres, & alias Sorores Ordinis ipfius inhabitant, non poteft per Sacerdotes dicti Ordinis deferviri, tum propter earum multitudinem, tum quia in earum pluribus nullæ Ecclefiæ funt conftructæ, quodque fæpe contingit, quod Fratrum & Sororum ipfarum domorum, præfertim in quibus cæmeteria non exiftunt, corpora, cum decedunt, de ipfis locis efferuntur ad loca alia inibi tumulanda, nec poteft in iis Conftitutio fel. rec. Bonifacii papæ octavi prædeceffloris noftri de Monialibus cujuslibet Ordinis includendis (1), ex caufis præmiffis commode obfervari. Nos autem fuper his de falubri providere remedio cupientes, difcretioni tuæ, de qua fiduciam gerimus in Domino fpecialem, uniendi illas ex domibus antedictis, de quarum unione Ordini prædicto commoditas, ac perfonis in iis degentibus quies & falus proveniunt animarum,

(1) De hac Bonifacii VIII. conftitutione, ac generatim de Humiliatarum Virginum claufura, ac de domorum conjunctione diximus Vol. I. pag. 318.

marum, de consilio aliquorum Præpositorum & Prælatorum discretorum ipsius Ordinis, prout tibi & ipsis secundum Deum videbitur salubriter expedire, sive dictæ domus primi, sive secundi Ordinis tui fuerint, liberam ac plenam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Dat. Laterani IV. Id. Febr. Pontificatus nostri anno primo.

Benedicti XI. pro Oratoriis & altaribus portatilibus.

1304. 10. Febr. Ex Bibl. Braid.

BEnedictus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Magistro, prepositis, & fratribus ordinis Humiliatorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis salutem & Apostolicam benedictionem. Meritis vestre Religionis inducimur, ut petitionibus vestris favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati presentium vobis auctoritate concedimus, ut in domibus, grangiis, & locis vestri Ordinis possitis construere oratoria, ibique habere altaria portatilia, ac super eis tam fratres quam sorores predicti Ordinis per presbiteros dicti Ordinis vel alios divina officia facere celebrari sine juris prejudicio alieni (1). Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateran. IV. Id. Febr. Pontificatus nostri anno primo.

Sig. Bened. XI. de more.

(1) Religiosis plerisque Cœtibus jam a sæculo XIII. factam fuisse hanc facultatem, ut in propriis ædibus oratorio, atque altari portatili uterentur, ostendit Cl. P. D. Jo. Baptista Gattico Canon. Regul. Lateran. in doctissimo *De Oratoriis domesticis* Libro Cap. VIII., & in Opusc. *de usu altaris portatilis* Cap. VIII.

Benedicti XI. Literæ de obedientia ab Humiliatis domus S. Joannis Alexandr. Magistro Generali præstanda.

1304. 10. Feb. Ex Bibl. Braid.

BEnedictus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Magistro, Prepositis, Prelatis, ceterisque fratribus & sororibus Ordinis Humiliatorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis salutem & Apostolicam benedictionem. Ordinem vestrum per illius gratiam, qui humiliavit semetipsum pro nobis, in humilitate fundatum paternis affectibus prosequentes, libenter illum gratiis condignis attollimus, ex quibus status ipsius de bono semper in melius augeatur. Porrecta siquidem nobis ex parte vestra petitio continebat, quod licet felicis recordationis Innocentius papa III. predecessor noster duxerit statuendum, ut in eodem ordine quatuor essent prepositi principales, quorum singuli annis singulis successive universis domibus professionis eorum officium visitationis impenderent, & electum ad prepositiuram alicuius Ecclesiarum dicti Ordinis approbarent, & exinde prepositos, cum foret expediens, removerent (1); postmodum tamen pie memorie Innocentius papa IIII. predecessor noster, volens eidem ordini pacem & quietem paterne diligentie studio procurare, ut quasi unum corpus unum caput haberet, noscitur statuisse, ut in predicto ordine sit unus magister, qui universo ordini provideat & intendat, universis quoque domibus dicti ordinis, ubi per se ipsum potuerit, quolibet anno, aut per personas idoneas in Capitulo generali electas, officium visitationis impendat; idemque Magister visitationis & correctionis super universum

(1) V. sup. pag. 143.

ſuum ordinem tam in ſpiritualibus quam in temporalibus plenam obtineat poteſtatem; Electus vero in prepoſitum alicuius domus ordinis predicti per magiſtrum ordinis approbetur; quod ſi forte aliquid commiſerit, propter quod ſit merito amovendus, de conſilio quatuor priorum prepoſitorum ab eodem, ſi ſponte cedere noluerit, poterit amoveri (2). Inhibuit quoque dictus predeceſſor Innocentius IIII., ut nullus Epiſcopus, vel quelibet alia perſona de inſtituendo vel deſtituendo prepoſito vel prelato dicti ordinis, qui pro tempore fuerit, ſe aliquatenus intromittat, prout hec in ipſius Innocentii IIII. privilegio plenius continentur. Et licet in aliis locis ejuſdem ordinis obſervetur, quod ſolum dictus Magiſter, vel Viſitatores in Capitulo generali electi juxta tenorem dicti privilegii viſitent, ſoluſque magiſter prepoſitos approbet, inſtituat, & deſtituat, Prepoſitus tamen & fratres domus S. Joannis de Alexandria ejuſdem ordinis (3) Aquenſis dioceſis (4) unitatem dicti ordinis dividere ſatagentes, ac pretenden-

 tes

(2) V. ſup. pag. 204.

(3) Antiquiſſima erat hæc domus, ut vidimus hoc ipſo Vol. pag. 59. Hinc oriebatur Humiliatorum S. Joannis in Generalem Magiſtrum pervicacia, quam his Benedicti XI. literis non ſatis cohibitam fuiſſe, ibidem vidimus.

(4) Fateor me hic hærere, nec ſatis intelligere, quanam de cauſſa Alexandria Aquenſis diœceſis dicatur. Suum Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopum dedit Alexander III. P. M. anno MCLXXV. Deinde vero anno MCLXXX. Alexandrinam Eccleſiam Aquenſi conjunxit, hac tamen addita conditione, ut Epiſcopus Alexandriæ ſedem haberet, atque Alexandrinus Epiſcopus vocaretur; quod cum exequutioni mandatum non fuiſſet, Innocentius III. Alexandri decretum anno MCCV. iterum confirmavit. At cum turbarum aliquid hac occaſione excitatum eſſet, anno inſequente ſic utramque Eccleſiam conjunxit, ut idem Alexandrinus & Aquenſis Epiſcopus diceretur. At paullo poſt, cum Alexandrini Eccleſiæ hoſtibus ſe addixiſſent, Innocentius idem Epiſcopali jure urbem illam exutam Aquenſi Epiſcopo ſubeſſe juſſit. Gregorius IX. vero Alexandrinis Romanæ Eccleſiæ reconciliatis, anno MCCXL. rem in priſtinum reſtituit, Innocentii III. decretum an. MCCV. iterum ratum eſſe jubens; donec anno MCCCCV. Innocentius VII. Alexandrinam ab Aquenſi Eccleſia ſejungens, ſuum ſingulis Epiſcopum dedit. Hæc omnia Ughellius

tes se caput existere quorumdam membrorum Ordinis memorati, non solum Magistros ac Visitatores in Capitulo generali electos ad visitandum se recusant admittere, verum domos aliquas dicti ordinis, quarum se asserunt fundatores, visitare ac corrigere, ac eos, qui in ipsarum domorum prepositos eliguntur, approbare debere contendunt, quamvis non negent, quod premissa etiam ad Magistrum pertineant antedictum. Cum autem occasione hujusmodi discordie gravia in eodem ordine scandala sint exorta, & super iis tam in judicio quam extra nonnulli processus habiti, compositiones inite, arbitria promulgata, ac appellationes etiam interiecte, nos paci & tranquillitati dicti ordinis providere volentes, ac occurrere scandalis antedictis, apostolica auctoritate statuimus, quod iuxta tenorem dicti privilegii servetur unitas in ordine antedicto, ita quod nec Prepositus & fratres predicti de Alexandria, nec quevis alia persona eiusdem ordinis de visitatione & correctione quarumvis domorum dicti Ordinis, nec de approbatione prepositorum earumdem domorum pretextu approbationis earum, vel alicuius consuetudinis seu possessionis, aut alia quacumque occasione, preter tenorem eiusdem privilegii dicti predecessoris Innocentii IIII. se imposterum aliquatenus intromittat. Non obstantibus processibus, compositionibus, arbitriis, & appellationibus antedictis. Nulli ergo omnino hominum liceat

(*Vol. IV. Ital. Sacr. in Episc. Alexandr.*) Itaque anno MCCCIV., cum has literas Benedictus daret, idem erat Alexandrinus atque Aquensis Episcopus, ac proinde nec Aquensis urbs Alexandrinæ diœcesis dici poterat, nec Alexandrina urbs diœcesis Aquensis. Quapropter non video, cur Alexandria hoc loco Aquensis diœcesis dicatur. Ughelliana Alexandrinorum Episcoporum series ita arida est ac jejuna, ut nihil inde lucis ad hanc difficultatem solvendam afferri possit. Nec vero schismatis ullius per ea tempora exorti memoria superest, cui Alexandrini adhærentes Episcopali Sede spoliari iterum meruerint. Itaque nihil nos habere fatemur, quod ad locum hunc explicandum afferamus; atque id unum optamus, ut ex Alexandrinis tabulariis monumenta educantur, quibus illius Ecclesiæ historia illustretur.

liceat hanc paginam nostri statuti & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare presumserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Lateran. IV. Id. Febr. Pontificatus nostri anno primo.

Sig. de more.

Privilegium domini benedicti pape XI. super excomunicatis & rebellis (*ita*) Ordinis.

1304. 10. Febr. Ex Bibl. Braid.

BEnedictus Episcopus servus servorum Dei Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum prelatis, ad quos presentes pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecti filii Magister & fratres Ordinis Humiliatorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, quod nonnulli de Ordine ipso, quandoque animi levitate, quandoque alia de causa minus rationabili, post factam in ipso professionem exire presumunt; ac frequenter nonnulli alii fratres dicti Ordinis spiritu rebellionis assumpto eidem Magistro obedientiam ac reverentiam debitam exhibere recusant in animarum suarum periculum, & scandalum Ordinis supradicti. Quocirca Universitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus illi, quos dicti Magister & fratres ab eodem Magistro excommunicatos ex causis hujusmodi nuntiabunt, nisi postquam a vobis moniti fuerint diligenter ad Ordinem predictum redire, ibidem regulariter moraturi, dictoque Magistro obedientiam ac reverentiam sibi debitam exhibere curaverint, tamdiu excommunicatos publice nuntietis, & faciatis ab aliis nuntiari, & ab omnibus arctius evitari, donec ad dictum Ordinum humiliter revertantur, & dicto Magistro obedientiam, & reverentiam exhibeant, ut tenentur.

Dat.

Dat. Lateran. IV. Id. Febr. Pontificatus nostri anno primo.

Sig. ut supra.

Privilegium de confirmatione Magistri.

1304. 18. Febr. Ex Bibl. Braid.

BEnedictus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Magistro, Prepositis, Prelatis, fratribus, & sororibus universis Ordinis Humiliatorum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis salutem & Apostolicam benedictionem. Presignis Ordinis vestri religio promeretur, ut vos illius favoris presidio muniamus, per quod quietis & salutis vestri status commodum procuretur. Hinc est, quod vestris justis supplicationibus inclinati devotioni vestre presentium auctoritate concedimus, ut quilibet successorum tuorum, fili Magister, si fuerit in concordia electus, & nihil obstiterit de Canonicis institutis, nulla super hoc a Sede Apostolica confirmatione petita vel obtenta, eo ipso tamquam vestri Ordinis Magister sue administrationis officium, seu jus administrandi in spiritualibus & temporalibus consequatur, & illud tamquam verus Magister, prout ad eum pertinet, libere exequatur (1). Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Lateran. III. kal. Mart. Pontificatus nostri anno primo.

Sig. de more.

Ber-

(1) Honorius IV. an. MCCLXXXVI. IV. Jul. Humiliatis concesserat, ut eorum Magister statim ac rite renunciatus esset, munere suo fungeretur, etiam ante impetratam Sedis Apostolicæ confirmationem; quam tamen, ut primum liceret, ab illo exposci jusserat. Humiliatos hac lege solvit Benedictus.

Bergomensis Episcopus altaris portatilis usum Humiliatis concedit.

1304. 22. Mart. Ex Tabul. Cathedr. Bergomens.

ANno 1304. die vigesimo secondo mensis Martii in Episcopali Palatio Pergamen. in presentia mei notarii, & fratris Bertrami de Scanzo, Manfredini de Carpionibus, & adam Agazie familiarium infrascripti D. Episcopi testium rogatorum. Venerabilis vir Dominus Joannes dei & apostolice sedis gratia Episcopus Pergamen. (1) Religiosorum virorum prepositi & fratrum Canonice de Galgari Pergamen. Ordinis Humiliatorum precibus inclinati (*ita*) per presens instrumentum gratiose concessit eisdem, quod Fratres ipsius Canonice sacerdotes habere possint altare viaticum (2) in eorum Oratorio, quod construi fecerunt in Loco de Martinengo, & super eo in sacro lapide missam libere celebrare.

(1) Joannes de Scantio ab an MCCXCVI. ad an. MCCCIX. Bergomensis Episcopus (*Ughell. Ital. Sacr. T. IV. in Episc. Bergom.*), idem ille, cujus mentio occurrit in literis Petri Card. Peregrossi, superius editis pag. 317.

(2) Idem est ac altare portatile. Videtur autem Joannes jure hoc Humiliatos donasse, Benedicti XI. literis motus, quas paullo ante protulimus pag. 355.

Humiliati in possessionem Ecclesiæ SS. Mariæ & Bartholomæi Bergomen. inducuntur.

1307. 7. Martii. Ex Tabul. Cathedr. Bergom.

ANno 1307. die septimo mensis Martii, in ecclesia Sanctorum Marie & Bartholomei posita in prato S. Alexandri Pergamen. (1) in presentia mei notarii, & Domini Peter-

(1) De Humiliatorum Bergomensi domo S. Bartholomæi, quæ etiam mox nomi-

Peterboni de Bergonziis Canonici, Daramei Lazaronum Custodis Ecclesie Pergamen., & Fratris Johannis de Pontolio prelati domus humiliatorum de Razulo Pergamen. testium rogatorum. Dominus Lanfrancus de Collionibus Archipresbiter Pergamen. auctoritate sibi commissa per Venerab. Patrem Dominum Joannem dei gratia Episcopum, & Alexandrum Prepositum pergamen. per cornu & pannum altaris (2), & hostium, & funes campane dicte ecclesie Sanctorum Marie & Bartolomei, Fratrem Marchisium de Lalio presbiterum, & fratres Johannem de Buzzone, Bonominum de Sporzatica, & Iroldum de Mapello de predicta domo humiliatorum, induxit & inducit in possessionem ipsius beneficii Ecclesie corporalem (3).

natur *de razulo* sermo fuit sup. pag. 68.

(2) Vexillum intellige, seu peristroma ab altari pendens, quo sensu vocem hanc accipi monuimus Vol. I. pag. 359. cum de Guillelma Bohema ageremus.

(3) Ecclesiæ hujusce jus, cum Humiliatis concederetur, Bergomensi Episcopo reservatum fuerat, ut monuimus Vol I. pag. 182.

In occupantes Humiliatorum bona.

1307. 23. Jul. Ex Bibl. Braid.

NEapoleo miseratione divina Sancti Adriani Diaconus Cardinalis, Apostolice Sedis Legatus (1), dilecto in Christo preposito Ecclesie Sancti Joannis in burgo Papien. (2) salutem in Domino. Quia mundo posito in maligno nonnulli ceca

(1) Neapoleo Ursinius S. R. E. Cardinalis vir per hæc tempora apud Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores celeberrimus. Complures ab illo obitas legationes Ciaconius enumerat (*In Vita Nicolai IV.*); Insubricam tamen, quam ex hoc aliisque sequentibus documentis illi commissam videmus, non memorat.

(2) De Papiensi hac Ecclesia plura habet P. Romualdus a S. Maria *Pap. Sacr.* P. I. pag. 26.

ceca cupiditate seducti tanto ad rapiendum & invadendum bona Ecclesiastica irreverenter improbas manus extendunt, quanto rariores, qui ea eripiunt, inveniunt obiectores, interest nostra, ut pro presidio Ecclesiarum & Monasteriorum Legationis nostre huiusmodi pravorum conatibus resistamus. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti in Christo prepositi, prelati, & fratres domorum Ordinis Humiliatorum civitatis & diocesis Mediolanen. a nonnullis earumdem civitatis ac diocesis, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, diversis iniuriis & molestiis affligantur, ac ipsi, sicut asserunt, potentiam eorumdem iniuriantium merito perorrescentes, eos infra civitatem & diocesim Mediolanen. nequeant convenire secure, nos eorumdem prepositorum, prelatorum, & fratrum providere quieti, & malignorum conatibus obviare volentes, discretioni tue, qua fungimur, auctoritate mandamus, quatenus, si est ita, eisdem prepositis, prelatis, & fratribus efficaci presidio defensionis assistens, non permittas eosdem contra indulta privilegiorum Sedis Apostolice, & Legatorum ipsius, seu etiam privilegia Christianorum Principum, dummodo per sedem eamdem fuerint confirmata, ab aliquibus personis Ecclesiasticis vel secularibus indebite molestari, molestatores per censuram Ecclesiasticam compescendo (3). Dat. apud

(3) Plures habemus Romanorum Pontificum, aut Romane Sedis Legatorum literas ad Humiliatorum bona contra invadentium vim ac fraudes defendenda; que cum nihil plerumque memoratu dignum contineant, opportunum visum est illas hoc loco tantummodo indicare. Ex porro sunt Clementis VI. ad Archiepiscopum Mediolanensem, & Florentinum & Taurinensem Episcopos, dat. XX. Jun. MCCCL. Inc. *Militanti Ecclesie*. Ex Monumentis apud Cl. Mannium. Gregorii XI. ad Archiep. Pisanum, & Veronensem ac Novariensem Episcopos dat. V. Jun. MCCCLXXII. Has porro literas exhibuit *Frater Rainerius de Florentia Conventus Omnium Sanctorum Civitatis Florentie Ordinis Humiliatorum, constitutus in presentia Ven. viri Domini Pauli de Peccioli Decretorum Doctoris, Reverendi in Christo Patris & Domini Domini Francisci Dei & Apostolice Se-*

Burgum S. Sepulcri X. kal. Aug. Pontificatus Domini Clementis pape quinti anno tertio.

---

dis gratia Pisan. Archiepiscopi, Sardinee Primatis, & Apostolice Sedis in ea Legati. Ex iisdem monumentis. Urbani VI. ad Veronensem ac Placentinum Episcopos atque ad Archidiac. Januensem dat. VI. Kal. Marr. an. MCCCLXXXIX. Inc. *Militanti Ecclesie* ex Bibl. Braid. Paulli II. ad Veronensem ac Vercellensem Episcopos, atque ad Abb. S. Ambrosii Mediolanen. dat. XVI. Cal. Octob. an. MCCCCLXIV. Inc. *Rationi congruit*. Ex Cod. Puric.

De expensis Legatorum caussa faciendis.

1308. 22. Mart. Ex Bibl. Braid.

NEapoleo miseratione divina Sancti Adriani Diaconus Cardinalis, Apostolice Sedis Legatus (1), Venerabili in Christo Patri Dei gratia Episcopo Vincentino (2) Salutem in Domino. In Ecclesiarum & Monasteriorum & aliorum Ecclesiasticorum Locorum legationis nostre relevationibus sollicita meditatione pensantes, sic ab ipsis procurationes nobis debitas exigere modeste disponimus, ut illa indebita dictarum procurationum exactio ultra quam facultates & redditus patiantur ipsorum aliquatenus non perturbet. Sane dudum inter bone memorie F. Archiepiscopum (3), & Clerum Mediolanensem ex una parte, & Religiosos viros Magistrum, prepositos, & prelatos Ordinis Humiliatorum civitatis ac diocesis Mediolanen. ex altera, super eo quod dicti Magister, prepositi, ac prelati in di-

ctis

---

(1) V. supr. pag. 360.

(2) Altogradus Cataneus de Lindinaria per hoc tempus Vicentinæ Ecclesiæ præerat. V. Ughell. *Ital. Sacr. T. V. in Episc. Vicent.*

(3) Franciscus Parmensis Mediolan. Archiepiscopus hoc ipso anno MCCCVIII VI. Febr. e vivis excesserat. V. Julin *Memor. T. VIII. pag. 570.*

ctis procurationibus pro primo anno legationis nostre nobis debitis ab eisdem se asserebant ultra debitum pregravatos, dicentes quod minus equa fuerat facta taxatio de facultatibus eorumdem; materia questionis exorta, & per appellationem eorumdem causa hujusmodi ad nostram curiam legitime devoluta, ad ipsorum concordiam diligenter interposuimus partes nostras. Verum quia non aliter inter eos sopiri posset materia questionis, nisi ad extimationem suorum reddituum procedatur, ut tam pro presenti quam futuris temporibus omnis tollatur inter eos super hoc materia jurgiorum, paternitati vestre, qua fungimur, auctoritate committimus & mandamus, quatenus ad civitatem & diocesim Mediolanen. vos personaliter conferentes, ac per seculares ac regulares personas Ecclesiasticas civitatis & diocesis predictarum, facultatum, reddituum, ac proventuum Ecclesiasticorum Archiepiscopalis mense, nec non Cathedralis aliarumque Ecclesiarum, & Monasteriorum, hospitalium, ceterorumque locorum Ecclesiasticorum earumdem civitatis & diocesis notitiam obtinentes, veritatem diligentius inquiratis, ut ea que per inquisitionem huiusmodi a personis habentibus Deum pre oculis facienda inveneritis, fideliter in scriptis redacta, vestroque sigillo conclusa, neutrique partium revelata penes vos usque ad reditum vestrum ad Ecclesiam Vincentinam fideliter conservetis; ibidem postmodum eisdem partibus ad vestram presentiam convocatis, inquisitionem huiusmodi aperturi, ut iuxta facultates & redditus ipsorum equa per vos taxatio & distributio fiat inter eos, secundum quam in predictis procurationibus pro presenti tempore & futuro contribuere teneantur; nisi forte per conventiones & pacta vel consuetudinem hactenus observatam, Archiepiscopalis mensa & Ecclesia Cathedralis ad contribuendum in dictis procurationibus minime teneantur; in quo casu bona dictarum mense & Ecclesie per vos nolumus extimari. Quam quidem taxationem & distributionem postquam per vos provide fuerit ordinata, statuetis

auctoritate nostra per eos futuris temporibus inviolabiliter observari, nisi notabilis augmentatio vel diminutio eorumdem proventuum huiusmodi taxationem augeri vel diminui suaderet, contradictores auctoritate nostra per censuras Ecclesiasticas compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili compellatis veritati testimonium perhibere. Dat. Cortone V. Id. Mart. Pontificatus Domini Clementis pape V. anno tertio.

Deest sigillum.

Privilegium Neapolei Legati, sicut Fratres Ordinis Mediolani & Diæcesis non tenentur ad expensas Legatorum ultra suam portionem.

1308. 31. Aug. Ex Cod. Puric.

NEapoleo miseratione divina S. Adriani Diaconus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus dilectis in Christo Magistro Generali, cæterisque Præpositis & Prælatis, Capitulis & Conventibus domorum & locorum Fratrum Ordinis Humiliatorum Mediolanensis Civitatis ac Diocesis salutem in Domino. Dudum dilecto in Christo religioso viro Fr. Joanni de Osenago Monacho Monasterii S. Dionysii de burgo portæ orientalis Mediolani (1) Capellano nostro dedimus nostris litteris in mandatis, ut ipse personaliter ad civitatem Mediolan. accedens, procurationes nobis debitas ab Archiepiscopali mensa, & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, & Clero, ceterisque personis Ecclesiasticis sæcularibus & regularibus, exemptis & non exemptis Civitatis & Diocesis Mediolanen. pro facultatibus & reditibus eorumdem prudenti meditatione pensatis provide exigendas taxaret

(1) De Mediolanensi S. Dionysii Monasterio diximus sup. pag. 197.

ret, & distribueret, & congrue secundum facultates cujuslibet distributas exigere procuraret; dictusque Fr. Joannes prædictis facultatibus de quamplurium prudentium consilio provida deliberatione pensatis, certam quantitatem pecuniæ a præfatis Archiepiscopo, Capitulo, Clero, & personis Ecclesiasticis pro dictis procurationibus persolvendam imposuit, & taxavit, bonæ memoriæ Francisco Archiepiscopo Mediolanen. (2), & quibusdam aliis committendo, ut dictas procurationes, retenta pro Archiepiscopali mensa debita portione ipsam rationabiliter contingente, a præfatis Capitulo, Clero, & aliis personis Ecclesiasticis, secundum quod unumquemque contingeret, provide distributas, exigere procurarent. Verum præfatus Archiepiscopus, & quidam alii ad hæc per dictum Archiepiscopum, seu per dictum Fr. Joannem specialiter deputati, nulla de facultatibus vestris, & aliarum personarum Ecclesiasticarum prædictarum discussione præmissa, nec sequentes taxationem hactenus observatam, sed solum ad vestra gravamina aspirantes, imposuerunt vobis ducentos triginta & unum florenum auri (3) a vobis pro dictis procurationibus persolvendos; a qua impositione taxationem in similibus hactenus observatam plurimum excedente, & ultraquam patiantur facultates & reditus vestri Ecclesiastici, onerosa & improvide facta, tam formæ commissionis per nos factæ eidem Fr. Joanni, quam forma commissionis per eumdem Fr. Joannem facta nullatenus observata, sentientes vos contra justitiam prægravari ad nostram audientiam appellastis. Procuratoribus igitur tam vestris quam eorumdem Archiepiscopi, Capituli, Cleri, & aliarum personarum Ecclesiasticarum prædictarum in nostra præsentia constitutis

cum

(2) Francisco Parmensi, de quo sup. pag. 361.

(3) Quis esset per hæc tempora aurei Floreni valor ostendit Joannes de Sitonis de Scotia (*De Monetis Ital. T. II. pag. 19.*); florenis scilicet singulis trium denariorum pondus fuisse, ut octo floreni auri unciam conflarent.

cum super dicto gravamine esset diutius altercatum, ad tollendum tam pro præsenti quam pro futuris temporibus, inter vos & eos super præmissis omnem materiam quæstionum, deliberavimus per Venerabilem in Christo Patrem Episcopum Vicentinum, de prædictis facultatibus inquiri facere diligenter, ut redituum facultatum ipsarum obtenta notitia, qualiter esset hujusmodi taxatio & distributio facienda, de liquidis appareret (4). Verum Procuratores partis alterius inquisitionem & discussionem prædictarum facultatum & redituum declinantes, ac sæpe sæpius exquisitis subterfugiis in appellationes frivolas prorumpentes, fere per annum obstacula præstiterunt, ut prædicta discussio, quæ potuisset per eumdem Episcopum, vel alium virum providum, Deum habentem præ oculis infra modici temporis spatium expediri, non absque magno vestro prejudicio tardaretur. Demum vero, cum ejusdem partis exceptiones declinatoriæ non cessarent, sed semper resurgerent redivivæ, & appareret aperte, vos in hac parte gravamina sustinere, nos pluribus vestris clamoribus & instantiis excitati, cum propter ejusdem partis resistentiam mittendi personam aliquam ad discussionem hujusmodi faciendam semper hactenus facultas fuerit denegata, tam pro præsenti tempore quam futuro vestris oppressionibus occurrere cupientes, omnes sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti, tam per eumdem Fr. Joannem, quam per quoscumque alios, in vos & personas seu loca quæcumque Ordinis vestri, occasione prædicta prolatas, litterarum nostrarum forma nullatenus observata, auctoritate, qua fungimur, decernimus, imo verius declaramus irri-

(4) Literas ad Vicentinum Episcopum datas supra protulimus. Videtur tamen exaggeratione aliqua hoc loco usus Legatus. Cum enim Literæ ad Vicentinum Episcopum XII. Mart. hoc ipso anno fuerint datæ, hæ vero XXXI. Jul., non video qua ratione Neapoleo hic narret, Vicentinum Episcopum *fere per annum* prohibitum fuisse, ne impositum munus exequeretur; nisi forte error aliquis in alterutrius monumenti notas irrepserit.

irritas & inanes, & nullius existere firmitatis; statuentes auctoritate prædicta, ut futuris temporibus ad solutionem aliam faciendam pro dictis procurationibus compelli aliquatenus non possitis, nisi secundum consuetudinem hactenus in similibus observatam, vel nisi per aliquam personam idoneam vobis nulla ratione suspectam, a Sede Apostolica vel Legatis ipsius ad hæc specialiter destinandam, discussio fierit facultatum & redituum prædictorum, juxta quam vos in posterum solvere oporteret, omnes sententias contra statutum hujusmodi promulgandas carere viribus decernentes, mandato Sedis Apostolicæ semper salvo. Ceterum circa partem de procurationibus nostris vos rationabiliter contingentem, quousque hujusmodi discussio fuerit facta, vos ad exhibendam illam quantitatem teneri volumus, quam consuevistis in similibus in aliorum Legatorum, qui fuerint pro tempore, procurationibus exhibere. Datum Tortonæ (5) II. kal. Septemb. Pontificatus Domini Clementis Papæ quinti anno tertio.

Qua-

(5) Superiores literas vidimus Cortonæ datas, has vero Tortonæ. Potuit quidem Legatus sedem immutare; sed nominis similitudo facit, ut utrobique aut Cortonæ, aut Tortonæ scribendum suspicer; qua in re tamen nihil certi definire ausim.

Qualiter privati fuerunt per sententiam de Ecclesia S. Ruxorii Prepositus, & Fratres S. Torpetis Ordinis Humiliatorum per Dominum Archiepiscopum Joannem.

1311. 16. Aug. Ex Tabul. Archiep. Pisan.

Hoc est Exemplum cujusdam Exempli sive Instrumenti, cujus tenor talis est.

IN Eterni Dei Nomine. Amen. Henricus de Montevaso Plebanus Plebis de Lardensa Reverendi Patris & Domini Fratris Johannis (1) . . . . Pisani Vicarius Generalis. Ad rei memoriam sempiternam. Commissi nobis officii cura cor nostrum instanti pulsat, ac . . . . Monasteriorum nostre sollicitudini commissorum quantum nobis ex alto conceditur satagamus, & quod servitium, & . . . . Monasteriis institutis per cujusdam Austutiam diminutionis non patiat dispendia, sed ad divini Numinis gloriam, & honorem . . . . . nec olim per Civitatem Pisanam, & ejus Diocesim generalis Visitatoris officium debitum exequendo predictus Venerabilis Pater ad Monasterium S. Ruxorij (2) . . . . . Pisane diecesis subiectum sibi absque ullo medio, pervenisset, ibidem reperit, & invenit aliquos Fratres Ordinis Humiliatorum pro . . . . . . Pis ejusdem Ordinis residere, a quibus curavit cum dili-

(1) Joannes de Provincialibus seu de Cajetanis Ord. Præd. Pisanæ Ecclesiæ ab an. MCCXCIX. ad annum MCCCXII. præfuit, ad Nicosiensem Archiepiscopatum deinde translatus. V. Ughell. *Ital. Sacr.* *T. III. in Archiep. Pisan.*

(2) De S. Ruxorii, seu S. Luxorii æd. Humiliatis concredita V. quæ diximus Vol. I. pag. 252., & hoc ipso Vol. pag. 105.

diligentia indagare, quomodo Monasterium illud auctoritate dicti Domini Frede . . . (3). S. Torpetis unitum, & per eorumdem etiam confessionem reperit, & invenit multas possessiones ejusdem Monasterij S. Ruxorij esse alienatas, & a . . . . se fore subiectas. Cujus confessionis postea Instrumento reperto per Dominum Cresembenum tunc Vicarium domini Patris Fratri Orlando Syndico, & . . . . & Fratrum Monasterii S. Torpetis dari fecimus in mandatis, quo fidem quomodo, & quibus . . . . dicti Prepositus & fratres S. Torpetis sub obligatione . . . . fuerant obligati implevissent, qui de predictis nullam fidem facere curaverunt. Et licet tractu postea temporis infra claustra nostri pectoris . . . . emptes & communicantes super hoc consilio plurium sapientum, & videntes, quod illa Predecessoris dicti temporis concessio, sive unio erat irrita, ipso . . . . obmissis tractatibus, & aliis solemnitatibus debitis, adtentata, volentes tamen ad hec inquirere, & videre si dictis Preposito, & Fratribus jus aliquod ex caussa posset competere in Monasterio S. Ruxorii antedicti per Fratres Salvum & Orlandum dictorum Prepositi, & Fratrum Procuratores, & Syndicos in nostra presentia constitutos munuimus quod fidem facerent coram nobis, quomodo dictum Monasterium possiderent, cum ad ipsum venerabilem Patrem Dominum Archiepiscopum de jure communi dictum Monasteriu pertineret, unusque non posset Prelatus duobus Monasterijs presidere, qui post multas dilationes diutius expectati, fidem tantum per publicum Instrumentum confectum manu Ch . . . . Cappellani Ecclesie S. Benedicti Notarii de quadam unione & associatione d. Monasterij S. Ruxorii eidem Monasterio S. Torpetis adiecta & facta fuerunt dum tamen ibi servarent Collegium pro divinis officiis continuè celebrandis, in qua etiam unione, & asocia-

(3) Fridericus Vicecomes indicatur ab an. MCCLIV. ad an. MCCLXXVIII. Pisanus Archiepiscopus. Fuse de illo Ughellius loc. cit.

sociatione jus visitandi, corrigendi, Procuratorem recipiendi, confirmandi & ponendi majorem in Sedem ipsius Ecclesie S. Ruxorij & omnia alia jura temporalia dicto venerabili Patri Domino Archiepiscopo Pisano, & suis Successoribus reservata, & alia plura, secundum quod in dicto Instrumento ab eis producto plenius continetur. Et quod dicta institutio, & unio, & investitura, quam fecit de unione, & associatione predictis idem Predecessor noster voluit nil valere, si dictus Prepositus & Fratres reservata jura temporalia presumerent violare. Attendentes scilicet quod ejusmodi unio, & associatio, & concessio nulla fuit tamquam absque ullo tractatu, & aliis sollempnitatibus debitis adtentata, etsi ejusdem forsitan intervenientibus sollempnitatibus, & tractatu aliquo extitisset, quia tamen idem Prepositus, & Fratres jura in eodem Instrumento reservata servare minime procurarunt, propter quod a jure, si quid eis in eodem competeret, etiam ceciderunt. Et volentes quod in eodem cultus antiquus Divini Numinis instauretur, & dictam unionem, associationem, concessionem, & Instrumentum exinde confectum nullius pronuntiamus extitisse, vel existere firmitatis, nec per eas dicto Monasterio S. Torpetis unitum, associatum, vel incorporatum, vel ad dictum Ordinem Humiliatorum, vel de ipso Ordine non fuisse, vel esse, sed esse sub Ordine, & de Ordine S. Benedicti secundum predicti Venerabilis Patris Domini Ardhiepiscopi Pisani providentiam gubernandum.

Lata & dicta fuit dicta Sententia per suprascriptum Dominum Henricum Vicarium ad Curiam pro Tribunali sedente in Ecclesia S. Georgii Pisarum, ubi jura redduntur in contumaciam suprascriptorum Prepositi, & Fratrum presentibus Testibus Domino Tancredo Plebano, Domino Petro Abbate Monasterij Sancti Michaelis de Quiesa (4), dmño Francisco Abbate Monasterij SS. Apo-

4) Monasterii Ordinis Camaldulensis, de quo V. Gregorii VII. literas an. MLXXVII. ap. Ughell. loc. cit.

Apostolorum, Presbiteris Rainerio S. Andree Foris Porte, & Cegna S. Christofori Ecclesiarum Rectoribus, Johanne q. Bonaccursii, Cavalcante de S. Miniate, & Ciandro q. dñi Matthei Ebriaci de Domo Gajtanorum, & aliis pluribus ad hec rogatis, & vocatis Dominice Incarnationis Anno millesimo trecentesimo duodecimo (5), die sextadecima Mensis Augusti none Indictionis in Vesperis, & paulum post Vesperas pulsatas in ipsa Civitate.

Ego Johannes filius Bonamici quondam Ildini Pisanus Civis Imperiali Auctoritate Judex Ordinarius, & Notarius, ac etiam Revēdi Patris & Domini Domini Patris Fratris Oddonis (6) Divina Providentiâ Sancte Pisane Ecclesie Archiepiscopi & sue Curie Scriba publicus predicta omnia unde hoc exemplum a me sumptum est inveni, vidi, & legi in quodam Libro Bombicino Actorum Curie Archiepiscopatus Pisani compartito partim tempore Revēdi in Christo Patris, & Domini Domini Fratris Oddonis Divinâ Providentia Archiepiscopi Pisani, & ita hinc inde transcripsi & fideliter exemplavi nil addito, vel mutato, quod sensum mutet, vel variet intellectum, & cum Originali hoc ipsum Exemplum coram venerabili Viro Domino Chianne de Falconibus Plebano Plebis de Calci Rēvdi Patris suprascripti Domini

(5) Videmus hic annum MCCCXII. indicari, Indictionem autem nonam. Atqui nona indictio superiori anno MCCCXI. congruebat. Sed animadvertendum est apud Pisanos annum a die XXV. Martii cœpisse, illius exordio novem ante Christum natum mensibus ducto, novem scilicet circiter mensibus, antequam vulgo inchoari soleat. Qua in re a Florentinis differebant, qui eadem quidem die anni initium ducebant, sed illius exordium tribus post Christum natum mensibus statuebant. Itaque qui apud Pisanos erat annus ex c. sextus, quintus erat apud Florentinos. Hinc hujus chartæ annum licet statuere. Pisani enim novem ante Christum natum mensibus annum inchoantes, Augusto mense cum apud nos adhuc annus MCCCXI., cui nona Indictio congruit, decurreret, ipsi annum MCCCXII. jam a die XXV. Martii numerare cœperant.

(6) Oddo de Sala Ord. Præd. jam ab anno MCCCXII. Pisanæ Ecclesiæ præfectus fuerat.

mini Fratris Oddonis Archiepiſcopi Piſani Vicario Generali una cum ſupraſcriptis Michaele & Ser Dino Notariis diligenter, & fideliter obſculavi (7), & cum dictum Exemplum cum dicto Originali idem Dominus Vicarius cognoverit, & ego Johannes Notarius invenerim per ordinem concordare, & de ipſius Domini Vicarij auctoritate, & mandato, ad ejuſdem exempli plenam fidem & Teſtimonium me ſubſcripſi. Actum Piſis in Archiepiſcopatu ſuper Ballatorio Dominice Incarnationis Anno milleſimo trecenteſimo nono decimo, Indictione prima, ſeptimo Kalendas Auguſti (8).

Ego Michael quondam Benvenuti de Spina Imperiali auctoritate Judex Ordinarius, atque Notarius *&c.*

Ego Dinus de Cerreto quondam Ser Guillelmi Imperiali auctoritate Judex Ordinarius, & Notarius *&c.*

Ego Mattheus Filius Geremie de Vico Piſano Imperiali auctoritate Notarius, & Judex Ordinarius Exemplar hujus Carte vidi, & legi, & fideliter abſculavi una cum infraſcriptis Notariis ad hec rogatis Teſtibus nihil inde addito, vel diminuto, Mandato, Decreto, & Auctoritate nobilis Viri Domini Sacci quondam Domini Caſtellani de Burgo Sancti Sepulcri Piſanorum Poteſtatis, & Judicis Ordinarij ipſum Exemplar exemplavi, & publicavi, & in publicam formam redegi per omnia, ut continentur in Exemplari ipſius Inſtrumenti. Actum Piſis ſuper ſuperiori Solario Palatii dicti Domini Poteſtatis, preſentibus Bondura quondam Nericionis de Comitatu Cagluri, & Bugnone quondam Franciſci de Burgo Sancti Sepulcri Teſtibus ad hec rogatis Dominice Incarnationis milleſimo trecenteſimo vigeſimo

Anno

(7) Videtur tum hic tum alias infra legendum *auſcultavi*, vel *abſcultavi*, quam vocem in veteribus chartis interdum idem eſſe ac *diligenter perpendi* monet Cangius *Gloſſar. lat. T. I. pag.* [illegible] *edit. Ven.*

(8) Anno ſcilicet vulgari MCCCXVIII. cui prima Indictio congruit.

Anno, Indictione tertia, septimo Kalendas Novembris (9).

Ego Lante Filius Martini quondam de Vico Pisano Imperiali Auctoritate Notarius Abscultationi, & Exemplationi suprascripti Instrumenti facte a suprascripto Notario una cum infrascripto Notario interfui &c.

Ego Jacobus Filius Pardi quondam Tani de Gello Putido Imperiali Auctoritate Notarius &c.

(9) Nempe anno vulgari MCCCXIX.

Privilegium Joannis XXII. de Indulgentia sexaginta dierum Ordini concessa cuilibet visitanti Oratoria Ordinis.

1319. 23. Oct. Ex Cod. Puric.

JOannes Episcopus Servus Servorum Dei universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne & laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis suae, quae merita supplicum excedit & vota, bene servientibus multo majora tribuit, quam valeant promereri, nihilominus desiderantes Domino reddere populum acceptabilem, Fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, Indulgentiis videlicet & remissionibus invitamus. Cupientes igitur, ut Ecclesiae & Oratoria domorum Ordinis Humiliatorum congruis honoribus attollantur, eoque devotius concurrat Fidelium populus ad eadem, quo salutis munera se ibi consequi speraverit ampliora, universitatem vestram rogamus & hortamur attente, vobis nihilominus in remissionem peccaminum indulgentes, quatenus imploraturi a Domino veniam delictorum, ad

Ec-

Ecclefias & Oratoria eadem in humilitate fpiritus accedatis. Nos enim de Omnipotentis Dei mifericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoftolorum ejus auctoritate confifi, omnibus vere pœnitentibus & confeffis, qui Ecclefias & Oratoria ipfa in Nativitatis, Epiphaniæ, Refurrectionis, & Afcenfionis Domini, nec non Pentecoften, præcipuis Beatæ Mariæ Virginis, dictorum Apoftolorum, S. Joannis Baptiftæ, S. Michaelis Archangeli, S. Benedicti, & aliis Ecclefiarum & Oratoriorum prædictorum feftivitatibus, fingulifque diebus Dominicis Quadragefimæ devote vifitaverint annuatim, fexaginta dies de injunctis eis pœnitentiis mifericorditer relaxamus. Dat. Avenione X. Cal. Novemb. Pontificatus noftri anno quarto.

Gasberti Maffilienfis Epifcopi literæ ne Humiliati ab Apoftolicis Collectoribus exactionibus graventur.

1319. 8. Dec. Ex Monum. ap. Cl. Mannium.

IN Chrifti nomine amen. Anno domini currente MCCCXVIIII. die Veneris octavo menfis Decembris indictione tertia in prefentia mei Notarij, & teftium infrafcriptorum. Reverendus, & Religiofus vir Dominus Frater Jacobus ordinis Humiliatorum Generalis Magifter folemniter legi fecit, & publicare quafdam Litteras apertas cum Sigillo autentico cere rubee Venerabilis Patris, & Domini Domini Gasberti permiffione divina Marfilienfis electi, & Domini Pape Camerarii (1), quarum Litterarum tenor

(1) Gasbertus, feu Gausbertus feu Guafbertus, (fic enim dive fimode fcribitur) de Valle, aliis etiam de Bellania dictus hic indicatur. Maffilienfi primum, tum circa an. MCCCXXIV. Arelatenfi, denique poft an. MCCCXLI. Narbonenfi Ecclefiæ præfuit. Illius mentio occurrit in *Gallia Chriftiana* T. I. col. 606. &

tenor noscitur esse talis. Provido viro Domino Arnaldo Sabaterij de Tisiaco, & Sancti Dionisij Ecclesiarum Caturcen. Diocesis Collectori fructuum beneficiorum vacantium in Jan. Mediolan. & Ravennaten. provinciis Gasbertus permissione divina Marsilien. electus Domini Pape Camerarius Salutem in domino. Nuper pro parte religiosorum virorum magistri generalis, & ordinis humiliatorum fuit nobis expositum, quod vos non obstante Compositione facta per procuratorem eorum, cum Camera dicti Domini nostri Pape de fructibus beneficiorum ipsius ordinis, que tempore Collectionis nostre vacaverunt, domos eorum impetere non finitis, imo eis graves molestias irrogastis, quod nobis gratum non esset, sed credimus vos habere iustam ignorantie causam. Id circo nolumus nec consulimus . . . . cum vobis usque ad summam mille octingentorum, & nonaginta unius Florenorum auri alias per ipsos vobis extiterit satisfactum eos amodo pro dictis fructibus molestetis, nec domos eorum aliqualiter impetatis, taliter vos habentes si ita sit, quod sepe dicti Magister, & fratres dicti ordinis nullam de vobis habeant materiam conquerendi. Datum Avignone die secunda Novembris. Quas quidem Litteras supra dictas ad faciendam fidem plenariam in omni loco iudicio & extra exigente evidenti necessitate dictus Dominus generalis Magister precepit mihi Notario infrascripto ut eas exemplatas autenticarem, & in publicam formam redigerem, ut eisdem fides plenaria exhibeatur ab omnibus ubilibet, tamquam originali, & publice Scripture, & ad faciendum premissa omnia, & singula auctoritatem suam prestavit, ac omni modo, & iure, quibus melius potuit, interposuit suum decretum ex certa scientia, & cum cause cognitione.

Actum in domo de Vicoboldono dicti ordinis dioc. Mediolan. in habitatione dicti Domini generalis Magistri. Interfuerunt

575. & T. VI. col. 90. recentioris Edit.

runt ibi teſtes rogati, & vocati fratres Jacobus, Marcus, & Manuel Prepoſiti domorum de Galgari de pergam. Sancti Petri de Modoecia, & domus nove de papia dicti Ordinis.

Ego Frater Joannes prepoſitus domus Canonice nove Mediolani dicti ordinis imperiali auctoritate notarius premiſſis omnibus, & ſingulis interfui, & rogatus de mandato dicti Domini generalis Magiſtri ſupra ſcriptas Litteras manu publica exemplavi de verbo ad verbum nil addendo, vel diminuendo, & exemplatas autenticavi, & in publicam formam redegi, ut potiſſime fidem faciant in omni loco, in iudicio, & extra tamquam publice, & autentice Scripture.

Privilegium Joannis XXII. ſicut Collectores Domini Papæ exigere non debent fructus Beneficiorum vacantium in Ordine Humiliatorum.

1327. 29. Aug. Ex Cod. Puric.

JOannes Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Collectoribus fructuum, redituum, & proventuum Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum vacantium in Lombardiæ, Romaniolæ, & Patriarchatus Aquilejenſis, & Marchiæ Anconitanæ & aliis Italiæ partibus, per Sedem Apoſtolicam conſtitutis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecti filii Magiſter Generalis, & Fratres Ordinis Humiliatorum, quod ſingulæ domus ejuſdem Ordinis gubernari conſueverunt, & gubernantur per certos adminiſtratores, quorum aliqui Præpoſiti, & aliqui Prælati vulgariter nuncupantur, & hujuſmodi adminiſtratores non ſunt perpetui, ſed tantummodo temporales, cum hujuſmodi Prælati ſimpliciter ſingulis annis, alii vero Præpoſiti nuncupati, quilibet juxta Fratrum & Conventus, ſive domus, ſive etiam duarum partium Fratrum ipſorum voluntatem, poſt

unum

unum consueverint, & debeant etiam secundum ipsius Ordinis statuta & consuetudines removeri, & mutari; & administrationes ejusdem Ordinis, quarum aliquæ Præposituræ, & aliquæ Prælaturæ in illis etiam nuncupantur, non habuerunt hactenus nec habent reditus aliquos vel proventus; sed administratores ipsarum vixerunt & vivunt solum de bonis communibus earumdem domorum, sicut ceteri Fratres ipsarum domorum, nec per amotionem vel obitum administratorum ipsorum futuris administratoribus restant fructus aliqui reservandi, cum nulli fructus ipsarum domorum, nisi communes, de quibus Fratres sustentantur, existant; quodque vos Fratres dictarum domorum ejusdem Ordinis, vel aliquarum ipsarum singulis annis super prædictis fructibus, ex quibus Fratres ipsi debent sustentari, quamplurimum molestatis. Præterea subjunxerunt dicti Fratres & Conventus domorum prædictarum ejusdem Ordinis, quod ipsi in eligendo administratores sibi, Præpositos vel Prælatos nuncupatos, prætextu reservationis seu reservationum per vos, ut asserunt, de provisionibus Abbatiarum, Monasteriorum, Domorum, Prioratuum, & aliorum quorumcumque locorum in certis partibus Italiæ consistentium, ad quas, vel quos, seu quæ Prælati consueverunt, seu debent per electionem assumi, factarum, impediuntur & etiam perturbantur. Quare Magister & Fratres prædicti nobis humiliter supplicarunt, ut super prædictis sibi de opportuno remedio providere misericorditer dignaremur. Nos igitur volentes, quod, si prædictis veritas suffragetur, dicti reditus & proventus dictarum domorum Ordinis Humiliatorum sub deputatione hujusmodi, dictæque administrationes, prepositurae seu prælaturæ vulgariter nuncupatæ, sub dictis reservationibus nostris aliquatenus non includantur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictos Magistrum & Fratres ac domos & Ordinem eorum super præmissis per vos vel alios prætextu commissionum & reservationum ipsarum nullatenus

nus molestetis. Datum Avenione IV. Cal. Septemb. Pontificatus nostri anno undecimo.

Privilegium Joannis XXII. sicut nulla domus Fratrum recipere debeat aliquam mulierem in Monacham.

23. Oct. 1327. Ex Cod. Puric.

JOannes Episcopus (1) Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro Generali, & Fratribus Ordinis Humiliatorum Salutem & Apostolicam benedictionem. Desideriis justa petentium gratum impertimur assensum, & in iis, quæ honestatem respiciunt, eos favoribus prosequimur opportunis. Sane oblata nobis pro parte vestra petitio continebat, quod habetis nonnulla Monasteria & domos virorum & mulierum Ordinis vestri professorum, in quibus simul habitant Fratres & Sorores clausuris aliquibus intermediis separati (2), & aliqua etiam Monasteria & domos Mulierum ejusdem Ordinis ab aliis vestris virorum Monasteriis & domibus per intervalla decenter distantia separata; aliaque ipsis contigua, in quibus per vos recipiuntur & morantur Mulieres vestrum Ordinem profitentes, ac sub cura & gubernatione vestra manentes, quodque per vim & metum multorum tyrannorum aliorumque potentium compulsi fuistis hactenus & frequenter compellimini concubinas & mulieres alias inhonestas ipsorum in dictis Monasteriis & domibus, in quibus habitant

simul

(1) Hasce Joannis XXII. literas jam protulit Blancolinius (*Chiese di Verona Lib.VI. pag.* 223.) Visum tamen est illas hic iterum edere, quod multum ad Humiliatorum historiam moresque cognoscendos conducant.

(2) De communibus hisce Humiliatorum domibus, deque aliis, quæ in hisce literis memorantur, fuse disseruimus Vol. I. pag. 313. & sequ.

ſimul Fratres & Sorores, & aliis mulierum conjunctis ac contiguis cœnobiis virorum, recipere in grave præjudicium & ſcandalum non ſolum veſtrum, ſed etiam aliorum. Quare pro parte veſtra nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut providere vobis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur attendentes, ſacris fore Canonibus inſtitutum, quod Mulierum Cœnobia a Cœnobiis virorum maneant ſeparata (3), quodque vicinitas talium conſuevit ſcandalum & periculum generare, auctoritate apoſtolica de Fratrum noſtrorum conſilio ordinamus, ac per vos deinceps præcipimus inviolabiliter obſervandum, quod ſi mulieres relicta ſæculi vanitate ad Ordinem veſtrum tranſierint, recipi debeant in Monaſteriis & domibus dicti Ordinis, quæ habetis, ut præmittitur, per intervalla diſtantia a virorum cœnobiis ſeparata, nec liceat vobis de cetero in aliis Monaſteriis vel domibus veſtri Ordinis, in quibus ſimul habitant Fratres & Sorores, aut aliis Mulierum contiguis, vel commixtis virorum cœnobiis, vel conſiſtentibus prope illa, aliquam recipere in Monacham vel Sororem. Et ſi forte litteræ Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ejus ſuper quarumcumque receptione in talibus Monaſteriis facienda impetratæ ſint, vel eas impoſterum contigerit impetrari, dummodo ſint idoneæ, & in eis aliud Canonicum non obſiſtat, ponantur ſeu recipiantur in Monaſteriis vel domibus mulierum dicti Ordinis a virorum cœnobiis per intervalla diſtantia, ut præmittitur, ſeparatis. Si quæ autem jam receptæ ſint in dictis Monaſteriis vel domibus, in quibus ſimul habitant Fratres & Sorores, vel aliis mulierum virorum Monaſteriis contiguis vel connexis, ſeu exiſtentibus prope illa, inducantur per prælatos dicti Ordinis Superiores earum, ſi abſque ſcandalo fieri poſſit, ut ſe transferant ad alia Monaſteria mulierum a Cœnobiis virorum ve-

 ſtri

(3) Videtur Nicænæ II. Synodi Canones reſpicere Joannes quos commemoravimus Vol. I. pag. 314.

ſtri Ordinis per intervalla diſtantia ſeparata. Nos inſuper auctoritate prædicta irritum decernimus & inane, quidquid contra præſentem Ordinationem noſtram deinceps contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, mandati, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinione X. Cal. Novembris Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Parochialis ædes S. Martini de Fagognana S. Miniatis Humiliatis conceditur.

1334. 22. Octob. Ex Monument. ap. Cl. Mannium.

JOhannes miſeratione divina Santi Theodori Diaconus Cardinalis apoſtolice Sedis Legatus (1) Venerabili in Chriſto Patri . . . . Epiſcopo Feſulano (2) Salutem in Domino. Merita divotionis, & alia virtutum opera dilectorum in Domino . . . . . Prepoſiti, & Conventus Monaſterij Omnium Sanctorum Florentie Ordinis Humiliatorum, que in conſpectu noſtro multipliciter redolent, digne nos excitant, & inducunt, ut eis in hiis, quibus decenter poſſimus, exibeamus nos favorabiles, & benignos. Exibita ſiquidem nobis pro parte ipſorum petitio continebat, quod Parrocchiani parrocchialis Eccleſie Sancti Martini de Fagognana de Sancto Miniate Lucan. dioc. (3) nunc Rectore vacantis per obitum Bernardi quondam Herrici de Boſcho quondam

(1) Joannes Cajetanus Urſinus, Joannis XXII. P. M. in Italia Legatus. Plura de illo habes apud Hiſtoriæ Eccleſ. illius ætatis Scriptores.

(2) Erat is Tedices de Alioſtis Florentinus, de quo V. Ughell. Ital. Sacr. T. III. in Epiſ. Feſul.

(3) S. Miniati oppidum Lucenſi Epiſcopo olim obnoxium, poſtea vero urbis nomine, atque Epiſcopali ſede donatum a Gregorio XV. P. M. an. MDCXXII.

dam Rectoris illius, ad quos presentatio eiusdem Ecclesie pertinet, desiderantes, quod Ecclesia ipsa per Fratres Monasterii Omnium Sanctorum, ad quos specialis gerunt devotionis affectum regatur de cetero, & etiam gubernetur, disponunt Jus patronatus, & presentandi Rectorem ad predictam Ecclesiam, quod in ea obtinent, ipsis Preposito, & Conventui libere concedere, & donare, quodque dilectus in Domino Ugo Prepositus Plebis Sanctorum Genesij, & Marie de Santo Miniate dicte dioc. (4), ad quem institutio, & confirmatio Rectoris Ecclesie prelibate pertinere dinoscitur, cum devotione, & voluntate Parrochianorum predictorum grato concurrens assensu Jus institutionis, & confirmationis Rectoris prefati simili modo eisdem Preposito, & Conventui concedere, & donare disponit. Ita quod ad ipsos Prepositum, & Conventum Monasterii Omnium Sanctorum presentatio, institutio, & confirmatio Rectoris illius absque requisitione, & assensu Parrocchianorum, & Prepositi predictorum, vel alicuius eorum debeat perpetuis futuris temporibus pertinere, & per Fratres ipsius Monasterii Ecclesia predicta etiam gubernari. Quare nobis humiliter supplicarunt ut dictis Parrocchianis, ac Preposito, & eorum cuilibet faciendi donationem, & concessionem huiusmodi, Ipsisque Preposito, & Conventui recipiendi, & acceptandi easdem; Et insuper Rectorem in dicta Ecclesia de Fratribus ipsius Monasterii, & Ordinis ponendi, & instituendi, & eam illi etiam conferendi cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis Licentiam, & facultatem concedere dignaremur. Nos itaque cupientes in hac parte votis eorum annuere, quia tamen de predictis notitiam non habemus, Paternitati vestre, de qua specialem in Domino fiduciam gerimus, auctoritate, qua fungimur tenore presentium commictimus, & mandamus, quatinus vo-

(4) Erat hæc princeps olim hujus oppidi Ecclesia, nunc Cathedralis nomine ornata.

vocatis omnibus, qui fuerint evocandi, si premissa informatione plenaria inveneritis ita esse, predictis Parrocchianis, & Preposito Plebis de Sancto Miniate faciendi prenominatis Preposito, & Conventui concessionem, & donationem Jurium, que in Ecclesia prefata obtinent, & eisdem Preposito, & Conventui Monasterii Omnium Sanctorum concessionem, & donationem Jurium predictorum recipiendi, & deinde Rectorem ydoneum in Ecclesia Sancti Martini prelibata nunc, & quotiens vacatio illius ingruere perpetuis futuris temporibus ponendi, & instituendi illique illam cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis etiam conferendi absque tamen Episcopalis, & Plebis Sanctorum Genesii, & Marie prefate, preterquam institutione, & confirmatione Rectoris Ecclesie supradicte, ac cuiusquam alterius Juris preiudicio auctoritate nostra licentiam, & facultatem plenariam concedatis, contradictores autem predictam per censuram Ecclesiasticam compescendo. Datum Florentie X. Kalendas Novembris Pontificatus Sanctissimi Patris, & Domini nostri Domini Johannis Pape XXII. Anno decimonono.

Johannes miseratione divina Sancti Theodori Diaconus Cardinalis apostolice Sedis Legatus. Dilecto in Christo Ridolfo quondam Johannis de Guignis Ordinis Fratrum Humiliatorum Florentie Salutem in Domino. Morum decor, honestas vite, & alia tue bonitatis merita super quibus apud nos fide dingnorum testimonio comendaris, dingne nos excitant, & inducunt, ut personam tuam specialis favore gratie prosequamur. Cum itaque sicut oblata nobis tua petitio continebat Parrocchiani, & Patroni Parrocchialis Ecclesie Sancti Martini de Fagognana prope Sanctum Miniatem Lucane diocesis nunc vacantis per mortem Berardini quondam ultimi Rectoris eiusdem, propter devotionis affectum, quem ad Personam tuam habere se asserunt, disponant te in Rectorem ipsius Ecclesie, dilecto in Domino. . . . Preposito Plebis Sanctorum Genesij, & Marie de Sancto Miniate dicte

dicte diocesis in cujus plebatu Ecclesia ipsa existit, ad quem institutio Rectoris eiusdem ad presentationem Parrocchianorum, & Patronorum predictorum pertinet presentare, nobis humiliter supplicasti, ut acceptandi presentationem huiusmodi, & Ecclesiam supradictam licite retinendi licentiam tibi concedere dignaremur. Nos igitur tuis suplicationibus inclinati tecum quod presentationem ipsam, & Ecclesiam supradictam acceptare licite valeas, & eam cum Juribus, & pertinentiis suis libere retinere, si alias tibi Canonice conferatur constitutione Sinodali venerabili in Christo Patris Domini . . . . Lucani Episcopi, qua cavetur, ne aliquis Clericus aliene diocesis ad Ecclesias Civitatis, & diocesis Lucane presentari, elegi, vel assumi quomodolibet valeat, & alia quaecumque in contrarium edita non obstante per hanc vestre concessionis gratiam auctoritate, qua fungimur, dispensamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Florentie X. Kalendas Novembris Pontificatus Sanctissimi Patris, & Domini nostri Domini Johannis Pape XXII. anno decimonono.

Et Ego Benedittus Magistri Martini Imperiali auctoritate Judex, atque Notarius Florentinus, & nunc Venerabilis Patris Domini Francisci Dei gratia Episcopi Florentini (5) Originalia predictarum litterarum dicti Domini legati sigillo pendenti sigillata vidi, & legi, & ea cum exemplo presenti una cum Francisco & Philippo Notariis infrascriptis in presentia Reverendi viri Domini Cini Plebani Plebis de Decomano Vicarij dicti Domini Episcopi fideliter ascultavi, & quia invicem concordabant, de

ipsius

(5) Franciscus de Silvestris ab an. MCCCXXIII. ad an. MCCCXLI. Florentinus Episcopus, de quo V. Ughell. *Ital. Sacr. T. III. in Archiep. Florent.*

ipsius Domini Vicarij mandato suam, & dicte curie auctoritatem, & decretum interponentis ipso pro tribunali sedente hic me in testem cum solito signo subscripsi. Die XVI. Septembris tertie inditionis Anno Domini CCCXXXV. (*ita*) In Ecclesia Sancti Salvatoris Florentie

Ego Franciscus Ser Berti de Sancto Miniate Imperiali auctoritate Judex Ordinarius, atque Notarius publicus &c.

Ego Philippus Matthey durantis de Florentia Imperiali auctoritate Judex Ordinarius & Notarius publicus &c. (6).

In Dei nomine amen. Ex hoc publico Instrumento sit omnibus manifestum, quod convocatis, & coadunatis hominibus, & Parrocchianis Ecclesie Sancti Martini de Fagognana prope Sanctum Miniatem Lucane diocesis in Ecclesia predicta Sancti Martini tamquam Populorum, & Universitatum, in qua congregatione interfuerunt ultra tres partes dicte Universitatis, & Populi, & Parrocchianorum, quorum nomina inferius continentur, aliis absentibus, set prius legiptime citatis ad hanc diem, & horam, considerantes dicti Parrochiani, quod dicta Ecclesia Sancti Martini vacat ad presens per mortem bone memorie Presbiteri Bernardini Rectoris ipsius Ecclesie, & quod presentatio Rectoris ad dictam Ecclesiam, quando vacat, pertinet, pertinuit ad Populum, & Parrocchianos dicte Ecclesie, & a tanto tempore citra cuius contrarii memoria non existit, volentes dicti Parrochiani, & Populus, quod dicta Ecclesia regatur, & reformetur per aliquem honestum, & religiosum virum de Conventu Fratrum Omnium Sanctorum de Florentia Ordinis Umiliatorum confidentes de industria, legalitate, & circumspectione providi circumspecti, & re-

(6) Subduntur hoc loco acta omnia, ac conventus ab iis habiti, ad quos Parochi S. Martini electio pertinebat, quæ ob nimiam prolixitatem omittenda duximus. Unicum hic fragmentum afferimus, tum quod rei summam continet, tum quod præcipui illius oppidi Cives in eo recensentur.

& religiosi viri Fratris Bene Prepositi dicte Ecclesie Omnium Sanctorum qui de Fratribus dicti Loci habere debet notitiam pleniorem, & volentes ipsius Fratris Bene Prepositi ipsius honorare personam dicti Fratri Bene omnes unanimiter exceptis Ser Borromeo Guccij (7), Martino Palmeruccij, Guccio Vanne, & Lando Cursi, Guiduccio Dini, Francischo Guiducij, Landuccio Ser Chelli, & Benuccio Vannis, contradicentibus, & nolentibus vice, & nomine Populi, & ut Parrochiani dicte Ecclesie, & omni Jure, quo melius potuerunt, concesserunt plenam liberam, & generalem potestatem eligendi, & presentandi Rectorem ad dictam Ecclesiam, & eidem Fratri Bene inrevocabiliter mandaverunt, & commiserunt eandem plenam liberam, & generalem potestatem, & balliam nominandi, eligendi, & presentandi per-

(7) Videmus hic *Ser Borromeum Guccii*, & paullo post *Pierum Ser Borromei* appellari. Ex quo, ni fallor, eorum opinio comprobatur, qui amplissimam apud Mediolanenses Borromeam gentem ex S. Miniati castro originem duxisse existimant. Enimvero Sanminitianses ipsi hoc nomine gloriantur; ut inscriptio testatur principi ejusdem urbis templo imposita, in qua patriam suam *primam patriam Borromeæ gentis* vocant; & hoc ipsum Gregorius XV. iis literis testatur, quibus Episcopum illis concessit: *attendentes ... ab ipso oppido antiquam illam ac nobilem Borromeam gentem, ex qua S. Carolus olim Archiepiscopus Mediolanensis Sacri Collegii Romanæ Ecclesiæ Cardinalium splendor editus est, originem duxisse*. V. Ughell. *Ital. Sac. T. III. in Episc. S. Miniat.* Hoc etiam diserte testatur Scipio Ammiratus diligentissimus Florentinarum rerum Scriptor (*Storie Fiorentine P. I. T. II. pag. 673. edit. Florent. 1647.*) Narrat enim Florentinos, cum S. Miniati castrum anno MCCCLXX. cepissent, nonnullos ex iis civibus, quorum opera castrum idem in Florentinos insurrexerat, perduellionis reos dictos fuisse; in his Philippum Borromeum, Joannis Patrem, a quo Borromeos Mediolanenses originem duxisse ait. Non vacat hic nobilissimæ gentis originem diligentius investigare. Hoc tantum animadverto, Borromeos S. Miniati per hoc tempus floruisse, ex hoc monumento colligi. Quamvis enim *Ser Borromeus Guccii & Pierus Ser Borromei* prænomina sint, non familiæ nomina, cum tamen, ut Muratorius ostendit (*Antich. Ital. T. II. Dissert. XLII.*) gentis ipsa nomina ex patris, aut majorum alicujus nomine sæpe originem duxerint, probabile est, ex his ipsis prænominibus Borromeam gentem paullo post appellatam fuisse.

sonam idoneam ad regimen Ecclesie supradicte &c.

Nomina vero predictorum Parrocchianorum simul Coadunatorum sunt hec videlicet. Imprimis Ser Johannes Ser Jacobi, Ser Borromeus Guccij, Landus Mosthonis, Ser Vannes Ser Orlandi, Guiduccius Tantis, Meuccius Trinci, Lazarinus Franchi, Ser Gerius Junte, Lemnus Guccij, Berardinus Minelli, Guiduccius Dini, & Tuccius Arrighi, Nutus Salvi, Ranaldus Terij, Corsus Laniuccij, Tante Gerij, Fastellinus Stephani, Lippus Bertinini, Landus Jacobi, Jacobus Cennis, Pupus Locti, Bertus Pupi, Mazeus Ser Salvi, Johannes Ser Gherij, Guido Jacopi, Picchardus Landi, Donatus Landi, Salvi de Tregiaria, Martinus Becchi, Cione Gongne, Gerinus Donis, Carduccius Cardinelli, Lipsus Junte, Dinus Jacomuccij, Meuccius Bindi, Cominus Lemmi, Cerius Marchi, Guccius, & Landus Cursi, Guardus Guiglielmi, Martinus Palmeruccij, Vitaluccius, & Nucciarellus Nuovi, Comuccius Donis, Francischus Guiduccij, Ghelinus Donis, Nardus Guccij, Nonuccius Vitalini, Pierus Cengne, Cecchus Nardi, Gucciarellus Bindi, Vennes Benuccij, Ricchus Branduccij, Petrus, & Bartolomeus Comuccij, Martinus Cortenuove, Pierus Casini, Cambius Pangni, Vita Mucciori, Rossus Nay, Cione Locti, Jacopus Guidarelli, Sintatus Cose, Strizza de Luca, Jacobus Carduccini, Pinus Ucci, Casinus Marchi, Michele Marchi, Vannes Cursi, Guccius Nardi, Benuccius Vannis, Beninus de Mucello, Comuccius Nucciarelli, Simon Ranaldi, Vannes Grazini, Pierus Peruccij, Simon Luctieri, Riccius Dati, Curradinus Franchardi, Politus Guccij, Luparellus Lupardi, Ser Bindus Ser Tuccij, Paulus Corsi, Vannes Tucci, Bonizus Dini, Francischus Grazini, Jacopus Civoli, Tuccius Franchi, Guccius Berardini, Martinus Luparelli, Johannes Lectuccij, Juntinus Lupi, Johannes Carducci, Cecchus, & Guccius Tucci, Vannes Cinelli, Franchuccius Tuccij, Gherardus Chimenti, Puccius Martini, Dinus Ceppi, Maccius, & Giachus Tuccij, Johannes Guiduc-

duccij, Martinus Pupi, Martinus Meuccij, Landuccius Ser Chelli, Bindus Meuccij, Lorinus Bertini, Puccius Guzi, Meus Martini, Jacopus Spinelli, Ser Vannes Leonis, Ser Cione Tantis, Francischus Benini, Gerius Guidarelli, Arrighus Tucci, Nicchołaus Ser Berardini, Ingherranee Guiducci, Gherardinus Gucciarelli, Jacobus Franchi, Guccius Bindi, Johannes Nuti, Nardus Guiglielmi, Cecchus Lippi, Minghus Cionis, Terius Belgradi, Gucciarellus Pucci, Gherardus Franchi, Ser Francischus Ser Berardini, Ser Guccius Nerij, Bertus Guiglielmi, Johannes Gucciarelli, Menichus Balduccij, Palmerius Tantis, Manettus Cionis, Puccinellus de Lari, Guccius Civoli, Gherardus Guiglielmi, Cengna Becti, Mazeus Gerini, Coverus Pini, Blaxius Nardi, Guiduccinus Gucciarelli, Gentile Petri, Niccholaus Cari, Regolus Tuccij, Landinus Lamucci, Jacopus Guiduccij, Pierus Guiducci, Foldus Domine Chesine, Berardinus Ughi, Giorginus Cati, Francischus Ser Martini, Angelus Junte, Tuccius Junte, Tuccius Cellini, Berardinus Benevieni, Testa de Cerretello, Ser Gherardus Guidi, Meus Ghini, Niccholaus Lazarini, Pierus Ser Borromei, Baldus Vannis, Ser Ranuccius Cecchi, Torellus de Monte Castello, Johannes Gerini, Nerus, & Pupus Torelli, Guido Jacopi Minelli, Ferrettus Cursi, Jacopus Ducci, Bartalomeus Tantis, Stephanus Gherardi, Serraghus Gucci, & Michele Lemmi. Actum in Ecclesia Sancti Martini de Fagongnana posita extra, & iusta portam Fagognane de Sancto Miniate coram Domino Ugone Preposito Plebis Sanctorum Genesij, & Marie Presbitero Riccardo Ranerij, Ser Andrea Fucci de Sancto Miniate, & Ser Bonsignore Ser Cacciabostis de Prato Notario Domini.... & Lippo del Buono Berovario ipsius, & aliis testibus ad hec vocatis, & rogatis sub anno Domini ab eius Incarnatione millesimo trecentesimo trigesimo quinto Inditione tertia die nono Mensis Octubris.

Ego Cione olim Tantis de Sancto Miniate Imperiali aucto-

ritate Judex Ordinarius, & Notarius Publicus, & nunc ad predicta ſcribend. per dictos Parrocchianos deputatus predictis omnibus interfui, & ea rogatus ſubſcripſi, & publicavi.

Aicardi Mediolan. Archiepiſcopi ad Fr. Guillelmum de Corbetta literæ de decimæ collectione.

1335. 24. Aug. Ex Bibl. Braid.

FRater Aicardus Dei & Apoſtolice Sedis gratia Sancte Mediolanenſis Eccleſie Archiepiſcopus (1) religioſo viro Fr. Guillelmo de Corbetta prelato domus braide Mediolanen. Ordinis Humiliatorum (2) ſalutem in Domino. Attendentes quod tu, ſicut nobis exponere curaviſti, tum ex officio vicariatus per nos tibi commiſſo, tum ex aliis cauſis rationabilibus per te nobis expreſſis, nequeas abſque maximis & importabilibus gravamine, diſpendio, & labore te intromittere de officio collectionis decime reddituum eccleſiaſticorum civitatis ac dioceſis Mediolanen. per ſedem Apoſtolicam impoſite ad ſex annos currentes, & aliorum, que per litteras Apoſtolicas colligi & exigi demandantur, quod tibi & ceteris duximus aliis committendum, & proinde volentes perſonam tuam ab hujuſmodi onere relevare, tuis in hac parte ſupplicationibus rationi conſonis annuentes, & perſonam tuam in hujuſmodi negotio ex cauſis predictis excuſatam ha-

(1) Aicardus de Antimiano an. MCCCXVII. Mediolanenſis Archiepiſcopus juſſus, Matthæi aliorumque Vicecomitum vi diutiſſime a ſua ſede exſulare juſſus eſt; donec tandem anno MCCCXXXIX. aditus illi ad Mediolanenſem Eccleſiam patuit. V. Saxium Ser. Archiep. Mediol. T. II. pag. 780. & ſequ.

(2) Hic deinde an. MCCCL. Humiliatorum Generalis Magiſter renunciatus eſt. De illo ſermo fuit Vol. I. pag. 122. & pag. 273.

habentes, te a prefato absolvimus officio collectionis decime supradicte. Volumus autem, & auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, tibi districte mandamus, quod singulos alios, quos per nostras litteras tibi & eis directas ad ipsum collectionis officium duximus deputandos, si forsan illud & alia, que auctoritate predicta eis duximus committenda, recusarent vel negligerent exequi & implere, per censuram ecclesiasticam ad ipsa exequenda & implenda eadem auctoritate compellas. Datum Placentie (3) anno Domini 1335. Indictione tertia die 24. Mensis Augusti.

Pendet sigillum cereum, sed infractum.

(3) Hanc urbem diu tenuit Aicardus exsul, ut ostendit Saxius loc. cit.

Azzonis Vicecomitis literæ, quibus Bergomensibus Humiliatis domus Communis agri emendi facultatem facit.

1336. 6. Febr. Ex Tabul. Cathedr. Bergomen.

NOs Azo Vicecomes Civitatum & districtuum Mediolani, Pergami, & Cremone &c. Dominus Generalis. Religiosorum virorum iustis utilitatibus & commodis intendentes, de speciali gratia & nostre plenitudine potestatis harum tenore concedimus, & specialem licentiam damus venerabili viro Domino Fratri Simoni (*forte addendum* Prelato &) Fratribus, & conventui domus Comunis Ordinis humiliatorum de Pergamo, tute, libere, & impune mercari & emere in locis & territoriis de Oxio superiori & de Mapello districtus Pergami usque ad quantitatem terrarum viginti perticarum a quacumque persona ibidem terras habente, & vendere volenti; ac cuilibet persone possessiones ac jura habenti in ipsis locis & territoriis vendendi & alienandi

nandi dictis Prelato & Fratribus & conventui usque ad quantitatem predictam; nec non cuilibet Notario instrumenta conficiendi & tradendi, & aliis Notariis & testibus celebrationi dictorum Instrumentorum interesse. Non obstantibus aliquibus statutis, & decretis, provisionibus, reformationibus, vel aliis comunis Pergami in contrarium editis vel factis. Quibus omnibus, in quantum predictis obstarent, etiamsi de eis plenam vel aliam oporteret facere mentionem, in hac parte derogando, & omnino... fore derogatum. Et in testimonium premissorum presentes fieri, & in actis curie nostre registrari jussimus, sigilloque nostro muniri. Dat. Mediolani in Canzelleria nostra die VI. Februarii MCCCXXXVI. Indictione 4.

Privilegium Benedicti XII. sicut Magistri electio spectat de antiqua consuetudine ad Ordinem.

1338. 15. Jul. Ex Cod. Puric.

BEnedictus Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis de Rondenario, & de Vicoboldono Cumanensis & Mediolanensis Diœcesis Præpositis, nec non de Brayda Mediolanensis, & S. Mariæ Magdalenæ Brixiensis domorum Prælatis Ordinis Humiliatorum (1) salutem & Apostolicam benedictionem. Pastoralis officii, cui, licet immerito, disponente Domino præsidemus, nos cura sollicitat, ut de universis Ecclesiis & Monasteriis, seu religiosis domibus cogitantes, ad illa præcipue, quæ pro-

(1) Ad hos scilicet, cum nullus Ordini Magister præerat, ejusdem administratio pertinebat. Porro totam hujus facti, quod hic refertur, seriem fuse evolvimus Vol. I. pag. 116. Itaque non est, cur in iisdem explicandis hic iterum immoremur.

propriis destituta pastoribus viduitatis incommoda perferunt, eo attentiore sollicitudinis studio nostræ mentis intuitum dirigamus, quo magis dignoscuntur nostræ provisionis remedio indigere. Sane dudum fel. rec. Joannes Papa XXII. prædecessor noster intendens tunc quondam Benedicto Generali Magistro vestri Ordinis eidem Ordini præsidenti, de Magisterio dicti Ordinis, cum illud per ejusdem Benedicti cessum vel decessum vacare contingeret, personæ idoneæ providere, dictum Magisterium ordinationi & dispositioni suæ, & Sedis Apostolicæ, dum adhuc viveret, reservavit, decernens irritum & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum vero eodem prædecessore, sicut Domino placuit, viam universæ carnis ingresso, ac subsequenter dicto Benedicto naturæ debitum persolvente, dicti filii, Capitulum generale ejusdem Ordinis, ad quos, sicut accepimus, electio Magistri de antiqua consuetudine, seu per statuta dicti Ordinis, dicitur pertinere, hujusmodi reservationis forsan ignari, de facto dilectum filium Guilielmum Fabam ejusdem Ordinis professorem in Generalem Magistrum dicti Ordinis elegerunt, qui præstito ejusmodi electioni de se factæ consensu, administrationem in spiritualibus & temporalibus dicti Ordinis, secundum privilegium Sedis Apostolicæ super hoc concessum dicto Ordini (2), similiter ejusdem reservationis forsitan inscius, recepit, & in eisdem spiritualibus & temporalibus ministravit, recipiendo resignationes, juxta morem dicti Ordinis, a Præpositis & Prælatis ipsius, & alios de novo creando. Ac demum de reservatione hujusmodi certioratus ad Apostolicam Sedem devote se contulit, & juri, si quod habebat ex electione prædicta in dicto Magisterio, in nostris manibus sponte cessit; nosque hujusmodi suam recepimus cessionem. Volentes igitur obviare dispendiis, quæ solent religiosis

(2) Benedicti XI. literas innuit, superius editas pag. 351.

giosis domibus pastoribus viduatis ex vacatione diutina provenire, ac fide digna relatione percepto, quod de antiqua & approbata consuetudine ejusdem Ordinis, hujusmodi vacante Magisterio, administratio regiminis dicti Ordinis, & convocatio Capituli Generalis Ordinis memorati ad vos, & electio ejusdem Magistri de præfata consuetudine ad præfatum Capitulum noscitur pertinere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum Capitulum Generale pro dicta electione in Alexandria Aquensis diocesis (3) per Præpositos & Prælatos ejusdem Ordinis, ut moris est, celebranda quanto citius convocetis. Nos enim electionem prædictam celebrandam, ut præmittitur, de Magistro præfato prædictis Capitulo Generali hac vice remittimus de gratia speciali, reservatione prædicta, & quacumque alia non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ remissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Avenione Idib. Jul. Pontificatus nostri anno quarto.

(3) V. sup. pag. 355.

Excerpta ex Jacobi Generalis Magistri appellatione a sententia Vicarii Capitul. Bergomens.

1341. 3. Nov. Ex Tabul. Cathedr. Bergomen.

CORam infrascripto D. Frederico comparuit infrascriptus Jacobus infrascripto nomine, & exhibuit appellationem tenoris hujusmodi.

In Nomine Domini: coram vobis D. Frederico de Garganis, qui vos asseritis Vicarium Capituli Ecclesie Pergamen. Episco-

ſcopali Sede vacante (1), aſſerit & proponit Jacobus Sindicus & Procurator, & ſindicario & procuratorio nomine Dominorum Magiſtri, prelatorum, prepoſitorum, fratrum, & conventuum totius Ordinis Humiliatorum, quod ipſe Sindicus dicto nomine intellexit, quod vos recepiſtis quamdam denunciationem vobis exhibitam per Fratrem Guilielmum de Cazzago Diœceſis Mediolanen. profeſſum domus de Vicoboldono dicti ordinis, inter alia, continentem, quod Rev. vir D. Frater Jacobus de Lemine Generalis Magiſter Ordinis Humiliatorum (2) uſus fuerat in domo communi civitatis Pergami domus Humiliatorum dicti Ordinis, Litteris Apoſtolicis falſis & ſuſpectis in pluribus locis; & quod etiam idem Magiſter erat ſuſpectus de hereſi propter certa verba prolata, ut dicitur, in civitate Novarie in domo Humiliatorum S. Crucis, & forte quamplura alia dicendo falſa & iniqua, iniuſte expetendo a vobis D. Frederico, quod deberetis ipſum facere citari, & procedere contra eum, dicendo etiam in eadem denunciatione, quod deberetis facere juſtitiam de predictis; & ſi non faceretis, quod ipſe Fr. Guilielmus haberet recurſum ad ſummum Pontificem, & ei nunciaret, quod vos D. Fredericus non vultis facere juſtitiam, & etiam procuraret vos puniri per ipſum ſummum Pontificem; & quod ſupraſcripta omnia & ſingula, & quamplura alia fuerunt facta de licentia, conſenſu & mandato Fr. Guilielmi Fabe Prepoſiti dicte domus de Vicoboldono, prout hec & alia complura dicuntur contineri in ipſa denunciatione. Et quod vos ad inſtantiam dictorum Fratrum Guilielmi & Guilielmi dicimini miſiſſe ad citandum ipſum D. Ma-

(1) Cyprianum Longum Bergomenſem Epiſcopum anno MCCCXLII. obiiſſe refert Ughellius (*Ital. Sacr. T. IV. in Epiſt. Bergom.*) Sed ex monumento hoc noſtro evidens eſt, illum jam ab an. MCCCXLI. obiiſſe, cum ſedes hic vacua dicatur.

(2) De Generali hoc Humiliatorum Magiſtro, deque accerrima hac controverſia, quæ illi cum Guillelmo Faba fuit, fuſe differuimus Vol. I. pag. 118. & ſequ.

gistrum, ut veniret se ad excusandum seu ad defendendum a predictis & contentis in ipsa denunciatione; quod minime vobis licuit ex eo potissime, quod dictus D. Magister & dictus ejus Ordo Humiliatorum, domus, & loca, & bona dicti Ordinis, ipsius Prepositi, Prelati, Fratres & Conventus totius dicti Ordinis manifeste & notorie sunt exempti & exempta ab omnimoda vestra jurisdictione, & penitus a quorumcumque ordinariorum sive sint Episcopi, sive Archiepiscopi, & Patriarche, vel . . . . Vicarii, vel non Vicarii; & in ea possessione seu quasi manifeste notorie sunt, fuerunt, & steterunt per longa tempora, longiora, & longissima, etiam per tanti temporis spatium, cujus principii memoria non existit (3); & hoc est manifestum & notorium in curia Romana, & in Avinionensi, in civitate Pergami, Brixie, Cremone, Parme, & Mediolani, & etiam in tota Lombardia & Italia, & in omnibus partibus mundi, ubi viget dictus Ordo; ita quod nullo modo potuistis nec debuistis recipere dictam denunciationem, nec in ea contenta; nec fieri facere dictam citationem, nec facere venire coram vobis dictum D. Magistrum, nec vos aliqualiter intromittere de ejus negocio. Nec etiam vos D. Fredericus etiam alia ratione potuistis nec debuistis vos facere aliquid de premissis; quia etiam Vicarius Capituli, quantumcumque existat Generalis, si sic esset, non possetis, nec potuistis, nec vos debuistis aliquid facere de predictis, nec potuistis nisi cum magna injuria & gravamine ipsius D. Magistri, & ipsius totius Ordinis, & Prepositorum, Prelatorum, Fratrum, & Conventuum ejusdem, maxime quia Vicarius Generalis, nisi haberet speciale mandatum, non posset aliquo modo cognoscere, nec judicare de premissis, nec de aliis criminibus. Nec talis persona, prout sunt persone dictorum fratrum Guilielmi & Guilielmi

(3) Exaggerare nimis hoc dictum est; vidimus enim anno tantum MCCLXXXVIII. Humiliatos ab Episcoporum jure immunes Nicolaum IV. fecisse.

tui fuit admittenda nec recipienda ad predictam denunciationem, nec citationem obtinendam. Et primo, quia ipse Frater Guilielmus est turpis & abjecta persona, & etiam excommunicatus, & quod ex odio, & non ex charitate sed potius ex inimicitia processit ad dictam denunciationem & requisitionem, ut & indicant etiam verba in dicta denunciatione & requisitione imposita; nec debuistis, nec etiam potuistis de jure in qualiquali gravamine ipsum Dominum Magistrum ponere, quod non fuit modicum quoad ejus statum, & dicti sui Ordinis Prepositorum, Prelatorum, Fratrum, & Conventuum dicti sui Ordinis. Secundo quia nec ipse Fr. Guilielmus supradicti Conventus de Vicoboldono potuit sine consensu sui Superioris accedere ad predicta vel aliquod predictorum faciendum secundum jura & canonicas sanctiones. Nec consensus, licentia, & mandatum dicti Fr. Guilielmi Fabe Prepositi sui, ut dicitur, aliquid operat in hoc casu; maxime quia est excommunicatus, & etiam publice, ut excommunicatus nunciatus in Capitulo Generali ipsius Ordinis celebrato in domo communi de Pergamo dicti Ordinis, & etiam in quampluribus aliis domibus dicti Ordinis, majori excommunicatione lata ex constitutione ipsius Ordinis approbata per Sedem Apostolicam, & etiam lata per ipsum D. Magistrum, & ex eo potissimum, quod non solvit, nec solvere procuravit talias factas per ipsum Ordinem eidem Preposito & dicte domui de Vicoboldono, prout ei & dicte domui de Vicoboldono impositum fuit per tempora preterita, secundum quod compartitum fuit in ipso Ordine, & per ipsum Ordinem pro expensis valde necessariis; & quia tendebat & tendit ad subversionem Ordinis antedicti contra canonicas sanctiones & statuta dicti Ordinis. Propter que idem Fr. Guilielmus Faba nullo modo potuit consentire, nec licentiam dare, nec mandare dicto Fr. Guilielmo, quod idem Fr. Guilielmus porrigeret, faceret, & impetraret dictam denunciationem, nec citationem; nec vos aliquo modo debuistis nec potuistis de jure dare

audientiam in aliquo predictorum dictis Fr. Guilielmo & Guilielmo. Tum etiam quia in faciendo dictam denunciationem non fuerunt servate nec adhibite juris solemnitates. Et quod predictis occasionibus, & qualibet ipsarum vos D. Frederice multum & multum injuriastis predictum D. Magistrum, Prepositos, Prelatos, Fratres, & Conventus ipsius Ordinis Humiliatorum, & totum ipsum Ordinem, & ipse Sindicus dicto nomine supradictam temeritatem extimat Florenos quinque millia, quam injuriam ipse Sindicus dicto nomine prosequi vult, & ejus estimationem petere intendit coram SS. Patre & Domino D. Benedicto Papa XII., & apud ejus Sedem Apostolicam, denunciando vobis D. Frederico, & vos vocando, ut veniatis coram ipso D. Pontifice ad defendendum vosmetipsum a dictis excessibus, prout jura tam civilia quam canonica statuunt & ordinant. Quapropter dictus Sindicus dicto sindicario nomine *&c.*, a vobis D. Frederico, & a quadam denunciatione, & ejus receptione, & citatione, & etiam ordinatione, & omni alio processu per vos quocumque modo facto, & etiam quacumque de causa faciendo vel . . . . in scriptis, ad SS. in Christo Patrem & DD. Benedictum divina providentia Papam XII., & ad Sedem Apostolicam provocat, & appellat *&c.*, & hunc libellum appellationis vobis in scriptis porrigit, & dat, atque dimittit. Actum super claustro Ecclesie S. Vincentii Pergami die III. Novembris MCCCXLI. Indictione IX. presentibus Raymondino de Ferrariis, Alberto de Capitaneis de Scalve, Bergamino Alberti de Zendobio, & Alberto Graccii de Cluxione Notariis Pergamensibus testibus rogatis.

Die suprascripto, loco, & testibus, suprascriptus D. Fredericus Vicarius statuit terminum sex dierum proxime venturorum dicto Jacobo dicto nomine comparendi coram eo ad accipiendam responsionem dicte appellationis.

Die IX. Mensis Nov. 1341. Indict. IX. super claustro Ecclesie S. Vincentii Pergamen., presentibus Raimondino de Ferrariis

rariis de Primolo, & Alberto de Capitaneis de Scalve, & Bertulino de Scarotis Notariis Pergamen. testibus rogatis, coram venerabili viro D. Frederico de Garganis Canonico Pergamensi, Vicario Capituli Ecclesie Pergamen., ut asserit, Episcopali Sede vacante, comparet Jacobinus . . . Sindicus & procurator, & sindicario & procuratorio nomine venerabilis viri Jacobi de Lemine Dei & Apostolice Sedis gratia Ordinis Humiliatorum Generalis Magistri &c., offerens se dicto nomine paratum recipere illam responsionem, quam ipse D. Fredericus facere voluerit dicte appellationi, si quam facere vult & intendit, rogans me Notarium infrascriptum, ut de predictis publicum conficiam instrumentum.

Die suprascripto, loco, & testibus, suprascriptus D. Fredericus &c., occupati diversis negotiis, & non volentes plene deliberare super responsione contentorum in appellatione predicta in tam brevi tempore, usque ad terminum juris prorogamus; qui Jacobinus dicto nomine dixit, & protestatus fuit, quod ipse non consentit ipsi termino, nec ipsi prorogationi, nec in ipsum D. Fredericum, ut in suum dicto nomine judicem, nec in eum prorogat, nec prorogare intendit aliquam jurisdictionem, nec recedere ab appellatione per eum dicto nomine interposita, sed in ea semper persistendo.

Die lune, tertio Decembris, in suprascripto loco presentibus Alberto de Capitaneis de Scalve, & Bertulino de Scarottis, & Simone de Capitaneis de Scalve Notariis Pergamens. testibus, suprascriptus D. Fredericus, respondendo supradicte appellationi, si appellatio dici potest, interposite ex parte suprascripti Jacobini . . . dictis nominibus, dixit, quod non credit intulisse nec fecisse aliquod gravamen prefato D. Jacobo de Lemine, qui se dicit Magistrum Ordinis Humiliatorum, nec ipsi Ordini; nec ejus intentionis umquam fuit, nec est, eidem vel Ordini predicto inferre vel intulisse gravamen aliquod ipsis nec aliis; sed semper fuit & est paratus in ejus officio cuicumque juste comple-

men-

mentum exhibere & facere toto posse; & si . . . . . fuit de aliquo gravamine, quod non credit, offert se paratum corrigere & revocare, consilio sapientis vel sapientum; & quod non potuit nec potest procedere ad instantiam dicti Fr. Iacobi, nec Procuratorum, nec Sindicorum ejusdem, nec dicti Ordinis, contra prefatos FF. Guilielmum Fabam, Lanfrancum Peluchum, & Balzām Cutūm, &c. obstantibus appellationibus interpositis & interdictis ex parte predictorum FF. & sociorum seu procuratorum eorum ad S. Sedem Apostolicam; & quamvis dicta appellatio, si appellatio dici potest, ex frivollis & injustis causis interposita sit, tamen ob reverentiam S. Sedis Apostolice, dicte appellationi defert, vos remittendo ad examen dicte S. Sedis; & hanc responsionem prefatus D. Fredericus Vicarius dedit & dat, & tradidit, & tradit pro Apostolis & Litteris dimissorialibus Fr. Maffiolo Kayrolo professo Domus Humiliatorum S. Kalimerii Mediolani, Sindico dictorum D. Fr. Jacobi & Ordinis, per cartam rogatam per Bartolommeum Joann. de Valottis Notarium Pergamen. die IV. intrante Novembri proxime preterito. Qui Fr. Maffiolus dicto nomine dixit, & protestatus fuit quod non consentit in dictum D. Fredericum, ut in suum Judicem competentem.

Electio Fr. Bonomi in Rectorem Hospitalis domus S. Bartholomæi Bergom.

1342. 1. Febr. Ex Tabul. Cathedr. Bergomens.

ANno 1342. die Call. Februarii in Choro Ecclesie Sanctorum Marie & Bartolomei in prato Pergamen. presentibus &c. testibus rogatis. Venerabiles viri Domini Johannes de Assonica Prepositus Ecclesie Pergamen. suo & dicte Ecclesie nomine, Guidottus de la Crotta Archipresbiter, Simon de Muzzo, Fredericus de Garganis, Lanfrancus de Trescurio, Al-

Albertus de Primolo Canonici dicte Ecclesie Pergamen., nomine Episcopatus Pergamen., Episcopali Sede vacante (1), congregati pro visitatione facienda dicte Ecclesie Sanctorum Marie & Bartolomei, & hospitalis eidem Ecclesie subjecti, siti juxta cimiterium ejusdem Ecclesie (2), usque ad eorum beneplacitum voluntatis ibidem concesserunt & concedunt Fratribus Henrico de Pilis de Caravacio prelato, Johanni de Buzzone, & Bonomo de Sportiatica ambobus Presbiteris dicte Ecclesie Sanctorum Marie & Bartolomei, Alberto de Casteniate, Philippo de Grumello, Ottebono de Stezano, Todeschio de Caluscho, Georgio de Oxio inferiori, & Jacobo de Sabbio omnibus domus de Rasulo de Pergamo ordinis humiliatorum recipientibus sue & dicte Ecclesie nomine, omnes fructus, redditus, dictis Ecclesie Sanctorum Marie & Bartolomei & hospitali pertinentes, & pertinentia, & competentia ipsis Prelato & Fratribus dicte domus de Rasulo eidem Ecclesie convenienter in omnibus, prout requirit ordo juris deservientibus, seu facientibus deservire, & in ipso hospitali tenentibus quatuor lectos convenientes pro tribus pauperibus infirmis, & una persona, que ipsis infirmis ibidem convenienter deserviat; & quibus pauperibus infirmis, & persone servienti, ipsi Prelatus & Fratres dicte domus de Rasulo teneantur prebere victum convenientem, & cetera, prout convenit, necessaria. Qui Prelatus & Fratres dicte domus de Rasullo sub dictis pactis receperunt & recipiunt omnia suprascripta, obligantes se & bona dicte domus de Rasullo de observando omnia predicta, & quodcumque eorum. Prefati vero Domini Prepositus, Archipresbiter, & Canonici dictis nominibus ordinant in Ministrum & Rectorem dicti hospitalis Fratrem Bonomum, orantes eum, ut diligentem & vigilem curam habeat in omnibus de eodem. Insuper ambe partes dictis nominibus protestaverunt, quod

(1) V. sup. pag. 393. (2) V. sup. pag. 359.

quod ex predictis nec aliquo predictorum non intendunt juri alicujus in aliquo derogare.

Collatio Prioratus S. Joannis Laudens. in Fr. Bassianum.

1343. 21. Mart. Ex Tabular. Episcop. Laudens.

GUillelmus Miseratione divina tit. Sanctorum quatuor Coronatorum presbiter Cardinalis apostolice Sedis legatus (1) dilecto nobis in Christo fratri Bassiano expresse professo domus omnium Sanctorum Laudensis Ordinis humiliatorum, salutem in domino. Exigentibus tue probitatis meritis, super quibus apud nos laudabiliter commendaris, inducimur ut personam tuam grata benivolentia prosequentes tibi reddamur in exhibitione favoris & gracie liberales. Hinc est quod nos volentes tibi premissorum meritorum tuorum intuitu graciam facere specialem Prioratum domus sancti Johannis evangeliste, que appellatur domus de intus vineas, & dicitur ordinis humiliatorum, vacantem ad presens (2), qui tanto tempore vacasse noscitur, quod ejus collatio ad Sedem apostolicam exstitit devoluta, auctoritate qua fungimur tenore presencium tibi cum omnibus juribus & pertinenciis suis, si tamen de jure nulli alii debeatur, conferimus, & de illo etiam providemus. Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super hiis a quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam no-

(1) Guillelmus Curti, Tolosanus, Benedicti XII. fratris filius, S. R. E. Cardinalis a Patruo jussus, a Clemente VI. an. MCCCXLII. in Italiam Legatus summa cum auctoritate missus est. V. Ciacon. in Benedicto XII.

(2) Laudensis domus S. Joannis ad vineas domui Omnium SS. Laudensis Diœcesis obnoxia olim erat, ut diximus sup. pag. 11. Hinc non Præpositus, sed Prior illi præerat, qui Præposito domus Omnium SS. subditus erat.

nostre collationis & provisionis ac constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Terdone XII. kal. Aprilis Pontificatus domini Clementis pape VI. anno primo.

Domus Humiliatorum de Medio Brixiens. conjunctio cum Monasterio Leonensi.

1349. 9. Apr. Ex Monum. Monaster. Leonensis editis a Cl. P. Luchio pag. 84.

L. ✠ S. In Christi nomine. Amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo trecentesimo quadragesimo nono Indictione secunda. Die nono mensis Aprilis, in ecclesia sancti Marchi domus dicte de medio scita in contrata sancti Laurentii civitatis Brixie, presentibus domino pre Johanne de Asulla presbytero Ecclesiarum sanctorum Augustini & Faustini in castro Brixie, Johanino Gandolfini speciario, & Johanino, qui dicitur ventaclus de Gaydo testibus rogatis. Ibi frater Mayfredinus de Butizolis prelatus domus dicte de medio civitatis Brixie exempte ordinis humiliatorum, frater Betinus de Visano, & frater Johaninus de Niardo de Valcamonica; Soror Stefania de . . . . ministra, Soror Benevenuta de Mezanis, Soror Agnesina de Visano, & Soror Johanina de bagnolo, omnes fratres, & sorores dicte domus ad capitullum de mandato dicti Mayfredini eorum prelati, ut moris est, pro infrascriptis specialiter congregati, confitentes se se esse omnes fratres, & sorores habentes vocem in capitullo dicte domus, omni modo, jure, & caussa, quibus melius potuerunt, nomine suo, & nomine, & vice dicte sue domus, capitulli, & conventus ejusdem fecerunt, constituerunt, & ordinaverunt magistrum Borinum de Nicolao prepositum sancte thegle Mediolan. not., & Masium de besozero dioc. Mediolan

prepositum ecclesie sancti Stephani de rosaxe (*l.* rosate) dioc. Mediolan. absentes tamquam presentes, suos & dicte domus certos nuncios, sindicos, & procuratores specialiter ad comparendum coram summo pontifice & ejus curia ad supplicandum & literas impetrandum tam simplices quam legendas, graciam & justiciam continentes, & delegatum & legatos super eis. Et etiam specialiter ad supplicandum summo Pontifici, quod sibi placeat dacionem & submissionem, quam ipsi fratres & sorores fecerunt, si summo pontifici placuerit, de se ipsis, & domo, & bonis dicte sue domus abbati & comiti monasterii sancti Benedicti de leno Brixiensis diocesis admittere & auctorizare, seu hoc alicui, vel aliquibus delegatis comitere pro utilitate dicte domus, & salute animarum suarum (1). Ego Rativolus de Rateriis de yseo notarius civis Brixie predictis affui, & rogatus hanc cartam scripsi.

RELIQUA MONUMENTA
TERTIO VOLUMINE EDENTUR.

AD-

(1) Hæc tamen conjunctio videtur effectu caruisse, ut diximus sup. pag. 27.

ADDENDA AUT EMENDANDA VOL. I.

Pag. 17. *lin.* 21. in Richildem . . . Bonifacii Marchionis uxorem, & celeberrimæ Mathildis Comitissæ Matrem. *Deleantur postrema illa verba:* & celeberrimæ *&c. Richildes enim Bonifacii quidem uxor fuit, sed Mathildes e Beatrice Friderici Lotharingi filia orta est, quam Bonifacius Richilde extincta uxorem duxit.*

Pag. 112. *lin.* 15. In Capitulo Generali celebrato Cremonæ. *Adde:* Ex monumento tamen, quod apud Cl. P. Ludovicum Luchium Casinensem Abbatem servatur, videtur Guidottus an. MCCCIX. mense Majo adhuc Humiliatis præfuisse. Sic enim habet: *Cum sit quod dominus frater Guithotus Magister & dominus Generallis tocius ordinis fratrum humiliatorum concesserit domino fratri Lafranco preposito domus sancti Luche, fratri petro prelato domus humiliatorum de Gambara, fratri Girardino de Gambara prelato domus humiliatorum de contegnaga, & fratri Bono prelato domus humiliatorum de sancto filipo, litem, questionem, & causam vertentem & que verti posset inter domum, conventum, & confratres humiliatorum de pallazolo ex una parte, & domum* &c. *humiliatorum de medio ex altera parte* &c. *Die VIII. madii . . . anno domini Millesimo CCC. nono Indictione septima.*

Pag. 141. *lin.* 17. *VIIII. Dicember.* 1468. *Adde.* Paullo post alias ad præcipuos quatuor Præpositos literas Galeatius Maria dedit, quas ab eodem eruditissimo viro Carolo Ab. Trivultio nobiscum communicatas hoc loco afferimus: *Dominis Præpositis Viboldoni, Rondaneti, Brayde, & Gambare promotoribus Ordinis Humiliatorum. Intelleximus P. V. post obitum Reverendi quondam generalis Ordinis vestri Capitulum dicti Ordinis secundum laudabiles consuetudines vestras in inclita ista Urbe nostra celebrandum decrevisse, idque ad quintum proxime futuri mensis Februarii diem. Quod certe nobis gratissimum fuit, qui religioni vestre plurimum afficimur, & eam tam pro vestra singulari prudentia & bonitate nonnisi eidem religioni, ho-*

nori, & commodo cessuram speramus. Et cum fide dignorum relatione percepimus hujusmodi Capitula & Congregationes ad Præposituram S. Calemeri extra portam Romanam dicte nostre Civitatis retroactis temporibus fieri consuevisse, hortamur & impensius quidem oneramus P. V., ut Capitulum ipsum eodem in loco omni sublata contradictione faciendum curent, ne vetus ipse ac laudabilis mos ætate nostra exolescat, aut immutetur, ad beneplacita vestra & religionis ipsius decus & amplitudinem nos promptos paratosque offerentes. Ex Viglevano XVIIII. Decembris 1468.

Pag. 150. *lin. ult. Che lieta ne restò più d'una chiostra. Adde:* Enimvero Torchium initio ad suorum mores emendandos strenue incubuisse, ex ejusdem Codice colligimus, quem in Præfatione ad II. Vol. commemoravimus. Ibi enim postquam pag. 3. electionem suam his verbis narravit: *Die* 1. *Sept.* 1533. *fui deputatus Magister Generalis totius Ordinis humiliatorum auctoritate apostolica, ut patet ex brevi Apostolico*, subdit paullo post: *Die* 23. *Oct. suprascripti anni congregatum fuit Capitulum in domibus propriis Canonice, in quo interfuerunt* 26. *prelati . . . . protestati sunt velle vivere regulariter, & justa ordinis instituta; qua protestatione sic facta publicavi pro bono initio reformationis constitutiones duodecim, quibus lectis & publicatis dixerunt omnes velle illas observare prout jacent.* Quin etiam ut efficacius emendatio urgeretur, externam opem atque auctoritatem Torchius adscivit. Sic enim pag. 8. *Die* 24. *Jan.* 1534. *concessi Licentiam & commisi Magnificis D. Capitaneo justitie & pretori Mediolani, & omnibus offitialibus suis apprehendendi fratres Ordinis, si in habitu inhonesto, & in Loco inhonesto, & cum armis reperiantur.* Ibidem pag. 10. habemus: *Die* 24. *Apr.* 1535. *feci monitionem Reverendis Dominis Prepositis & Fratribus Bergomi, ne auderent in domo, nec extra domos detinere mulieres suspectas.* Sed illud præcipue animadvertendum, quod ad duplicis una eademque die Sacri celebrationem pertinet. Videmus enim per ea tempora Generalem Humiliatorum Magistrum id sibi sumpsisse,

ut

ut facultatem hanc caussa aliqua interveniente suis concederet; aliosque præterea ex Humiliatis, ne impetrata quidem aut petita facultate, id usurpare non metuisse. Itaque pag. 9. ait: *Die* 8. *Maji* 1534. *concessi licentiam celebrandi binas Missas dicto preposito* (Georgio Cattaneo Clavennensis domus Præposito) *diebus Dominicis & festivis de precepto*. Et pag. 18. *Die ult. Septemb. an.* 1539. *feci edictum, quod publicatum fuit, ne quis audeat binas missas in die celebrare, nec accedere ad Monasteria Monialium, nec alicui capelle inservire sine nostra speciali Licentia sub pena excommunicationis*. Denique pag. 41. habemus: 5. *Febr.* 1546. *fuit affixum edictum ad valvas Ecclesie majoris Mediolani, S. Marie Braide, S. Marie de S. Calimerio, & domus Canonice, effectus quod nullus Frater Ordinis possit binas Missas celebrare, nec capellam aliquam in ordine habere, nec ad monasteria monialium accedere* &c. *sine speciali Licentia Generalis Magistri*.

Pag. 178. *lin.* 15. commemoratum vidi. *Adde*. Aliam etiam artem ab Humiliatis exercitam fuisse nuper accepimus. Florentiæ enim in Tabulario S. Mariæ Novellæ Ord. Prædicatorum Codices MSS. nonnulli servantur, in quibus inter expensas Cœnobii ejusdem commodo factas, pecunia etiam Humiliatis nonnullis erogata recensetur, quod vitra, quibus templi fenestræ claudebantur, variis coloribus ex veteri consuetudine adornassent; idque in diversis diversæ ætatis Codicibus occurrit. In privata etiam Riccardiana Bibliotheca Codices MSS. exstant, quibus olim Humiliatæ S. Marthæ apud Florentiam Sanctimoniales in Divinis Laudibus concinendis utebantur, minio variisque coloribus, Humiliati alicujus, ut videtur, arte ornati. Id vero apud alios etiam Religiosos cœtus in usu fuisse constat; atque in Florentino Metropolitano templo Codices hujusmodi asservantur a Dominico de Framoggia Casentinensi Ord. Præd. descripti, ac perbelle picti, cui proinde floreni aurei mille persoluti fuerunt. Quæ omnia ex literis Cl. P. Gentilis Ord. Præd. ejusdem Cœnobii

bii S. Mariæ Novellæ Prioris ad sæpe laudatum P. Allegrantiam ejusd. Ord. datis cognovimus.

Pag. 193. *lin.* 14. *fusum manibus apprehendunt*. *Adde:* Scriptoribus hisce vetustioribus recentiorem alium addere juvat, Ambrosium Taegium ex eodem Ord. Prædicatorum, qui Sæculi XVI. initio floruit; cujus hic verba ideo etiam proferre placet, quod & egregiam per ea ipsa tempora Humiliatarum Sanctimonialium sanctitatem testantur, & laneum opificium adhuc illas aliquomodo exercuisse ostendunt. Sic itaque habet in *Chronica Minori*, sive *VI. Parte Monumentorum Ord. Pred. pag.* 29. *a tergo*, quod opus MS. servatur in Mediolanensi Cœnobio S. Mariæ Gratiarum ejusdem Ordinis: *Est Religio Humiliatorum sub uno Magistro degentium tribus Ordinibus distinctum* (ita). *Primus est Ordo virorum, qui in vestitu assimilantur Præmonstratensibus, habentes cappam rotundam clausam, scapulare album, & tunicas. In victu, & jejuniis, & abstinentiis, & officiis Ecclesiæ assimilantur Fratribus Prædicatoribus. Secundus est Ordo mulierum, quæ sunt clausæ, & inclusæ muris altis, & nullam omnino aperturam habentes, excepto juxta altare, per quam communicant; & aliam permodicam, per quam recipiunt Lanam filandam, & reddunt; & licet de istis sint multi & magni Conventus, non auditur scandalum inter eas. Tertius est Ordo Conjugatorum, qui habent certum modum vivendi, ne scilicet portent arma, ne exerceant periculosa offitia, ne induantur discoloribus, ne jaceant simul certis diebus, hospitalitatem sectentur, & hujusmodi. Horum multi sunt in Lombardia. Hic Ordo multum dilexit semper Ordinem nostrum Prædicatorum, & Ordo Prædicatorum illum. Isti habent Regulam ab Apostolica Sede confirmatam, quasi exceptam ex regulis B. Augustini, & B. Benedicti. Cæpit autem Ordo iste anno Domini* . . . . . . Sed annus non indicatur.

Pag. 228. *lin.* 8. immutasse non arbitror. *Adde*. Quo Loco illud non omittendum arbitror, quod in Parochiali æde Carugati, qui Mediolanensis Diæcesis est pagus, in Sacello, quod ad

Gal-

Galleranos pertinet, B. Andreæ effigies prostat, eodem scilicet habitu, quo Senensis Nosocomii administros, & B. Andream ipsum pingi consuevisse diximus; Deipara Virgo nubi insidens dextrum tabulæ latus occupat; sinistrum Angelus, hanc Epigraphen proferens: *B. Andreas Galleranus Civitatis Senæ Protector*; alius etiam Angelus ad B. Andreæ pedes adstat florum canistrum, iisque impositum panem manibus sustinens, ad prodigium illud, ut videtur, commemorandum, quo panem egendis reficiendis a B. Andrea mirum in modum interdum auctum fuisse diximus. Nec vero est cur miremur, apud Mediolanenses etiam B. Andream cultum obtinuisse. Nobilissima enim Galleranorum gens sæculo XIV. exeunte, ut narrat Fagnanus in Opere suo MS. de Mediolanensibus Familiis, Mediolanum commigravit. Quin etiam duo alii ex eadem gente inter Humiliatos claruerunt. Alter Joannes Stephanus Galleranus. Fatium patrem ille habuit, Blancæ Mariæ Vicecomitis, Generalem, ut vulgo dicimus, Referendarium, ad Lucenses Legatum, ac Mediolanensis Magistratus an. MCCCCLXXVI. Quæstorem, ut ex eodem Fagnano constat, qui etiam alveum ad Carugatensem agrum irrigandum deduxit, adhuc ex hujus familiæ nomine appellatum. Joannes Stephanus vero anno MCCCCXCII. Humiliatis nomen dedit, cum antea *Artium & Medicinæ Doctor* appellatus fuisset. Id ex ejusdem tabulis constat, quibus bonorum suorum hæredes instituit, eodem anno III. Mart. conscriptis, quæ in antiquissimæ hujus familiæ tabulario adhuc servantur: *Cum sit, quod ego artium & Medicinæ doctor Magnificus Joannes Stephanus de Gallaranis, filius qu. Magnifici D. Facii P. O. P. S. Simpliciani Mediolani de presenti intendens religionem intrare in ordine Fratrum Humiliatorum, & intendens in suo Ordine professionem facere* &c. Quibus ille muneribus inter Humiliatos claruerit, habemus ex sæpius memorato Necrologio domus de Ottaciis, quod etiam ejus mortis annum ac diem indicat: *2. Non. Ian. Obiit Dominus Johannes Stephanus de Gallaranis*

Pre-

Prepositus domus de Monteforti, olim Vicarius Generalis totius Ordinis Humiliatorum in 1530. Alter Jacobus Antonius Friderici filius, Facii nepos, ac proinde Joannis Stephani fratris filius. Hujus mentio occurrit in charta an. MDXLVII. X. Jun. in eodem tabulario. Narrat Fagnanus, Jacobum Antonium a patruo Joanne Stephano S. Petri in Monteforti Præposituram accepisse; illum vero, cum morbo premeretur, Paullo de Orio Bergomensi, cujus sororem Julius ejusdem frater sibi connubio junxerat, Præposituram eamdem concessisse, illius tamen iterum adeundæ jure servato, si forte e morbo convalesceret; cum vero convaluisset, ac Præposituram suam repeteret, Paullus vero se illa abiturum negaret, hunc a Jacobo Antonio occisum fuisse; exulare proinde coactum, ac deinde in patriam revocatum, septuagenarium obiisse. Quæ omnia tamen, unde hauserit Fagnanus, non indicat.

Pag. 272. *lin.* 16. cui ille antea se addixerat. *Adde:* Bartholomæum Averoldum anno MCCCCLXXX. vita excessisse, Cl. Comitis Mazzuchellii aliorumque auctoritate innixi statuimus. Sed multo serius, anno scilicet MDIII., illum obiisse certissimis argumentis confirmat eruditissimus atque accuratissimus Scriptor P. Daniel Farlatus Soc. Jesu in *Illyric. Sacr. T. III. pag.* 411. Porro Humiliatis illum antea adscriptum fuisse, ut diximus, testatur etiam charta an. MCCCCXLVIII. XIX. Augusti apud Cl. P. Luchium: *In domibus residentie Ven. & Religiosi viri D. fratris Bartholomei de Averoldis Juris Canonici periti, prepositi domus sancte Marie Magdalene de gambara, sitis in civit. brix. in contrata pontis de torzanis* &c. Plura de Bartholomæi rebus gestis vide apud eumdem Farlatum.

Ibid. lin. 23. fuisse circa an. MDXVII. *Adde:* Memoratur ille etiam in Torchii Codice pag. 11. ad diem XXV. Maji MDXXXV. *Deputavi R. Dominum Episcopum Calamonensem, & Prepositum S. Marie a glara Verone, Vicarium & Locumtenentem meum in civitate*

Pag.

Pag. 277. *lin.* 4. Ludovico attribuit. *Adde:* Egregia Ludovici munera ex ejusdem literis colligimus an. MDXII. XIII. Nov., quæ apud sæpe laudatum Cl. Carolum Ab. Trivultium servantur: sic enim in iis se inscribit: *Ludovicus Landrianus Vicoboldoni Prepositus, ducalis Consiliarius, & thesaurarius generalis filius quondam Magnifici d. Antonii olim ducalis consiliarii & thesaurarii.*

Pag. 297. *lin.* 15. illa Octaviano tribuantur. *Adde:* Alius hic Scriptor addendus, nempe CHERUBINUS DE PILLATTIS. Hic scilicet rudem illam de Humiliatorum initiis historiolam erroribus scatentem conscripsit, quam Vol. I. pag. 33. commemoravimus. In pergameno enim ejus exemplo, quod nobis superius memoratus D. Carolus Trivultius ostendit, hæc ad calcem habentur: *Ego frater Cherubinus de pillattis brixianus, domus sancte Marie de palazolis brixie professus hic bononie sacris canonibus studens hec omnia suprascripta ordinis mei humiliatorum propria manu scripsi, & de fideliter de verbo ad verbum nil addendo vel diminuendo prout in campionibus* (vulgaris vox, quæ idem sonat ac *inventarium*) *& registris nostri prefati Ordinis inveni. In quorum omnium fidem hic me subscripsi, & scripsi anno dñi nri Jesu Christi millesimo CCCCLXXXII. nonagesimo secundo* (ita) *die secunda Januarii.* Hinc confirmatur, quod eodem Vol. I. pag. 287. diximus, nulla ratione rude hoc opusculum Philippo Cribello attribui posse.

Pag. 306. *lin.* 28. *Donec suam Pontifex mentem aperiret. Adde:* P. D. Bruno Borronus Mediolanensis ad Garegnanum Cartusiæ Monachus, nobis alias cum laude commemoratus, aliud nobis monumentum humanissime communicavit, quo ea, quæ ex Cl. Oltrocchii annotationibus nondum satis patebant, clarius illustrarentur. Suam scilicet ipsam Cartusiam Joanni Tonsio assignatam fuisse, in qua ad aliquod tempus culpæ pœnas persolveret, animadvertit. Nam in quodam dati & accepti Codice, qui ad an. MDLXXI. pertinet, quique in ejusdem Cartusiæ tabulario servatur, hæc habentur: *Die* 20. *suprascripti* (Maji) *recepti a Rev.*

Dño Joanne Tonsio pro expensis factis in Monasterio per hospites ipsum invisentes, in summa lib. 47. 5. Et paullo post: 1. *Junii: Recepti a Dño Jo. Jacobo de Abiate nomine Rev. Dñi Joannis Tonsii pro expensis factis in victualibus in Monasterio pro se & uno converso, seu pro sua duodena, & hoc pro mensibus sex præteritis, scut.* 48. *sive lib.* 283. 4. Ex quo colligimus saltem ab ineunte Decembri an. MDLXX. Tonsium illuc secessisse. Sed quamdiu apud Cartusienses steterit, incertum.

Pag. 310. *lin.* 11. Scribanti: *lege:* Saibanti.

Pag. 329. *lin.* 27. *hedificavit hanc portam. Adde:* Quo Loco illud non omittendum arbitror, Joannem hunc Balducii Pisanum eumdem esse, qui in Eustorgiano hujus urbis templo marmoream magnifico egregioque opere arcam sacris S. Petri Martiris exuviis servandis construxit; quam commemorat Cl. P. Allegrantia in eruditissimo Libro, cui titulus: *Spiegazione e riflessioni sopra alcuni Sacri Monumenti antichi di Milano* pag. 142.

Pag. 335. *lin.* 22. adjectam vides. *Adde:* Plures hujus domus vices tecenset Advocatus in suo Codice pag. 74. Illam scilicet apud Regii Ærarii Præfectos aliquamdiu fuisse; tum Hispano cuidam ex Ord. Prædicat., qui Hispanorum auxilio ac potentia fretus illam adierat; denique Novocomensi Episcopo commendatam fuisse.

Pag. 347. *lin.* 10. distinguenda est. *Adde:* Hoc ipsum ex charta X. Octob. MCCCCLXXXI. in Biblioth. Ambros. confirmatur, in qua fit mentio *Monasterii S. Catharine Mediolani alias nominati Monasterii S. Ambrosii de Carugate;* ac paullo post idem Cœnobium dicitur *S. Catharine de ranchate.*

Pag. 352. *lin.* 2. Cœnobio inclusas fuisse. *Adde:* Cœnobium hocce interdum S. Novi appellatur; cujus appellationis origo mihi ignota. Hujus porro summa cum laude haud semel meminit Advocatus in suo Codice. Inter cetera pag. 79. hæc habet: *Questa Casa e Monastero di San Novo in Milano io reputo che*

li

ſii lo più degno, oneſto, coſtumato, & oſſervantiſſimo Monaſtero, ſincero, e ſenza alchuna oſtentatione Mondiale, non dico di queſta noſtra Religione Umiliata ſola, ma anchora di quanti altri Monaſteri d' altri Ordini mai io abbi conoſciuto. Ho detto queſto con ſopportatione di tutti li altri Monaſteri di Monache. Per queſta loro grande ſanctimonia e bontà, io mi ſaria fatto grande conſcientia a pigliargli un minimo quatrino de fodri, & per queſto io li ho rimeſſo ogni debito de fodri, quale aveſſero così del tempo mio, come del mio predeceſſore.

Pag. 372. *lin.* 3. Humiliati tenuerunt. *Adde:* Antea tamen interdum commendata eſt, nam in Advocati Codice pag. 80. Franciſco Birago commendata dicitur.

Pag. 373. *lin.* 5. *& divinis Officiis. Adde:* Hæc etiam commendata eſt interdum; nam in Advocati Codice pag. 81. Cardinalis Anconitani fratri commendata dicitur.

Pag. 381. *lin.* 1. ſe ipſas commiſerint. *Adde:* Monialium Fagnani domus S. Catharinæ ſacra erat, quo nomine ſæpe appellatur in memoratis Advocati & Torchii Codicibus.

Ib. lin. 7. S. Michaelis domus indicatur. *Adde:* Humiliatarum S. Michaelis Gallarati domus ſæpe in Advocati & Torchii Codicibus commemoratur.

Ib. lin. 14. Præpoſitura frui liceret. *Adde:* Enimvero Carolus de Advocatis in Codice ſuo narrat, Samaratenſem Monialium domum a ſe diſſolutam fuiſſe, quod nullam Cœnobii formam haberet, atque egeſtate adeo Moniales illæ premerentur, ut illas nocturno tempore operam ſuam agricolis in agrorum cultura locare oporteret; illaſque proinde Gallaratenſibus Monialibus a ſe additas fuiſſe. At vero Torchius multo ſerius id a ſe factum narrat in ſuo Codice, an. ſcilicet MDXL. die XX. Auguſti: *Extinctio ſeu ſuppreſſio Monaſterii S. Bartholomei Monialium Samarate cum erectione in titulum Prepoſiture, & proviſione facta de ipſa prepoſitura in Dominum Fr. Maximum Vicecomitem.* Forte

Advocatus Cœnobium illud Gallaratensi conjunxerat quidem, atque obnoxium fecerat, sed non omnino dissolverat; quod deinde a Torchio factum. Fateor tamen me hic hærere, nam in eodem Torchii Codice ante allata verba hæc habentur ad diem III. Sept. MDXXXIX. *Contuli prepositutam S. Bartholomei de Samarate Fr. Maximo Vicecomiti vacantem per resignationem Domini Fr. Antonii de Melagulis*. Hæc quomodo conciliari non possint cum *erectione prepositure* anno insequente facta, ego sane video.

Pag. 382. *lin.* 7. *S. Mariæ Elisabeth Busti Præpositus*. *Adde:* Busti Garulfi Præpositum jam ab anno MDXXVI. in Advocati Codice commemorari animadvertimus.

Pag. 383. *lin.* 28. huic Cœnobio conjunxit. *Adde:* Illud hoc loco addendum ad Cœnobii hujusce S. Mariæ Magdalenæ Busti laudem, Carolum de Advocatis, omnia, quæcumque sibi solvenda essent, tributa ob earumdem Monialium paupertatem ac Sanctimoniam illis condonasse, ut in suo ipse Codice testatur.

Pag. 385. *lin.* 17. deductas fuisse. *Adde:* Id certe post Torchii tempora contigit; nam Castilionensis hec domus sæpe tum in illius, tum in Advocati Codice occurrit.

Pag. 386. *lin.* 12. ad Circulum deduxit. *Adde:* In Advocati Codice commemoratur Domus S. Catharinæ de Lonate. An eadem sit cum alterutra ex memoratis, an alia, ignoro.

Pag. 388. *lin.* 8. derelicta fuerant. *Adde:* Sed ex his omnibus diligentiorem inquisitionem Medensis domus requirit. Meda Mediolanensis agri pagus, ac B. Joannis primi Humiliatorum Ordinis parentis patria, Barlassina, & Farga, seu, ut olim dicebatur, Faroa, ejusdem agri pagis, non longe abest. Celeberrimum porro est PP. Ord. Prædicatorum apud Barlassinam Cœnobium, eodem loco exstructum, quo S. Petrus Veronensis ex eodem Ordine ab impiis Sicariis in Catholicæ Religionis odium VI. Apr. MCCLII. cæsus est. Hoc scilicet loco eodem anno sacellum in Martyris honorem construi cœpit, & sacello hospitalis

lis domus conjuncta. Rei monumentum exstat in ejusdem Cœnobii tabulario, quod simul cum aliis huc pertinentibus nobiscum communicavit doctissimus ac sæpe laudatus P. Allegrantia. In charta enim an. MCCLII. XXVII. Octobr. hæc habentur: *Leonardus & Guidetus fratres filii quondam Alexandri de Summovico civis Mediolanensis de porta nova* venditionem faciunt *in Fratrem Ubertum Guarengum civitatis Mediolani, & fratrem Ottobellum de Asenago de Barnassina Ministros & Prælatos sive superstites Ospitalis seu Mansionis, que constructa est & fit in territorio Loci de Farva in honore & memoria venerabilium virorum quondam Fratris Petri Veronensis, & Fratris Dominici* (S. Petri socii, qui vulneribus confectus sextum post diem obiit) *de Ordine Prædicatorum, in ea videlicet parte, ubi ipsi piæ recordationis fratres pro fide Christi cæsi sunt ab infidelibus, & mortis debitum per martyrium persolverunt.* Ita etiam in charta XXIII. Dec. MCCLIII. fit mentio *Fratris Petri de Bianzago percipientem* (ita) *ad partem & ad utilitatem Ecclesiæ S. Petri Martyris, quæ est ædificata super strata Canturina prope Loci de Farva.* Petrus hic idem in aliis monumentis an. MCCLII. & MCCLV. dicitur *Minister domus & Ecclesiæ S. Petri Martyris.* Alii etiam hujus domus Ministri in posterioribus monumentis indicantur. Porro suspicio subit domum hanc ipsam ad Humiliatos pertinuisse, eamdemque esse, quæ in Catalogo nostro *Domus de meda* dicitur. Quamvis enim in allatis monumentis domus illa posita dicatur *in territorio de Farva*, tamen a proximo etiam pago Meda nomen ducere potuit, ut Cœnobium Ord. Prædic. eodem loco positum, *de Barlassina* appellatur in præsens, quod hic etiam pagus non multum absit. Enimvero in Gregorii XI. literis mox memorandis domus eadem dicitur sita *in quodam territorio prope Medam.* Conjecturæ huic nostræ, quam memorato P. Allegrantiæ debemus, illud favet, quod Humiliatas quasdam hunc deinde locum incoluisse constat. Cum enim Gregorius XI. locum illum XI. Jun. MCCCLXXXIII. PP. Ord. Prædicatorum

con-

concessisset, cujus concessionis Literæ in eodem tabulario servantur, Joannes Galeatius Vicecomes Mediolani Dominus Cœnobium illud a publicis oneribus persolvendis immune esse voluit literis suis XX. Jul. MCCCLXXXVII., quæ ibidem asservantur. In iis vero hæc habet: *Prior ceterique Fratres Conventus Martyrii S. Petri Martyris Ord. Præd. . . . . cum nuper occasione taleæ impositæ clericis compulsi sint ad solvendum florenum unum, solidos vigintiquatuor, & denarios tres, eo quod ante concessionem factam de præfato loco per Dominum Gregorium quondam Papam undecimum ipsis Prædicatoribus, quædam Humiliatæ præfati loci ad solvendum taleas cogebantur* &c. Fateor tamen hæc non sufficere, ut ad Humiliatos domum illam pertinuisse certo statuamus; nam nec Fratres illi Humiliati appellantur, & ex iis forte erant, qui Hospitalarii vulgo dicebantur, & Sanctimoniales etiam illas Humiliatarum nomine interdum designatas fuisse vidimus, quæ nullo modo ad Humiliatorum Ordinem pertinebant. Certe si Humiliatæ rigido sensu intelligendæ hic sunt, ante an. MCCCXLIV. iis ædibus excessisse illas dicemus; neque enim in illius anni Catalogo *Domus de meda* recensetur.

Pag. 398. *lin.* 21. *Transfigurato dicatam. Adde:* Enimvero Monialium hoc Humiliatarum Cœnobium Christo Transfigurato Legnani sacrum sæpe in Advocati & Torchii Codicibus occurrit.

Pag. 411. *lin.* 25. Braidensem Præpositum jubet. *Adde:* Humiliatorum instituta XXX. circiter ante annos amplexus fuerat Aloysius. Nam in Torchii Codice pag. 12. ad diem XIII. Febr. MDXXXVI. hæc habemus: *Fr. Aluisius de Baxilica Petri SS. Jacobi & Philippi Cremone prepositus factus fuit Novitius, & eodem die in Ecclesia mea & in manibus meis emisit professionem.* Cujus moris inter Humiliatos, ut una eademque die & Humiliatorum vestes induerent, & vota emitterent, plura habemus per id tempus documenta.

JOANNES CAROLUS PINCETI

SOCIETATIS JESU

In Provincia Mediolanensi Præpositus Provincialis.

CUM Librum, cui titulus est: *Vetera Humiliatorum monumenta adnotationibus, ac dissertationibus illustrata, quibus multa ad sacram, civilem, ac literariam medii ævi historiam pertinentia explicantur. Vol. II.*: a P. Hieronymo Tiraboschio Societatis nostræ Sacerdote compositum, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint. Facultate nobis a R. P. Laurentio Riccio Præposito Generali communicatâ, concedimus, ut typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur: In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus. Mediolani die 19. Augusti 1767.

Loco ✠ Sigilli.

				ERRATA	CORRIGE.
pag.	35.	lin.	26.	illas	illas ædes
pag.	45.	lin.	15.	Cænobia	Cænobio
pag.	75.	lin.	12.	pertinet	pertinent
		lin.	13.	MCCCCXIII.	MCCCCXLIII.
pag.	84.	lin.	7.	*Lilva*	*Libro*
pag.	86.	lin.	19.	alii	aliis
pag.	96.	lin.	20.	Forcazola	Florenzola
pag.	103.	lin.	19.	instaurandam	instaurandum
pag.	104.	lin.	17.	Humiliatorum	Humiliatarum
pag.	133.	lin.	1.	ut completorium	& completorium
pag.	150.	lin.	7.	Inctum	Factum
pag.	156.	not.	1.	Dynastiæ	Dynastæ
pag.	239.	not.	8.	Mediolani	Mediolano
pag.	248.	not.	4.	editus	editas
		Ib.		pertinentur	pertinentes
pag.	297.	not.	1.	Mediolanenses	Mediolanense
pag.	298.	not.	6.	excesserunt	excesserat
pag.	348.	not.	4.	Humiliatorum	Humiliatarum

